

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio III.
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція III.

А С Т А
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
ECCLESIAM CATHOLICAM UCRAINAE ET BIELARUSJAE
SPECTANTIA

VOL. I.
1622 - 1667

COLLEGIT ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1953
PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS EX.MI D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY, EP. TIT. AMISENI
EIVSQUE EXARCHICI CONSILII (U.S.A.)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Series II. - «ANALECTA OSBM» - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Серія II.

Sectio III:

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

ACTA LITTERAE ET DECRETA SACRARUM CONGREGATIONUM

ACTA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

Vol. I: 1622-1667

LIBERALITATE EXCEL.MI D. D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY
EIUSQUE EXARCHICI CONSILII EDITUM

ROMAE

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio III.
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція III.

ACTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
ECCLESIAM CATHOLICAM UCRAINAE ET BIELARUSJAE
SPECTANTIA

VOL. I.

1622 - 1667

COLLEGIT ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1953

PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS EXCEL.MI D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY, EP. TIT. AMISENI
EIUSQUE EXARCHICI CONSILII (U.S.A.)

LOAN STACK

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 5-VIII-1953.

P. PAULUS P. MYSKIV

Protoarchimandrita - Superior generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 28-VIII-1953.

✚ ALOYSIUS TRAGLIA

Archiep. Caesarien. Vicesgerens

52206695

BX4711
1622
A36
v.1
MAIN



Ex.mus et Ill.mus D.D. Constantinus BOHACHEVSKY
S.T.D., Ep. tit. Amisen., Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus,
Exarcha Ap. Ucrainorum Catholicorum in U.S.A.

Ex mus et Ill.mus D.D. Ambrosius SENYSHYN,
O.S.B.M., D.D., Ep. tit. Mainen., Coadiutor, Syncellus (absens)

V. Rev. SCHMONDIUK Josephus, S.T.L.

V. Rev. BATZA Josephus, Ph. B.

R. ADAMIAK Leo

V. R. KORNYLJAK Plato,

V. R. BABAK Nicolaus, M.A.

R. TRESZNEWSKY Alexander

V. R. GRESKO Demetrius

R. KLOS Basilius

R. HOLOWINSKY Basilius

CONSILIUM ADMINISTRATIVUM DIOECESANUM
cum
DIOECESIS CANCELLARIO

EXCELLENTISSIMO . AC ILLUSTRISSIMO . DOMINO
DOMINO . CONSTANTINO BOHACHEVSKY

EPISCOPO . TIT . AMISENO . SOLIO . PONTIFICIO . ADSISTENTI . COMITI . ROMANO
S . T . D .

EXARCHAE . APOSTOLICO . UCRAINORUM . CATHOLICORUM . PHILADELPHIENSI
STATUUM . FOEDERATORUM . AMERICAE . SEPTENTRIONALIS

EIUSQUE . COADIUTORI
EXCELLENTISSIMO . AC REVERENDISSIMO . DOMINO

DOMINO . AMBROSIO SENYSHYN

EPISCOPO TIT . MAINENSI . D . D . SYNCELLO . ORDINISQUE . BASILIANI . ALUMNO

EORUMQUE . IN DIOECESANA . ADMINISTRATIONE . CONSILIARIIS
REVERENDISSIMIS . DOMINIS

JOSEPHO SCHMONDIUK, S. T. D. . CONSULTORI

JOSEPHO BATZA, PH. B. . CONSULTORI

NICOLAO BABAK, E. A. . CONSULTORI

DEMETRIO GRESKO . CONSULTORI

BASILIO KLOS . CONSULTORI

LEONI ADAMIAK . CONSULTORI

BASILIO HOLOWINSKY . OECONOMO

ALEXANDRO TRESZNEWSKY . SECRETARIO

PLATONI KORNYLJAK, S. T. D. PH. D. . CANCELLARIO

BENEVOLIS . « DOCUMENTORUM ROMANORUM » . FAUTORIBUS

MUNIFICENTISSIMISQUE . HUIUS . VOLUMINIS
FUNDATORIBUS

SIT « MONUMENTUM AERE PERENNIOUS » . POSTERORUM . GRATA . MEMORIA

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO

PRAEFATIO

Ecclesia Christi ut caetus Christi fidelium hominum suam habet externam et internam historiam. Vita nempe religiosa evangelica in unoquoque homine, in societatibus hominum in totoque genere humano evolvitur. Historia haec gressus Apostolorum eorumque successorum sequitur suamque in his verbis Domini Nostri habet synthesim: « Euntes docete omnes gentes... » (Matth. 28, 19).

Ecclesia Christi verbis Dominicis innixa tempora futura non timet: « Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam... » (Matth. 16, 18). Non habet etiam timorem temporum praeteritorum suamque historiam Ecclesia, praesertim catholica, non erubescit. Ecce iam inter apostolos inventus est Iuda Iscariotes, qui tres post annos in schola Christi Redemptoris Magistrum tradidit, etiamsi Joannes, discipulus quem Jesus dilexit, Magistrum suum sub crucem usque secutus est. Petrus Magistrum negavit, sed amore flevit peccati sui, veniamque superabundantem invenit.

« Non est servus maior domino suo » (Jo. 15,20). Inde quod Ei contigit, potuit etiam eius discipulis succedere. Evangelia Domini nostri Jesu Christi Actaque Apostolorum clarum dant historicae christianismi veritatis testimonium.

Ecclesia Christi saeculis subsequentibus tempus revelationis ut « una sancta » vixit, etiamsi in suo « credo » « remissionem peccatorum » ab ipsis initiis profitetur. En vera creaturae conditio sinceraque humanae insufficientiae confessio. En ratio cur etiam Archiva Secreta Vaticana aliorumque Dicasteriorum Romanorum aperta manent unicuique etiamsi inimico animo aditum quaereret.

Sicut tota Ecclesia Catholica, ita etiam unaquaque eiusdem Ecclesiae pars similem habet historiam, similemque profitetur impavide veritatem in conspectu totius mundi.

Ecclesia Ucraina Catholica (pars Ecclesiae olim Ruthenae) alia non profitetur principia nihilque abscondere intendit, nihil erubescere nullumque habet timorem futuri. Humana humane vivit, divina suffulta gratia. Ad futuram gloriam properans, praeterita contemplatur vitae suae saecula.

Nihilominus pauca tantummodo prostant Ecclesiae huius documenta publici facta iuris. Plura in Archivis abscondita manent Romanis, non quia lucem timeant, sed quia circumstantiae Ecclesiae huius veritati historicae indagandae minus suadebant. Nil mirum si maxima pars difficultatum, quae Ecclesiae huic movebantur historicas habet radices et rationes. Modo speciali non unita Ecclesiae nostrae pars Ecclesiae

Catholicae eius obiicit historiam quasi causam propriae separationis ab Ecclesia Catholica Universali, et eventum dolorosorum nec non controversiarum et sanguinosarum etiam pugnarum. Tota fere difficultas inter unitos et non unitos populi ucrainici fratres historicismo laborat minimeque vel non primario saltem in dogmate consistit.

Verum est plurima prodierunt in lucem documenta, quae res Ecclesiae unitae in terris Ucrainae et Belorussiae illustrant, proh dolor tamen collectiones hae ab adversariis in fide plurimum collectae lacunis amplissimis laborant historiamque Ecclesiae Catholicae in Ucraina et Bielarussiae unilateraliter tantummodo illustrant partesque gloriosas obumbrando. En ratio primaria ut et altera audiatur pars!

Ita eveniet in futuro ut qui veritatem sincere quereret historicam unum et alterum videre possit latum.

En ratio Documentorum Romanorum Ecclesiae Unitae editionis. Praemisso volumine primo Documentorum Romanorum Bio-Hagiographicorum (S. Josaphat-Hieromartyr, Romae 1952), aliam aggredimur seriem, ACTA nempe, LITTERAS ET DECRETA S. CONGREGATIONUM, quarum Congregatio de Fide Propaganda maximi in re nostra considerari debet momenti seriemque hanc aperire.

Historia huius Congregationis intime cum historia Ecclesiae nostrae coniungitur. Anno 1622 fundata, anno nempe 25 Unionis Berestensis (1596), usque ad an 1917 Ecclesiae nostrae pertractat negotia non solum maiora, sed saepe saepius minora etiam. Hinc Acta eiusdem S. Congregationis elenchum dant fere plenum omnium, quae Romae in negotio Ecclesiae Catholicae in Ucraina et Bielarussiae tractabantur.

Praesenti volumine primam aggredimur seriem: ACTA SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ECCLESIAM CATHOLICAM UCRAINAE ET BIELARUSSIAE SPECTANTIA. Hinc quod per decennia praeparabatur et desiderabatur evenit, munificentia et liberalitate hominum ecclesiasticorum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis.

Officium nobis et honor simul incumbit eventum hoc historiae tradere. Cum temporibus his pro Ecclesia nostra difficillimis, quibus a potentiis tenebrarum opus destruebatur plurisaeculare, idea documentorum Ecclesiae huius editionis matura evenit, ut obiectionibus Ecclesiae nostrae catholicae motis veritatis splendorem obiceremus, mentem nostram hic et nunc unice ad Vaticana coniungere potuimus Tubularia. Longos post annos tandem numerus iam sat conspicuus prostabat documentorum. Bona aderat voluntas - media deerant, ut documenta haec publici fierent iuris.

Inde animam nostram ad Illustres et Excellentissimos Hierarchas nostrae apud Exteros Ecclesiae convertimus, ideam nostram, programma et primos fructus exponendo. Evenit, ut momento ipsius rei surgente, benevolentia Mecenatum populi nostri eiusque insimul a Deo electorum Pastorum compellente, exigente vero futura nostrae in Patria Ecclesiae renascentia - media nobis prae manibus data fuerunt, ut quamprimum opus in lucem prodire possit.

Primus inter pares erat Excellentissimus et Illustrissimus Dominus Constantinus Bohachevsky, Episcopus titularis Amisenus, Throno Pontificio Assistens Comesque Ro-

manus, Apostolicus Ucrainorum Catholicorum in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Exarcha, qui consilio inito suo cum Exarchali Consilio - prima Documentorum Romanorum volumina Ecclesiae Catholicae Ucrainae, Exarchatui suo suoquo nomini et gloriae donavit.

Speramus exemplo huic alii pari subsequantur gressu benefactores, prout revera iam evenit, ut immortalis Ecclesiae Catholicae Ucrainae erigant monumentum, sibi que inscribant perenne nomen, sanguini Martyrum nostrorum praesentis saeculi confluere faciant parem laborum sudorem.

Sint omnia ad Dei gloriam, ad Ecclesiae nostrae utilitatem, in Benefactorum honorem, nostraeque humilitati ut dent possibilitatem meritam confiteri: « Servi inutilis sumus - quod debuimus facere fecimus » (Luc. 17,10).

Romae, 14 Junii 1953

Die festo S. Basilii Magni

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO

INTRODUCTIO

Praemittendis praemissis non remanet nisi in ipsas veniamus iam medias res. Plura nostra in introductione dici possint. Sed ad aliquas tantummodo res attentionem nostram convergimus. Primum aliqua verba dicere necessarium visum fuit de ipsa S. C. de Propaganda Fide eiusque Tabulario seu Archivo. Dein de prima huius Archivi parte, de S. Congregationis nempe Actis, prout extant in Registris contemporaneis. Postea de ipso Actorum momento, eorumque investigatione et publicatione, et demum de hac prima periodo, de qua in nostro agitur volumine, aliquas saltem facere observationes utile fore duximus.

I. De Sacra Congregatione de Propaganda Fide eiusque Archivo.

Praemissis et agnitis meritis Praedecessorum suorum, Gregorius XV Constitutione sua « *Inscrutabili* », de data 22 . VI . 1622, qua S. C. de Propaganda Fide erexit et constituit, ea protulit verba, ad Cardinales istius S. Congregationis directa: « Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituent et mutant. Nos enim eis tam praemissa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quae specialem, specificam et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, agendi et exequendi, plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem, apostolica auctoritate earundem tenore praesentium, concedimus et impartimur » (DE MARTINIS R., *Juris Pontificii de Propaganda Fide Pars Prima*, vol. I, p. 2). Et tria post saecula laborum immensium et experientiae saecularis in CIC sic habetur: « Congregatio de Propaganda Fide missionibus ad praedicandum Evangelium et catholicam doctrinam praest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi, et exequendi omnia hac in re necessaria et opportuna » (CIC, can. 252, § 1).

His verbis delineatur campum actionis huius Dicasterii simulque innuitur eius momentum. Inde provenit illa vastitas locorum et immensitas negotiorum, quae in hac S. Congregatione pertractantur.

Usque ad an. 1917 ad hanc S. Congregationem pertinebant etiam omnia negotia Ecclesiarum Rituum Orientalium, ex capite illo nempe « praedicandi doctrinam catholicam », prout ex parte « praedicandi Evangelium » Sacra haec Congregatio omnes complectebat missiones.

Inde ab ipsis initiis S. Congregatio obruebatur diversitate negotiorum, populorum, linguarum. Haec tria: diversitas negotiorum, pluralitas populorum, et diversitas linguarum clare patent etiam ex ipso S. Congregationis Archivo. Nam Archiva Dicasteriorum et Officiorum, recte ordinata, horum etiam vitam et activitatem indicant. His tribus in rebus primae consistebant etiam S. Congregationis de Propaganda Fide

difficultates primaeque etiam eius Archivi ordinandi quaestiones. Nam ordinatio Archivi S. C. de Propaganda Fide ab eiusdem pendebat activitate, quae breviter et in synthesi sic delineari potest.

S. C. de Propaganda Fide est Dicasterium administrativum Ecclesiae Universalis cum determinato campo activitatis. Eius activitas provenit et evolvitur non ab interno, sed ab externo. Ad S. Congregationem afferuntur litterae, relationes, petitiones, memorialia etc. a diversis personis, institutis, societatibus etc., ut a Nuntiis Apostolicis, Metropolitanis, Episcopus, Monachis, Missionariis etc., quae spectant plus vel minus eius competentiam. Post accuratam selectionem scripturarum eae, quae eius competentiam spectant, traduntur relatoribus-cardinalibus S. Congregationis, inter quos orbis terrarum subdivisus erat. Super his scripturis Relatores suas parabant relationes, quas demum in sessione Congregationis generali referebant decidenda. Scripturae hae, responsione decreta, in voluminibus separatis conservandae deponebantur, secundum ordinem chronologicum et orbis terrarum subdivisionem inter Cardinales-relatores (*Scritture riferite nelle Congregazioni generali*). Decisiones S. Congregationis Secretarius in Actis S. Congregationis inscribebat (*Acta S. Congregationis de Propaganda Fide*). Responsum S. Congregationis duplex vel triplex esse potuit, S. Congregatio rem vel plenitudine suae potestatis decidebat et hac super re suum emanabat Decretum (*Decreta S. Congr. de Prop. Fide*), vel informari ulterius desiderabat a Nuntio vel alia persona ecclesiastica, vel etiam saeculari, ad quam scribi iubebat nomine S. Congregationis (*Lettere della S. C. de Prop. Fide*), vel etiam, in re minoris momenti, nomine Secretarii (*Lettere di Mons. Segretario*). Litterae hae tum lingua latina tum etiam italiana componebantur, secundum characterem et scientiam personae, vel etiam secundum solemnitatem ipsius negotii (*Lettere latine, Lettere volgari*). Si vero causa vel negotium aliquod maturioris indigebat considerationis, ad certum caetum personarum competentium remittebatur, quas ipse designabat Pontifex, quaeque sic dictam constituebant Congregationem particularem ad certas negotiorum classes designatam (ut ex. gr. *Congr. part. super negotiis Ruthenorum, Euchologii, dubiorum etc.*) Inde ab anno 1667 scripturae et acta harum congregationum conservantur separatim (*Congregazioni particolari*).

Si momentum negotii id postulabat Decreta S. Congregationis transmittantur ad Secretariam Brevium Apostolicorum, ut, annuente Pontifice, Breve expediretur (*Brevia*). Nostra periodo Decreta S. Congregationis generatim « coram Pontifice » referebantur, si ipse in congregatione generali partem habuit. Postea (post. an. 1667) Secretarius Congregationis Decretum in « Audientia S. D. Nostri » referebat, et approbationem Pontificis postulabat (*Udienze di Nostro Signore*).

Hic erat modus generalis laboris in S. C. de Propaganda Fide, qui labor in ipsis voluminibus Tabularii S. C. de Propaganda Fide suam habet imaginem fere exactam. Adsunt tamen praeter has principales documentorum series aliae, quae S. Congregationi minus cordi et attentioni erant, vel non tam facile in seriebus communibus chronologico-regionalibus comprehendere potuerunt. Ex gr. una harum rerum erant Collegia Pontificia, quae speciali cum attentione et amore a S. Congregatione promovebantur. Exiit proinde separata voluminum series, sic d. Collegia vel Visitoe, quae respectiva documenta comprehendunt (*Collegia, Visite, Missioni etc.*).

Aderant etiam et aliae scripturae ad S. C. de Prop. Fide missae, quae nullam tamen decisionem huius S. Dicasterii requirebant. Hae scripturae referebantur simpliciter in Congressibus Secretarii cum S. Congregationis Praefecto praesentibus aliis duabus vel tribus personis, et demum ad acta deponebantur (*Scritture riferite nei Congressi*) diversis sub titulis populorum vel singularum missionum, ut ex gr. *Scritture*

riferite nei Congressi Moscovia, Polonia Ruteni etc. Separatas proinde habent in Archivo Congregationis series.

Sicut in omni alio Dicasterio ita etiam in S. Congregatione de Propaganda Fide aderant scripturae, quae nullomodo aliqua in serie supra enumerata collocari poterunt (*Miscellanea*).

Haec omnes series scripturarum Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide constituunt tantisque constituunt inquisitionis partes.

Reassumendo proin secundum indicationes E. Smurlo (*Archiv Propagandy*, 1910) talis prae oculis haberi potest elenchus, qui 5000 fere volumina comprehendit.

Secundum opinionem E. Smurlo Archivum S. C. de Prop. Fide in 15 partes subdividi potest: 1) *Acta S. C.* (1622-1900) - vol. 275 cca; 2) *Udienze di Nostro Signore* (1667-1895) - plus quam 280 volumina; 3) *Congregazioni particolari* (1622-1804) - vol. 161; 4) *Congregazioni particolari delle Indie e Cina (de rebus Sinarum et Indiarum Orientalium)* - a) *Acta* ab anno 1665, b) *Scritture originali* (1677-1821) - plus quam 100 volumina; 5) *S. Congregazione per gli affari di Rito Orientale*, ab anno 1862, plus quam 200 volumina (hodie in S. C. pro Ecclesia Orientali); 6) *Lettere della S. Congregazione* (1622-1900) - 397 volumina; 7) *Scritture originali riferite nelle Congregazioni generali* (1622-1900) - vol. 1050 circa; 8) *Scritture riferite nei Congressi* (vel s. d. *non riferite*) (1568-1878) - vol. 800 circa; 9) *Visite e Collegii*, quasi 50 volumina; 10) *Collegii*, supra 70 volumina; 11) *Istruzioni* - plus quam 7 vol.; 12) *Missioni* - vol. 50 circa; 13) *Decreta S. Congregationis* - 10 vol.; 14) *Miscellanea* - 120 vol. cca.; 15) *Alia* - plus quam 200 volumina. Huic numeri adiungi debent omnia illa documenta, quae inde ab anno 1900 in Archivo conservantur.

Omnia haec documenta fortasse alio modo in duas subdividi possint partes. Spectata nempe ipsa materia, de qua tractant, *Acta Litterae, Decreta, Instructiones, Audientiae* sunt documenta, quae necessitates, normas, leges, programmata huius mundi S. Congregationi subiecti exprimunt; e contra omnia alia documenta exprimunt totam huius mundi realitatem vivam. Hic praxis ibi theoria.

Ex tota hac mole voluminum interest nobis Actorum S. Congregationis de Propaganda Fide.

II. De Actis S. Congregationis De Prop. Fide eorumque momento.

In nostro volumine agimus exclusive de Actis S. Congregationis de Propaganda Fide. Tota haec series constat 275 voluminibus, quae periodum 1622-1900 comprehendunt. Acta haec ab ipsis usque initiis a Secretario S. Congregationis vel eius sub cura conscribebantur et fere nullas habent lacunas, etiamsi non toto tempore eundemque sequuntur modum eandemque monstrant diligentiam.

Usque ad annum 1657 Acta lingua latina conscribebantur erantque potius brevia. Post annum vero 1657, exceptis ipsis initiis et responsis Congregationis, iam lingua italica et sat prolixo exarabantur. Ad hoc fere tempus (1657) in Actis Congregationum generalium Acta collocabantur etiam Congregationum particularium quae deinde separatis constant voluminibus. Registra Actorum chronologiam sequuntur Congregationum generalium, quae saepe saepius bis in mense, salvis exceptionibus, habebantur. Unaquaque sessio, prout in Actis extat, sic describi potest: Secretarius, praemisso numero ordinario Congregationis generalis (quae numeratio ad anno 1648 fere omnino cessat), et die, necnon elencho nominum Cardinalium participantium et Consultorum vel peritorum, totam molem negotiorum describebat, singulis suum as-

signabat numerum ordinarium. Generaliter ipse Secretarius primus referebat, et quidem negotia minora, vel quae spectabant Collegium Urbanum, Hospitia, subsidia, etc. Dein sequebantur negotia maiora Cardinalium-relatorum. Post unamquamque relationem *Decretum* vel *Rescriptum* S. Congregationis fiebat, in ipsis Actis adnotatum. Negotiis exhaustis Congregatio dissolvebatur, et labor Secretarii nec non Praefecti Congregationis initium habuit, qui scripturas secundum rescripta vel decreta Congregationis conficere et expedire debebant, vel beneplacitum Pontificis exquirere.

Ex hisce congregationibus generalibus et particularibus ea omnia selegimus, quae spectant Ecclesiam Catholicam in terris Ucrainae et Belorussiae. Negotiorum moles, quae de hac materia tractant, mensurari debet secundum temporum et personarum circumstantias. Notandum est, in ipsis initiis Congregationis de Propaganda Fide negotia haec frequentiora erant, quam postea, decenniis et saeculis volventibus, quod ex ipsa patet rei natura. Nam in initiis S. C. de Prop. Fide conspectum omnium rerum generalem sibi procurare studebat, et e contra ex parte missionariorum, Nuntiorum aliarumque personarum sub directione huius Congregationis laborantium exquirebantur praecisae instructiones et normae pro activitate missionaria et unionistica. Sed decenniis volventibus ob circumstantias praesertim politicas in Europa centrali et orientali, quae commercio epistulari impedimento erant, relationes hae non tam iam frequentes erant. Multum hac in re influebat bellum s. d. «30 annorum», bella cosaica, bellum septentrionale (versus 1700) et alia similia.

Quod spectat ipsum momentum Actorum agitur de catalogis quasi completis omnium negotiorum, quae Romae pertractabantur saeculorum decursu. Certe, historiam alicuius Ecclesiae secundum Acta S. C. de Prop. Fide considerari velle sat difficile esset, et fortasse impossibile. Sed ex altera parte considerari debet haec circumstantia, quod Acta S. C. de Prop. Fide in sua brevitate cardinem fere constituunt multarum aliarum scripturarum, quae historiae multum contribuere possunt. Hinc est quod hanc sane seriem Documentorum Romanorum imprimis aggressi sumus, ex qua omnia alia documenta facile ordinari possint. Inde omnia alia documenta suas habebunt referentias ad singula Acta, quae hisce voluminibus publici fient iuris.

Remanet ut aliqua saltem verba innuamus circa materiam ipsam Actorum, quae hoc primo volumine praesentantur. Nostra opinio hac in re ea est, quod inutiliter aliquis conaretur ordinem aliquem et singulas materias enumerare. Unica tabula salutis et ordinis - chronologia ipsa considerari debet, ceteroquin vita ipsa cum omnibus suis partibus ibi sua reliquit vestigia. Non est proinde nostrum vel minimas etiam adumbrare vitae huius lineas. Veniant rerum istarum studiosi et singulas investigent materias et questiones. Nos ipsis textus prae manibus dare intenti eramus ita, quod etiam Index nominum et rerum in fine huius voluminis, et subsequentium positus, est potius R. P. Hlib G. Kinach OSBM gratuitum donum, quod omnibus studiosis utile erit, quam nostrae Collectionis Documentorum debitum.

III. De Actorum S. C. de Prop. Fide investigatione et publicationibus.

Unusquisque populus superintendentiae S. Congregationis de Propaganda Fide subiectus aliquomodo, plus vel minus accurate, Acta S. C. de Propaganda Fide iam investigabat. Populorum praesertim historia, qui opera missionariorum catholicorum ad fidem christianam adducuntur, in Documentis S. C. de Prop. Fide pretiosa habet documenta. Inde in operibus, quae historiam hanc pertractant, multa adsunt ex Archivis S. Congregationis deprompta.

Sed pauci tantummodo exitunt, qui documenta haec systematice in lucem edere hucusque attentarunt. Ultimis his decenniis opus conspicuum hac in re considerari debet editio documentorum (*Actorum*), quae Terram Sanctam spectant: LEMMES LEONARDUS, *Acta S. Congregationis de Propaganda Fide pro Terra Sancta*, in «*Biblioteca Bio - Bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente Francese*», vol. 14, edita cura Hieronymi Goulovitch, Quaracchi, Florentiae 1921 - 1936. Ut videtur, usque ad annum 1945 nullum aliud opus simile apparuit, prout patet ex indicibus Rev. M. W. DZIOB (*The Sacred Congregation for the Oriental Church*, Washington 1945).

Quod spectat Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarussiae vel sic d. «*Ecclesiam Ruthenam*», exceptis singulis documentis hic inde sparsis, collectio nulla hucusque existit Actorum S. C. de Propaganda Fide. Utique multa hac in re his ultimis decenniis ab Alumnis «*Collegii Rutheni*» et in specie ab Alumnis Pontificii Collegii S. Josaphat investigata sunt. Modo speciali memorari debent Rev. Sacerdotes et Patres Nationis Ucrainae ut Sac. G. Mylanyk, Joannes Praszko, D. Blazejovskyj, Bilanycz, D. Tanczuk, M. Wojnar, M. Solowij, J. Choma, M. Marusyn, S. Vivcaruk, et alii, qui hac in materia adlaborabant. Praesertim C. Blazejovskyj ipsae iam collectioni documentorum adlaborabat, sub ductu et consiliis R. P. Theodosii T. Haluszczynskyj OSBM, Directoris spiritualis Pontificii Collegii S. Josaphat, qui per duo fere decennia Archiva Romana perlustrabat documentaque Ecclesiam Catholicam Ucrainae spectantia colligebat.

Vestigia horum praedesessorum nostrorum sequentes iam inde ab anno 1947 Archiva haec perlustrare coepimus intuitu publicationis systematicae «*Documentorum Romanorum Ecclesiae Unitae in terris Ucrainae et Bielarussiae*». Praeter Archivum Secretum Vaticanum et Bibliothecam Vaticanam, Archivum maximi momenti considerari potest illud S. Congregationis de Propaganda Fide, in quo series Actorum Congregationis a quocumque in primo loco considerari debet, prout omnium rerum in hoc Dicasterio tractatarum catalogus. Unde et in publicatione Documentorum series haec omnibus allis praecedere debuit, prout praesenti et sequentibus voluminibus fecimus.

Modus investigationis in hoc campo non nimias praesertim difficultates. Series Actorum continua, scriptura clara, collocatio singulorum Actorum in margine adnotata inde investigatio potius patientiae quam scientiae considerari potest opus, et in transcribendo assiduitatis. Ideo serie documentorum semel constituta nihil remanebat, nisi adnotationes breves addere aliasque facere observationes, quae facili documentorum consultationi inservire possint.

Antequam finem ponamus nostrae brevi elucidationi aliqua addere necessum videtur quae spectant ipsum methodum et editionis modum.

1. Imprimis notandum est editionem nostram praesentem et omnes subsequentes inniti praepremis documentis ipsis, et quidem Romae conservatis vel ad Dicasteria romana spectantibus, quorum textum non nimio apparatu adnotationum auctum publici facere iuris studebimus. Intentio nostra primaria est, ut materia ipsa publicetur, ulteriori indagationi et elucubrationi historiographicae apta.

2. Quoad abbreviationes quae olim ex circumstantiis temporum in usu erant, eas plene transcripsimus, exceptis titulis personarum, quae saepe occurrunt et hodie etiam in usu permanent.

3. Quoad usum litterarum maiuscularum vel minuscularum nec non textus divisionis per commata et puncta scriptoria, aliqua corrigere necessarium fuit ne sensus ipse documenti perderetur. Olim enim alia hac in re vigeat ratio scribendi et textum per commata et puncta dividendi.

4. Nominum transcriptionem talem sequemur, qualem ipsa monstrant documenta. nisi error evidens irrepsisse apparet, modo speciali in documentis Romae exaratis. Saepe saepius varietas in uno eodemque documento notari potest. Casus tamen vere dubios notula aliqua explicare contendimus.

5. Modo generali, nisi aliter adnotetur, omne quod scriptum est scriptura s. d. cursiva nostra est textui additio, ut argumentum, locus, tempus, et aliae circumstantiae indicentur. Tituli currentes sollummodo faciliori documentorum consultationi inservire debent.

6. Locum documentorum conservationis vel publicationis characteribus minoribus indicamus in ipso documenti initio, brevi argumento praemisso.

* * *

His dictis iam nobis videtur procedi posse ad ipsa Acta ordine chronologico disposita investiganda. Huius chronologiae causa superfluum videbatur hic addere indicem singulorum Actorum, quia index huiusmodi nihil plus quam simplex enumeratio annorum et dierum, quibus congregationes habebantur, esset.

Non est etiam necessarius, ut nobis videtur, elenchus bibliographiae a nobis adductae in componendis nostris adnotationibus, quia nihil ipsi editioni Documentorum Romanorum conferre potest, et sufficit nos auctores in fine cuiuscumque notulae adduxisse.

Ex abbreviationibus iuvat in memoriam revocare sequentia:

- APF - Archivum S. C. de Propaganda Fide
- ASV - Archivum Secretum Vaticanum
- D (DD) - Dominus (Domini)
- EE. LL. - Eminenze Loro
- N. S. - Nostro Signore (Pontifex)
- R. P. (RR. PP.) - Reverendus Pater (Reverendissimi Patres)
- R. P. D. (RR. PP. DD.) - Reverendus Pater Dominus (Reverendissimi Patres et Domini)
- S. C. - Sacra Congregatio
- S. S. - Sanctitas Sua vel Sua Santità
- S. V. - Signoria Vostra etc.

ACTA

SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ECCLESIAM CATHOLICAM UCRAINAE ET BÉLORUSSIAE SPECTANTIA

VOL. I.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

GREGORIUS PP. XV
(9.14.11. 1621 — 8.VII.1623)

bononiensis
(Alexander Ludovisi)

ACTA S. C. de PROPAGANDA FIDE TEMPORE GREGORII XV
(1621 - 1623)

1.

Roma, 14 . I . 1622

Prima congregatio generalis noviter erectae Congregationis de Propaganda Fide, in qua exposita historia et fine foundationis discutiuntur prima negotia et assignantur officia.

APF, Acta S. C. de Propaganda Fide, vol. 3, fol. 1-2.

In Christi Nomine Amen. Anno ab eiusdem Nativitate
1622, die 6 Ianuarii.

Acta Sacrae Congregationis Cardinalium de Propaganda Fide.
Sub Gregorio XV Pontifice Maximo.

CONG. 1.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. Dominus Gregorius¹ Divina Providentia PP. XV animadvertens praecipuum Pastoralis Officii caput esse propagationem fidei christianae per quam homines ad agnitionem, et cultum veri Dei perducuntur et sobrie, ac pie, et iuste vivunt in hoc saeculo, erexit Congregationem 13 Cardinalium, et duorum Praelatorum cum suo Secretario, quibus negotium propagationis fidei commisit et comendavit. Cardinales autem Congregationis fuerunt infrascripti.

Saulius, Farnesius, Bandinus, Sourdus, Barberinus Millinus, Borgia, Ubaldinus Zolleranus, Sanctae Susannae, Valerius, Ludovisius et Sacratu,² Praelati duo et Secretarius fuerunt R.mi Vives, et Agucchius, quibus postea fuit additus R. P. Dominicus a Scala, Ordinis Discalceatorum.

In die Sancti Hilarii, 14 Ianuarii 1622, facta fuit prima Congregatio de Propaganda Fide in Palatio Ill.mi Cardinalis Sauli,³ in qua interfuerunt omnes subscripti Cardinales, et Praelati, exceptis Cardinali Sancta Susanna, et Cardinali Sacrato, qui ob signaturam Brevium, et signaturam Gratiae fuerunt cum Sanctissimo.

¹ Gregorius XV, Pontifex Romanus ab an. 1621 ad an. 1623.

² De his et aliis Cardinalibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide adnotationes breves suo loco dabuntur, ubi nempe de illorum activitate in connexionione cum Ecclesia Unita Ucrainae et Bëlorussiae mentio fit.

³ Card. Sauli Antonius Maria, Archiepiscopus Ianuensis (Genova), creatus Cardinalis temporibus Sixti V, papabilis in Conclavi Leonis XI et Pauli V; in congregatione generali commissum ei fuit litteras Congregationis subscribere, unde primus considerari debet Praefectus. Hoc ipso anno 1622 ei in hoc munere successit Card. Ludovicus Ludovisi. Card. Sauli obiit an. 1623, die 24 Augusti. - Cfr. VAN GULIK-EUBEL, *Hierarchia*, III, (1910), p. 57, nr. 20.

(f. 1v) In qua Congregatione Ill. mus Cardinalis Ludovisius,⁴ exposita causa erectionis huius Congregationis de qua in... , rogavit Cardinales, ut super modo tenendo in propaganda fide communis tractatus haberetur, et quid unusquisque sentiret, libere diceret.

Quibus auditis Cardinales et Praelati commendarunt in primis Sanctissimi zelum, et pietatem in huiusmodi magnifica, et digna Pontifice actione. Deinde, habito diligenti tractatu super modo tenendo, decreverunt, ut infra sequitur.

1. Quod scribatur Nunciis Apostolicae Sedis, ut referant statum religionis in Provinciis et Regnis eis demandatis; et captis informationibus ab huius rei peritis S. Congregationi significarent media quibus posset in illis Provinciis, et Regnis fidem propagare.

2. Quod componatur Bulla⁵ erectionis huius Congregationis cum suis facultatibus, et privilegiis prout per alios Pontifices in aliarum Congregationum erectione factum fuit.

3. Cura componendae Bullae praedictae Ill. mis Cardinalibus Bandino, Millino, et Ubaldino, commissa fuit.

4. Fuerunt deputati Cardinales Saulius et Barberinus, ut cogitarent de redditibus applicandis S. Congregationi, et de aliqua domo, vel palatio, quod esset velut fundamentum corporale erectae Congregationis, et refugium conversorum ad fidem catholicam, et Alumnorum, qui pro Missionibus faciendis ibi instrui possint. Tunc R. mus Vives, audito hoc Decreto, obtulit palatium nuncupatum de Ferratinis, valoris 14 m. scutorum aureorum.

(f. 2) V. Fuit decretum, ut bis in mense Cardinales, et Praelati congregarentur die Lunae, quando non fit Consistorium, vel die Veneris, si dies Lunae fuerit impedita.

6. Fuit ordinatum, quod Ill. mus Cardinalis Saulius litteras Congregationis subscriberet, et Secretarius sigillum eiusdem Cardinalis adhiberet.

7. Quod scribatur Generalibus Religionum absentibus, et praesentibus significetur, ut referant statum Missionum, quas hucusque fecerunt ad Haereticos, vel Infideles.

8. Quod scribatur Archiepiscopo Cosentino, ut scripturas tempore Clementis 8. confectas circa propagationem fidei, in simili Congregatione tunc temporis erecta, et apud ipsum existentes, Secretario⁶ consignaret.

Quibus peractis fuerunt dimissi Patres.

2.

Roma, 8 . III . 1622.

Tertia congregatio generalis, in qua singulis Cardinalibus assignantur provinciae orbis terrarum, approbatur fons redditus et pecuniarum depositarius assignatur.

⁴ Card. Ludovicus Ludovisi, secundus ordine Praefectus Congregationis (1622-1631). Nominatus Cardinalis tempore Gregorii XV (Card. Alexandri Ludovisi) cuius erat nepos (15-II-1621.) Nat. Bononiae 27-X-1595. Anno 1619 nominatur iam inter Praelatos Romanos. Nominatus Cardinalis habuit influxum beneficium in Gregorium XV, a quo liberaliter donatus fuit dignitatibus, officiis et divitiis. Amans litterarum et artium. Obiit 12-I-1633. - Cfr. L. PASTOR, *Storia dei Papi*, vol. XIII, Roma 1931, p. 43-53, 59-67 etc.

⁵ Bulla erectionis S. C. de Prop. Fide de data 22 Junii 1622 (Constitutio). Cfr. *Bullarium S. C. de Prop. Fide*, vol. I, 26 sq.; *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 2 sq.

⁶ Id est Imperatorem Sacri Regni Romani, Imperatorem Austriae; quo titulo Imperatores Austriae utebantur usque ad tempora Francisci II (1792-1806).

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 3-6.

CONG. 3 — Die 8 Martii 1622.

Fuit 3^a Congregatio de Propaganda Fide in Palatio Ill. mi Cardinalis Sauli, in qua praeter Farnesium, Barberinum, Millinum, et Borgiam intervenerunt Cardinales Congregationis, et duo Praelati Vives, et Agucchius, et R. Pater Dominicus a Scala Ordinis Discalceatorum, iussu Sanctissimi Domini Nostri propter famam sanctitatis ipsius in Congregatione adscriptus.

In ea, primo, divisae fuerunt Provinciae totius Orbis terrarum modo, qui sequitur.

Sub Nunciis Neapolitano, Etruriae, Venetiarum, et Sabaudiae, Prolegato Avenionensi et Inquisitore Melitensi; praesertim, autem sub Nuncio Sabaudiae et Prolegato Avenionensi, quorum opera in primis erit necessaria:

Italia cum Insulis adiacentibus, Sabaudia, seu Allobrogi universi in quibus et Delphinatus Provinciae, Comitatus Avenionensis, cum locis Galliae Narbonensis, Rhodano propinquioribus, Genova (f. 3v).

2. Sub Nuncio Galliarum:

Gallia reliqua, Bearnensis Regio, et pars illa Regni Navarrae, quae Regi Francorum subiicitur, Lotharinga.

3. Sub Nuncio Hispaniarum:

Hispania cum Insulis adiacentibus, India Occidentalis, seu novus Orbis cum Insulis Philippinis et Molucchis, et universis Insulis Maris Oceani, et navigatoris Hispanorum.

4. Sub Collectore Portugalliae:

Lusitania, Regio Brasiliensis, Indiae Orientales et Univera Oceani Maris Ora, et Insulae navigatoris Lusitanorum.

5. Sub Nuncio apud Belgas qui facilius per tractum Maris agere poterit in Dania, quam Nuncii Germaniae:

Belgium universum, in quo et provinciae Foederatae, Anglia, Hibernia, Dania, Norvegia (f. 4.).

6. Sub Nuncio Coloniensi:

Tractus Rheni usque ad Alsatiam, Vuestphalia, Hussia, Franconia, Saxonia universa, Bransuich Ducatus.

7. Sub Nuncio apud Caesarem.⁷ Nuncius Graecensis⁸ amovebitur, ideoque Carinthia, et Stiria Nuncio Caesareo subiiciuntur:

Germania reliqua, Carinthia, Stiria, Hungaria, Transilvania, Vallachia, Moldavia.

8. Sub Nuncio Poloniae:

Polonia universa, Russia, Podolia, Lituania, Livonia, Prussia, Pomerania, Svetia, Gothia, Finlandia, Biarmia, Ducatus de Smolensco, Moscovia.

⁷ Primus Secretarius S. C. de Prop. Fide nominatus erat sacerdos ravennatensis, Franciscus Ingoli (1622-1649). Natus 21-XI-1578, studuit Paduae, ubi lauream obtinuit 27-V-1601 in utroque iure. Scripsit discursum contra systema Copernicii an. 1616, cui respondit G. Galilei. Obiit 29-IV-1649. Sepultus in ecclesia S. Andreae in Valli (Romae).

⁸ Agitur de oppido Gratz in Austria, ubi tunc temporis etiam Pontificium Collegium aderat.

9. Sub Nuncio Helveticorum, cui propinquiora sunt et ad res gerendas opportuniora ea loca Germaniae, quam aliis Nunciis:

Helvetia, Vallenses, Rhaetia universa, Alsatia universa cum Suntgovia, et Biesgovia, Comitatus Burgundiae, ducatus Virtembergensis, Svevia.

10. Sub Nuncio Venetiarum:

Goritia, Carsum, Carniola, Nistrina, Dalmatia, Sclavonia, Croatia, Bosnia, Albania, Insulae Corcirca, Zacynthos, Cephallonia, Creta, Sina.

11. (f. 5) Sub Vicario Patriarchae Constantinopolitani⁹: Graecia universa cum insulis Maris Aegaei, Asia minor, seu Natolia, seu Romania, Thracia, Macedonia, Scotia, Bulgaria, Ruscina, Servia, apud Pontum Euxinum, Sagora, Sinfra, Palus Meotis vulgo Mare delle Zabacche, ubi Cafà, olim celebre emporium, ibique hodie quoque reliquiae Christianorum ritus latini degunt, Scythia universa, seu Tartari Praecopenses, et magni Chami.

12. Sub aliquo Vicario Patriarchae Hierosolimitani, seu Antiochaeni, et complures etiam constitui poterunt, et praesertim Guardianus Fratrum Minorum de Observantia Urbis Hierusalem:

Syria vel Palestina, Mons Libanus cum Maronitis, Armenia, Mesopotamia, Persia cum sinu Persico usque ad India, Albani, seu Geogiani inter Pontum Euxinum, et Mare Caspium, Arabia.

13. (f. 5v) Sub aliquo Vicario Patriarchae Alexandrini, Alexandriae, vel alibi praeficiendo. In rebus autem Africae, seu Barbariae, opera Nuncii Neapolitani, et Inquisitoris Melitensis adhiberi poterit:

Aegyptus, ubi Cophti, Africa, quae vulgo Barbaria dicitur, Abissinorum Regio, Aethiopia, Mauritania, Mare Rubrum.

Deinde divisae Provinciae, fuerunt assignatae Cardinalibus Congregationis, ut sequitur.

Saulio Tractus Rheni, et caetera ut in n. 6. Et pro eo Zollereno propter eius impedimenta.

Farnesio Belgium, et caetera, ut in n. 5.

Bandino Polonia, et caetera, ut in n. 8.

De Sourdis Gallia, et caetera, ut in n. 2.

Barberino Graecia, et caetera, ut in n. 11.

Millino Lusitania, et caetera, ut in n. 4.

Borgiae Hispania, et caetera, ut in n. 3.

Ubalduino Syria, et caetera, ut in n. 12.

Sanctae Susannae Helvetia, et caetera, ut in n. 9.

Valerio Goritia, et caetera, ut in n. 10.

Zollerano Germania, et caetera, ut in n. 7.

Ludovisio Italia, et caetera, ut in n. 1.

Sacrato Aegyptus, et caetera, ut in n. 13.

3. Cum relatae fuissent per Cardinalem Ludovisium Sanctissimo, quae fuerunt consideratae in praecedenti Congregatione circa applicationem reddituum faciendam Sacrae Congregationi, placuit Sanctitati Suae sententia a Cardinali Sanctae Susan-

⁹ Ritus Latini, Constantinopoli residentis.

nae, et de facto eidem applicavit (f. 6) pecunias Anuli Cardinalitii, quae ascendunt ad summam ducatorum 500 de Camera pro quolibet Cardinali.

Cum autem huiusmodi pecuniae solvantur solum post mortem ab haeredibus Cardinalium defunctorum, placuit Patribus quoad Cardinales iam creatos servari antiquam consuetudinem, nisi ob urgentes S. Congregationis necessitates praedictas pecunias de praesenti solvere fortasse vellent, prout voluerunt Cardinales, qui in ipsa Congregatione intervenerunt, subscripta apocha promissionis in eadem congregatione per me confecta, et inter eos Cardinalis Ludovisius pro summa duplicata se obligavit, hoc est pro ducatis mille de Camera. Quo vero ad futuros Cardinales placuit decernere, si Sanctissimus id probaret, ut pecuniae Anulorum in die, quo creantur, per eos solverentur.

4. Fuit per R. Patrem Dominicum scuta 60 in tot monetis aureis delata in S. Congregatione, tacito Donatoris nomine. Cuius pecuniae occasione, cum de Depositario Congregationis verbum factum esset, unanimi Patrum consensu Mons Pietatis fuit depositarius designatus. Interim tamen d. 60 scuta fuerunt consignata R. mo Vives.

5. Fuerunt lectae variae litterae, et memorialia, ad quae responderunt, ut in libro et Registro S. Congregationis habetur.

Tandem decreta fuit nova Congreg. pro sequenti die Dominico.

3.

Roma, 5 . XI . 1622.

S. Congregatio de Prop. Fide statuit, ut designetur Visitator pro Ecclesia Unita.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 20, nr. 4.

CONG. 18 — Die 5. Nov. 1622 (f. 19v).

Fuit Congregatio Quirinali Palatio coram S. mo D. N. Gregorio XV, et fuit prima coram Sanctitate Sua, iuxta ipsius Constitutionem super erectione Congregationis de Propaganda Fide emanatam, qua iussit, ut semel in mense in praesentia Papae haberetur Congregatio.

In ea intervenerunt ipse Pontifex, et Cardd. Congregationis, praeter Farnesium et Surdium, absentes, R. mi Praelati Vives, et Agucchius, R. Pater Dominicus, et ego Secretarius.

S. mus sedebat sub baldachino, Cardinales etiam in scabellis ligneis ad dexteram, et ad sinistram Pontificis, Praelati autem et R. Pater Dominicus stabant post terga Cardd. sedentium ad dexteram P... geneflexus manebam apud scabellum in fine dextri Ordinis Cardd. positum.

Cardinalis Bandinus¹⁰ ex relationibus Poloniae¹¹ ea retulit, quae ad Unionem Ruthenorum cum Catholica Ecclesia pertinebant, et cum huiusmodi negotium multas haberet difficultates, visum fuit S. mo, et Patribus, ut deputaretur Visitator ad Episcopos ruthenos unitos, ad melius stabiliendam Unionem, quae temporibus Clem. 8. peracta fuit.

¹⁰ Card. Bandini Octavius, florentinus, ab anno 1596 cardinalis praesbyter S. Sabinae, Episcopus Ostiensis ab anno 1626, et Decanus Sacri Collegii Cardinalium. Obiit Romae an. 1629, anno vitae 71. De illo dicebatur uti de « vecchio venerando », « delizio del S. Collegio » (cfr. MORONI, *Dizionario*, vol. 4, col. 90-92).

¹¹ « Relationes Poloniae » occasione foundationis S. C. de Prop. Fide factae, quas S. C. in sua prima sessione transmitti iussit (cfr. supra, nr. 1, die 14-I-1622). - Cfr. *Collectanea*, vol. I, 1.

4.

Roma, 6 . XII. 1622.

*Quaestio de conservando Ritu Graeco in aliam congregationem remittitur.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3 fol. 22, nr. 3.

CONG. 20 — Die 6 Dec. 1622 (f. 22).

Fuit Congregatio in Palatio Apostolico Sancti Petri coram Sanct.mo, in qua intervenerunt omnes Patres praeter Card. Borgiam.

Card. Badinus retulit negotium Unionis Ruthenorum, et fuit discussa illa quaestio, an expediret Ruthenos paulatim ad romanum ritum deducere, an viceversa conservare Unionem Ruthenorum, factam a Clem. 8., ut videlicet in ritu graeco permanerent; Et cum Cardinales Bandinus et Barberinus,¹² et ipsemet S.mus inclinarent in hanc 2dam sententiam, et R.mus Agucchius, et ego dixissemus Archiepiscopum Leopoliensem¹³ contrariam sententiam tueri rationibus, et experimentis idemque nonnullos alios Episcopos polonos asserere, negotium fuit remissum ad aliam Congregationem.

5.

Roma, 10 . I . 1623.

*De Brevibus commendatitiis transmittendis pro Metropolita Kioviensi et de executione Brevis de eius praecedentia.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 25, nr. 2.

CONG. 22 — Die 10 Jan. 1623 (f. 25).

Fuit Congregatio in Palatio Apostolico Vaticani coram Sanct.mo, in qua intervenerunt omnes Patres Cardinales, Bandino, et R.mo Agucchio exceptis.

Loco D. Card. Bandini retuli libellum supplicem Archiepiscopi Chioviensis Ruthenorum,¹⁴ qui oppressiones a Schismaticis sibi Episcopisque suis Sedi Apostolicae unitis factas et in praesentiarum imminentes exponens, petebat Brevia commendatitia ad Regem Poloniae, et ad Episcopos latinos, quae libentissime a S.mo fuere con-

¹² Cardinalis Barberinus Maffeo, florentinus, postea Urbanus VIII (1623-1644). Educatus in Collegiis Soc. Jesu, poeta, latinista, fautor artium et literarum. Sub Clemente VIII Nuntius Apost. in Vestfalia, deinde in Gallia (sub Paulo V), denique Legatus Apostolicus Bononiae. Electus in Summum Pontificem die 6-VIII-1623, post mortem Gregorii XV, anno vitae suae 57, obiit vero mense Julio an. 1644, anno vitae suae 78. Ecclesiae Unitae vere favebat et operibus suis demonstravit. Eius famosum dictum: « Per vos, mei Rutheni, Orientem convertendum spero » devenit programma Ecclesiae (cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII).

¹³ Archiepiscopus Leopoliensis an. 1622 fuit Joannes Andrea Próchnicki (1614-1633), antea Ep. Camenecensis (1607-1614). S. Congregatio responsum ei dedit et gratias egit die 19 decembris 1622 (cfr. *Lettere latine*, vol. I, fol. 10rv).

¹⁴ Josephus Velamin Rutzkyj, Metropolita Kioviensis totiusque Russiae (1613-1637). Alumnus Collegii Graecorum de Urbe, Basilianus, Ep. Haliciensis et Coadiutor Metropolitanae Hypatii Potij (1600-1613). Cfr. A. G. WELYKYJ, *Joannes Velamin Rutzkyj « in exitu viarum »* in « *Analecta OSBM* » Ser. II, Sec. II, vol. I, 1, p. 9-38): - A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat - Hieromartyr*, vol. I, Romae 1952, p. 5, nota 1, et sq.

cessa. Deinde petebat Decretum¹⁵ factum a Congregatione Rituum ad sui favorem, contra Suffraganeum Vilnae¹⁶ pendentem praecedentiam, executioni demandari, et S.mus iussit expediri Breve classis extinctionis litis, et appellatione remota.

6.

Roma, 23 . V . 1623.

*De Seminario in Russia erigendo informationes diversae a Nuntio Apostolico expuntur.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 40v-41, nr. 2.

CONG. 31 — Die 23 Maii 1623 (f. 40v).

Fuit Congregatio in Quirinali Palatio coram Sanctissimo, in qua omnes Patres in Curia praesentes intervenerunt, praeter R.mum Vives.

Cum idem D. Cardinalis Bandinus libellum supplicem Chioviensis Archiepiscopi (f. 41) Uniti retulisset, in quo narrata operariorum penuria in Ecclesia Ruthena, et explicato fructu maximo, qui ab Operariis, si in ea adessent, perciperetur, Seminarium in Russia erigi petebat, et Alumnorum Ruthenorum numerum in Collegio Graeco Romano augeri. S.mus quoad primam partem petitionis respondit convenientissimam quidem esse Seminarii erectionem, sed in praesentiarum deliberari non posse, quia sufficientes non habentur informationes de loco, ubi utilius, et cum minori dispendio erigi poterit, de redditibus, qui haberi poterunt ab Episcopo unitis, vel aliis Ruthenis divitibus, vel denique ab unione aliquorum beneficiorum Regni Poloniae, et postremo de aliis multis, quae in Seminariorum fundatione necessario sunt consideranda, et propterea de huiusmodi negotio Nuncio Apostolico prius scribendum esse, ut post habitam eius relationem rectius, et melius decerni de eo possit. Quoad 2dam partem numerum Alumnorum Ruthenorum in Collegio Graeco Romano ad alios duos augere iussit.

¹⁵ Decretum S. C. Rituum de data 22.VIII.1620, confirmatum in forma sollemni 20-III-1623. Cfr. R. DE MARTINIS, *Iuris Pontif. de Prop. Fide, Pars. I: Bullae, Brevia, Acta...*, v. I, Romae 1888, p. 17-18.

¹⁶ Suffraganeus Vilnensis tunc temporis erat Abrahamus Wojna; nat. 1569, nomin. Ep. tit. Methonensis et Suffrag. Vilnensis an. 1611, temporibus Benedicti Wojna (1600-1615), Episcopi Vilnensis, eius consanguinei; ab anno 1627 Ep. Samogitiae, dein anno 1630 translatus fuit ad Sedem Vilnensem, in qua obiit 12.III.1649. Iudicia de eius persona discordant; Nuntius Honoratus Visconti negativam de eo habuit opinionem (cfr. *Encyklopedyja Povszeczna*, vol. XXVII, p. 643-44).



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

URBANUS PP. VIII
(6. VIII, 29. IX. 1623 — 29. VII. 1644)

florentinus
(Maffeo Barberini)

ACTA S. C. de PROPAGANDA FIDE TEMPORE URBANI VIII
(1623 - 1644)

7.

Roma, 22 . I . 1624.

De impedimentis Unionis et de Brevibus commendatitiis ad Regem aliasque personas ecclesiasticas et saeculares in Polonia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 85v, nr. 11.

CONG. 8 — Die XXII Januarii 1624 (f. 83v).

Fuit Congregatio in Palatio Cardinalis Bandini, cui interfuerunt omnes Cardinales in Curia praesentes, praeter Borgiam, et Barberinum, et omnes Praelati praeter Vives, et cum eis R. P. Dominicus, qui retulit scuta 40, S. Congregationi donata.

Referente Card. Bandino impedimenta, quae Unioni Ruthenorum, et unitis Russiae Episcopis a Shismaticis, Cosachis, et latinis Episcopis in dies praebentur, et remedia, quibus eis recurri potest, Sac. Congr. R.mo D. Magalotto mandavit, ut Brevia commendatitia ad Regem Poloniae, Episcopos Luceoriensem, Vilnensem, Premisliensem, Chelmensem, et Camenecensem, Latinos, et ad Duces Georgium, et Christophorum Zbaraschi,¹⁷ fratres, iuxta instructionem ei a Secretario traditam, a S.D.N. postulet, eundemque S.mum roget, ut eandem Unionem, et unitos Episcopos Poloniae Internuntio¹⁸ commendare dignetur, curareque per eundem Internuntium, iuxta eandem instructionem quamprimum scribi ad Regem, et ad alios, quos Unioni, et unitis Episcopis adiumento futuros esse ipse arbitrabitur.

8.

Roma, 7 . II . 1624.

Relatio de martyrio Josaphat, Archiepiscopi Polocensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 88, nr. 10.

A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis*, vol. 1, p. 24, nr. 8, Romae 1952.

¹⁷ Brevia scripta fuerunt die 10.II.1624. - Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat - Hieromartyr*, vol. I, Romae 1952, p. 24-33.

¹⁸ Agitur, ut videtur, de Nuntio Francisco B. Lancellotti, Episcopo Nolano, qui iam die 2.XII.1622 in Poloniam nominatus erat, fortasse anno 1624 adhuc titulo Internuntii Romae condecorabatur. In hoc officio permansit usque ad 16.IV.1627. Venit Poloniam mense Maio 1623. Unioni Ecclesiasticae favebat. (cfr. *Encyklopeǎyja Powszechna*, vol. XVI, p. 672-673).

CONG. 9 — Die 7. Februarii 1624 (f. 86v).

Fuit Congregatio coram San. mo cui interfuerunt sex Cardinales tantum, omnesque Praelati, et R. P. Dominicus, qui retulit scuta 62 a Nuntio Hispaniarum, et ungheros viginti, ab Oratore Salsburgensi Sacrae Congregationi donata, et litteras cambii pro scutis 300, ad Ministros Regios Neapolitanos ab Excellentissimo Catholici Regis Oratore, Duce de Pastrana, pro eadem Congregatione datas.

Ex litteris Nuntii Poloniae retuli Schismaticos ruthenos Archiepiscopum Polocensem, Unitum, crudeliter in eius domo cum parte ipsius familiae interfecisse, corpusque illius vestibus exutum, quod aspero cilicio tectum invenire, per vias Civitatis traxisse, tandemque in flumen Dunam, repleto saxis cilicio, proiecisse, quam traegodiam Ill. mi Patres magnopere luxerunt, et S. mus iussit, ut ad Regem Poloniae Breve scriberetur, quo hoc facinus ita exprobraretur, ut Rex sumptis de homicidis saeveritus poenis aliis Schismaticis, ne ad crimina similia perpetranda prolaberentur, exemplum praeberet terrificum.

9.

Roma, 7 . II . 1624.

Decretum S. C. de prohibitione transitus ex Ritu Rutheno ad Riturum Latinum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 88v-89, nr. 13.

Febr. 7.

Ad relationem eiusdem Cardinalis circa transitus Ruthenorum ad latinum ritum, S. mus decrevit, ut infra.

Ad conservandam pacem, et concordiam inter Ruthenos unitos, et ob alias gravissimas causas, S. mus in Cristo P. et D.N.D. Urbanus divina providentia Papa octavus de consilio et assensu Ven. Fratrum suorum, S.R.E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide, decrevit, ne de caetero Ruthenis unitis, sive laycis, sive ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus, et praesertim Monachis Sancti Basilii ad latinum ritum, quacunque de causa etiam urgentissima, sine speciali Sedis Apostolicae licentia transire liceat, et proinde omnibus Archiepiscopis, Episcopis, et Officialibus Ruthenorum unitorum districte praecipiendo mandavit, ne deinceps licentias pro (f. 89) huiusmodi transitu subditis suis cuiuscunque gradus, et conditionis existent concedere praesumant, et Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis latinis, et eorum Officialibus, ne Ruthenos praedictos unitos, ad latinum ritum transire volentes quovis praetextu, aut causa, etiam cum licentia Ruthenorum Praelatorum suorum, recipere audeant sub poena nullitatis actus, et aliis arbitrio Sanctitatis Suae et Romanorum Pontificum, Successorum suorum, transgressoribus infligendis. Non obst.

10.

Roma, 7 . II . 1624.

De approbatione dispensationis observandi ieiunia Latinorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 89, nr. 14.

Febr. 7.

Ad eiusdem Card. relationem de praxi quadam Ruthenorum Praelatorum unitorum S. mus rescripsit ut infra.

Petenti Archiepiscopo Chioviensi, an praxis, qua Rutheni uniti cum suis subditis, latinis Dominis inservientibus, dispensant, ut dum in eo servitio permanent, possint festa celebrare iuxta Kalendarium Gregorianum, et si propriam culinam non habeant, ieiunia Latinorum servare, esset legitima? Sanctissimus de consilio, et assensu S. C. de Propaganda Fide respondit praxim praefatam, quoad causam dispensationis, esse legitimam, et ideo Archiepiscopis, et Episcopis ruthenis unitis hanc dispensandi cum suis subditis facultatem praefata ex causa concessit.

11.

Roma, 27 . II . 1624.

De approbatione Decreti « de non transitu » et modo eius promulgationis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 90, nr. 1.

CONG. 10 — Die 27 Februarii 1624.

Fuit Congregatio in Palatio Cardinalis Bandini, cui interfuerunt Cardinales quinque, Praelati duo, et P. Dominicus, qui scuta 50 retulit, Sacrae Congregationi donata a persona quae nominari noluit.

In ea, primo, Decretum de prohibito transitu Ruthenorum ad latinum ritum,¹⁹ quod iussu S. mi per manus transmiseram, fuit approbatum, hoc addito, ut antequam Poloniam illud mitterem, Cardinali de Torres ostenderem, et quid de eo ipse sentiret, exquirerem; quod cum fecissem, et die prima Martii S. mo retulisset, Cardinalem praedictum commendasse Decretum, et ut facilius executioni demandari posset dixisse Nuntio Poloniae scribendum esse, ut ante illius publicationem Regi, et Gnesnensi Archiepiscopo negotium communicaret, Sanctitas Sua ita fieri praecipit.

12.

Roma, 26 . III . 1624.

Relatio epistulae P. Gutkiewicz de duobus miraculis in morte Archiepiscopi Polocensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 97rv, nr. 9.

A. G. WELYKYJ, OSBM, S. Josaphat-Hieromartyr, vol. 1, p. 36, nr. 22, Romae 1952.

CONG. 12. — Die 26 Martii 1624 (f. 96).

Fuit Congregatio in Palatio Cardinalis Bandini, cui interfuerunt septem Cardinales in Curia praesentes, duo Praelati, et R. P. Dominicus, qui retulit scuta quadraginta Sac. Congregationi donata.

Ex literis Patris Michaelis Gutkiewicz, Societatis Jesu, datis Vilnae die 7 Januarii, praesentis anni, duo prodigia, seu miracula sacrae Congregationi significavi, quorum alterum est, quod corpus Archiepiscopi Polocensis, Rutheni uniti, a Schismaticis interceptum, proiectum in flumen Dunam, ut (f. 97v) supra dictum est, fuit inventum inditio columnae lucidae, quae per quinque dies supra locum, ubi erat sanctum corpus, con-

¹⁹ Decretum de « non transitu ad latinum ritum » discussum fuit in sessione S. C. die 7.II.1624 (cfr. supra, nr. 9). Postea per duo quasi lustra hac de re tractabatur, quia Rex Poloniae publicationem Decreti prohibuit. Cfr. infra in diversis locis praesentis voluminis, secundum Indicem nominum et rerum.

stiterat; alterum est, quod puer biennis, qui nunquam antea locutus fuerat, nec postea locutus est, eadem fere hora, qua Archiepiscopus interfectus fuit, haec verba protulit: ecce nunc perimitur is, qui Vitepscensem Ecclesiam fundavit.

13.

Roma, 17 . IV . 1624.

Statuitur, ut disseminaretur inter populos Ecclesiae Orientalis confutatio Catechismi Cyrilli Constantinopolitani.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 101rv, nr. 16.

CONG. 13 — Die 17 Aprilis 1624 (f. 98v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales in Curia praesentes, duo Praelati, et R. P. Dominicus, qui retulit scuta centum, Sacrae Congregationi donata a persona quae noluit nominari.

Pro tota Ecclesia Orientali Graeca fuit factum infrascriptum Decretum videlicet: Ut malis, quae ex perniciosissimo Catechismo Calvinianae haeresis (f. 101v) referto, a Cyrillo²⁰ Patriarcha Constantinopolitano edito, orientalibus Graeciae populis accidere possunt, provideatur.

S. mus D. N. Urbanus VIII in Congregatione de Propaganda Fide mandavit confutationes Catechismi praedicti a Patre Andrea, Rectore Collegii Graecorum Urbis, elaboratas, imprimi simul cum doctrina christiana Cardinalis Bellarminii²¹ in linguam vulgarem graecam translata, easque cum praedicta doctrina in praefatos populos disseminare.

14.

Roma, 17 . IV . 1624.

De missione quattuor Carmelitarum Discalceatorum ad Metropolitam Kioviensem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 102, nr. 19.

Apr. 17.

Petente Archiepiscopo Chioviensi quattuor Carmelitanos Discalceatos ad instruendos monachos Sancti Basilii, sibi subditos, tam in scientiis quam in disciplina regulari, hac conditione adiuncta, ut dictis Carmelitanis liceret ritu graeco celebrare, et habitum dictorum Monachorum sumere, Sanct. mus decrevit, ut infra.

²⁰ Cyrillus Lukaris I, septies fuit Patriarcha Constantinopolitanus. Prima vice 1612, postea vera annis: 1621-1623, 1623-1630, 1630-1633, 1633-1634, 1634-1635, 1637-1638.

²¹ Cardinalis Robertus Bellarminus. Nat. 4.X.1542, anno vitae 18 Soc. Jesu ingressus est. Scriebat postea opera apologetica et polemica Romae, ubi an. 1592 fungebatur officio Rectoris Collegii Romani; postea Provincialis Neapoli. Romam reversus an. 1599 nominatus est Cardinalis, et aliquos post annos translatus ad Sedem Archiep. Capuanam (1602-1605), quo tempore scripsit « Christianae doctrinae explicatio », quae in omnes fere linguas Europae traducta fuit. Scripsit plurima alia opera polemica, historica, apologetica, ascetica. Obiit 17.IX.1621. Iam fere ab ipsa eius morte multi instabant pro eius canonizatione; postea saec. XVIII ob persecutionem Soc. Jesu negotium hoc fuit ad tempora meliora postpositum. Tandem Pius XI Bellarminum Catalogo Sanctorum adscripsit die 29.VI.1930.

Sanct. mus mandavit deferri scripturas ad huiusmodi negotium pertinentes factas, tempore Clementis 8ⁱ, Ill. mis DD. Cardinalibus Bandino, Millino, et Sanctae Susannae, ut illis inspectis, consideratisque rationibus petitioni Archiepiscopi Chioviensis adversantibus, de ipso negotio maturius referre possint in congregatione coram Sanctitate Sua habenda.

15.

Roma, 17 . IV . 1624.

Relatio litterarum Nuntii Poloniae de supplicio in parricidas Vitepscenses.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 102, nr. 20.

A. G. WELYKYJ, OSBM, S. Josaphat - Hieromartyr, vol. i, p. 38, nr. 25.

Apr. 17.

Recitatae sunt literae Nuntii Poloniae,²² in quibus continebatur supplicium, quod iustissime Rex Poloniae de interfecto Josaphat, Archiepiscopi Polocensis uniti, sumpsit; illud autem fuit, quod duo cives Vitepscenses, qui ut corpus Archiepiscopi in flumen Duna mergeretur auctores extiterunt, post abscissas eis manus in loco delicti in quatuor partes secti sunt, sexdecim ex complicibus capita amputata, aliique sexaginta, qui fugam arripere, eadem poena damnati, et, bonis fisco applicatis, proscripti fuerunt; Urbs Vitepscensis privata fuit ministeriis et campanis, quod hae pluri a Ruthenis aestimentur. S. mus autem et Patres his auditis magna laetitia repleti sunt, iusseruntque gratias Regi Poloniae quam maximas, et per Breve²³ nomine Sanctissimi, et per literas nomine Congregationis²⁴ agi; nam hoc supplicio (f. 102v) Schismaticorum audacia in Ruthenos unitos satis reprimi posse arbitrati sunt.

16.

Roma, 17 . IV . 1624.

Recitatur relatio de Moscovia et de necessitate Seminarii.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 102v, nr. 21.

Apr. 17.

Cardinalis Bandinus relationem Moscoviae recitavit, et cum ad propagandam fidem in eo Regno necessarium esse Seminarium ex ea relatione ostenderet, nihil fuit rescriptum.

17.

Roma, 30 . IV . 1624.

De missione Alumnorum Ruthenorum laycorum ad Collegium Graecorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 104v-105, nr. 3.

²² De data 22.II.1624. - Cfr. A. G. WELYKYJ, S. Josaphat - Hieromartyr, vol. I, Romae 1952, p. 34-35, nr. 20.

²³ Breve ad Regem Poloniae datum fuit die 11.V.1624. - Cfr. IBIDEM, p. 46, nr. 34.

²⁴ Epistula S. C. sub data 20.IV.1624. - Cfr. IBID., p. 39, nr. 26.

CONG. 14 — Die 30 Aprilis 1624 (f. 103v).

Fuit Congregatio in Palatio Cardinalis Bandini, cui interfuerunt quatuor Cardinales tantum, et R. mus Montius solus.

Petenti Archiepiscopo Chioviensi, an sibi liceret ad Collegium Graecum Urbis laycos Alumnos ex Russia mittere, Sacra Congregatio censuit, licere dummodo eos eligat, qui, vita et moribus probati, possint in Russia fidei propagationi, aut conseruationi prodesse; nam decretum sub Gregorio XV (f. 105) factum die 23 Maii, anni praeteriti,²⁵ ut indiffinitum tam ecclesiasticos quam laycos Alumnos complectitur.

18.

Roma, 30 . IV . 1624.

Litterae commendatitiae ad Episcopum Vlnensem de erectione Seminarii in Russia.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 105, nr. 4.

Apr. 30.

Pro eodem Archiepiscopo decretae fuerunt litterae Episcopo Vlnensi,²⁶ quibus rogabatur, ut erectioni Collegii in Russia pro Ruthenis unitis tam apud Regem Poloniae, quam apud Regni Proceres faveret, ut facilius per contributiones Collegium praefatum a Sanct. mo, et a Sacra Congregatione erigi possit.

19.

Roma, 30 . IV . 1624.

Eadem privilegia pro Clericis Ritus Rutheni ac pro iisdem Ritus Latini probantur et Nuntio commendatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 105, nr. 5.

Apr. 30.

Ad eiusdem Archiepiscopi petitionem Sacra Congregatio declaravit sacerdotes et clericos ruthenos unitos eisdem privilegiis, canonis videlicet, fori, immunitatis, et libertatis gaudere, quibus sacerdotes, et clerici latini gaudent, et potiuntur, iussitque scribi Poloniae Nuntio, ut eos in praefatorum privilegiorum usum restitui, vel in eo manuteneri, nisi aliquid quod obstat rescribere ad Congregationem habeat.

20.

Roma, 30 . IV . 1624.

Relata in S. C. morte Archiep. Polocensis statutum fuit, ut Litterae Remissoriales pro Processu super vita et morte Servi Dei Josaphat conficiendo a S. C. Rituum dari procurrentur.

²⁵ Cfr. supra, nr. 6.

²⁶ Episcopus Vlnensis an. 1624 erat Eustachius Wołłowicz (1615-1630). Ex antiqua nobili familia Ritus Rutheni. Ex Abbate Lubicensi nominatus est Ep. Ritus Latini Vlnensis an. 1615. Obiit die 9.I.1630.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 105rv, nr. 6.

A. G. WELYKYJ, OSBM, S. Josaphat - Hieromartyr, vol. I, p. 39-40, nr. 27.

Apr. 30.

Cum vitam sanctissimam, et mortem acerbissimam R. P. M. Josaphat Archiepiscopi Polocensis ob deffensionem Primatus Ecclesiae Romanae a Schismaticis interfecti, per manus transmissas legissent Patres,²⁷ placuit omnibus, ut a S. mo Breve peteretur, quo Nuntio Poloniae committeretur, ut per se, vel alios ab eo deputandos processum de vita, et morte, et causa mortis praedicti Archiepiscopi iuxta instructionem cum Breui mittendam conficeret, Romamque in authentica forma transmitteret, ne res tanti momenti ab universa Ecclesia ignoraretur, et memoria tanti viri, imitatione dignissimi, temporum iniuria, oblivioneque periret.

Idem Decretum factum fuit pro fratre Fideli Sigmaringano, Capuccino, qui Veldkirchii Guardianus, et Missionarius in Rhaetia existens ab Haeticis Petragoriensibus interfectus fuit die 24 Aprilis anni praeteriti, et iam miraculis apud illas gentes claret, hac sola inter praesens et praecedens Decretum intercedente differentia, quod Breve pro Patre Fideli dirigendum est ad Nuntium Helveticum, in cuius Nuntiatura dictus Frater occisus fuit.

Cum autem Brevia praefata petissem a S. mo die 5 Maii seq. Sanctitas sua, Decreta Congregationis confirmans, mandavit Brevia per R. mum Vulpium expediri.

21.

Roma, 31 . V . 1624.

Statuitur missio quattuor Carmelitarum ad Metropolitanam Kioviensem cum facultate vitam secundum Ritu Graecum ducere.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 107v-108, nr. 1.

CONG. 15 — Die 31 Maii 1624 (f. 107v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo cui interfuerunt quinque Cardinales, R. mus Montius, et R. P. Dominicus, qui retulit scuta centum Congregationi donata.

In ea primo, referente Card. Bandino, iustissimam visam fuisse Cardinalibus Milino, Sanctae Susannae, et sibi Metropolitanae Russiae petitionem eorum examini in alia Congregatione commissam, Sanctissimus in Christo P. et D. N. D. Urbanus divina providentia Papa octavus de consilio, et assensu Venerabilium Fratrum suorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationi de Propaganda Fide, Generali Carmelitarum Discalceatorum²⁸ districte praecipiendo mandavit, ut ad reformandos monachos Sancti Basilii ruthenos, Unitos, quatuor ex Carmelitis suis, linguam polonicam, vel ruthenicam callentibus, morum honestate, doctrina, (f. 108) regularique disciplina praestantibus quamprimum ad Metropolitanam praefatum mittat, quibus Sanctitas Sua, ut eorundem monachorum S. Basilii habitum suscipere, ac gestare, eorumque

²⁷ Agitur hic de famosa « relatione » Josephi Velamin Rutskyj, de qua cfr. A. G. WELYKYJ, S. Josaphat..., vol. I, p. 8-16, nr. 3. - Cfr. etiam alias adnotationes ad praesens documentum, *Ibid.*, p. 40.

²⁸ Superior Generalis Carmelitarum Discalceatorum tunc temporis erat R. P. Simeon a Jesu e Maria (1623-1626), reelectus an. 1632-1635 et 1641-1643. Natus an. 1571, obiit an. 1643.

ritum graecum catholicum una cum ipsis monachis observare possint, indulset, donec peracta reformatione cum licentia eiusdem Congregationis ad suam revertentur Religionem. Non obstante constitutione Pii V et aliis quibuscunque in contrarium facientibus, quibus pro hac vice dumtaxat derogavit.

22.

Roma, 31. V. 1624.

Erectio Seminarii in Russia et missio in Vallachia res sunt coniunctae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 110, nr. 8.

Maii 31.

Idem Cardinalis Zolleranus recitavit Vallachiae relationem, et quia negotium ad erectionem seminarii Ruthenorum redigebatur, Sanctissimus iussit expectari litteras Nuntii Poloniae, ad quem Sacra Congregatio de huiusmodi negotio scripserat.

23.

Roma, 31. V. 1624.

Sanctissimus statuit signaturam Brevium pro conficiendo Processu super vita et morte Servi Dei Josaphat.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 112v-113, nr. 26.

A. G. WELYKYJ, OSBM, S. Josaphat - Hieromartyr, vol. 1, p. 48, nr. 37.

Maii 31.

Et ultimo post Congregationem, antequam S. mus discederet, Ill. mus Cardinalis Bandinus totius Congregationis nomine a Sanctitate Sua instantissime petiit, ut supplicationes, quas pro conficiendis processibus super vita, morte, et miraculis (f. 113) P. M. Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Rutheni uniti, a Schismaticis ob defensionem Primatus Ecclesiae Romanae in Urbe Vitepsci interfecti, et p. m. Patris Fidelis, Capuccini, Veldchirchii Guardiani, ab Haereticis ob fidem catholicam in Rethia occisi, D. Felicianus de Paulis, Congregationis Minister, B. Suae exhibiturus erat, signare dignaretur; Sanctitas Sua hilari vultu, commendato Congregationis studio in viros, catholicae fidei defensores, petitionem uti iustissimam admisit, et supplicationes, statim cum offerrentur, signare promisit.

24.

Roma, 7. VII. 1624.

Restrictio Decreti « de non transitu » ad solos Clericos ob oppositionem Regis Poloniae: Decretum vero de ieiuniis sine promulgatione practicari posse statutum est.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 121rv, nr. 25.

CONG. 17 — Die 7 Iulii 1624 (f. 116).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo cui interfuerunt quinque Cardinales in Curia praesentes, omnes Praelati, et Pater Dominicus, qui detulit scuta 40 Congregationi donata.

Referente eodem Cardinali rationes, quas Nuntius Poloniae significabat a Rege opponi publicationi Decretorum de transitu Ruthenorum ad ritum latinum,²⁹ et de facultate dispensandi in ieiuniis,³⁰ concessa ruthenis Episcopis, de quibus latius in litteris eiusdem Nuntii sub die 31 Maii 1624 habetur, S. mus iussit Decretum de transitu restringi ad ecclesiasticos, et confessarios, et praesertim Patres Jesuitas commoneri, ne amplius animos Ruthenorum ad amplectendum ritum latinum tanta cum diligentia sollicitent. Decretum autem secundum praedictam restrictionem est, quod sequitur.

Ad conservandam pacem, et concordiam inter Ruthenos unitos, et ob alias gravissimas causas, S. mus in Christo Pater, et D. N. D. Urbanus divina providentia Papa 8., de consilio, et assensu Venerabilium Fratrum suorum, S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide, decrevit, ne de caetero praesbiteris, et aliis ad latinum ritum quacumque de causa, etiam urgentissima, sine speciali Sedis Apostolicae licentia transire liceat, et proinde omnibus Archiepiscopis, Episcopis, et Officialibus Ruthenorum unitorum districte praecipiendo mandavit, ne deinceps licentias pro huiusmodi transitu subditis suis in ordine ecclesiastico constitutis, aut Sancti Basilii Regulam profitentibus concedere praesumant, et Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Praelatis latinis, etiam Regularibus, ac eorum Officialibus, ne eos ad ritum latinum transire volentes (f. 121v) quovis praetextu, aut causa, etiam cum licentia Ruthenorum Praelatorum suorum recipere audeant sub poena nullitatis actus, et aliis arbitrio Sanctitatis Suae, et Romanorum Pontificum, Successorum Suorum, transgressoribus infligendis. Non obstantibus.

Decretum vero ieiuniorum mandavit per Metropolitam et Episcopos ruthenos sine publicatione caute practicari.

25.

Roma, 7. VII. 1624.

Petitio Metropolitae de Coadiutore sibi concedendo probatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 121v, nr. 26.

Jul. 7.

Referente eodem Ill. mo Card. Bandino petitionem Domini Josephi Velamini, Chioviensis Metropolitae Ruthenorum unitorum, cupientis sibi Coadiutorem cum futura successione assumere ex causis, quae in precibus per eum oblatis continentur, S. mus mandavit significari eidem Metropolitae, ut nominet Coadiutorem, quem assumere desiderat, servatis servandis tam cum Poloniae rege, quam cum aliis, cum quibus de provisione Archiepiscopatus Chioviensis agi consuevit, quia Sanctitas Sua consensum praestabit, et alia faciet, quae ab aliis suis praedecessoribus in dicta provisione fieri consueverunt.

26.

Roma, 7. VII. 1624.

Conceduntur litterae ad non Unitos, qui ad Unionem inclinantur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 121v-122, nr. 27.

²⁹ Cfr. supra, nr. 9, die 7.II.1624.

³⁰ Cfr. supra, nr. 16, die 7.II.1624.

Jul. 7.

Cum idem Cardinalis Bandinus retulisset Ruthenos unitos mediante persona Patris Joannis, monachi Sancti Basilii, animos Episcoporum ruthenorum, Schisma profitentium, ad unionem cum Ecclesia Romana faciendam tentasse ipsosque ab ea non omnino alienos reperisse, quia se eam professuros dicebant, si eis quaedam honesta concederentur, S. mus iussit per D. Ciampulum (f. 122) Breve ad Episcopos praedictos scribi, quo ad unionem faciendam invitentur, et rationibus ad eam urgeantur.

27.

Roma, 23 . VII . 1624.

Ad monachos Ruthenos extenditur Breve indulgentiarum Pauli V.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 125rv, nr.11.

CONG. 18 — Die 23 Iulii 1624 (f. 122).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi Cardinalis Bandini, cui interfuerunt, quinque Cardinales in Curia praesentes, R.mi Magalottus, et Montius, et P. Dominicus, qui detulit scuta 25 Sacrae Congregationi donata.

Potentibus monachis Sancti Basilii Sacra Congregatio censuit Breve indulgentiarum, et gratiarum concessarum monachis, et Regularibus a fel. rec. Paulo V, sub datum Romae die 23 Maii 1606, monachos ruthenos Ordinis Sancti Basilii Ecclesiae Romanae unitos (f. 125v) comprahendere, et proinde monachos praefatos praefatis indulgentiis et gratiis uti, et potiri posse, casos illis sine ulla dubitatione suffragari.

28.

Roma, 9 . VIII . 1624.

Iterata lectio relationis de Moscovia nec non de Seminario in Russia erigendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 134v, nr. 20.

CONG. 19 — Die 9 Augusti 1624 (f. 126v).

Fuit Congregatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt quinque Cardinales in Curia praesentes, R.mi Magalottus, et Montius, et R. P. Dominicus, qui detulit scuta 80, donata a R.mo Episcopo de Maximis.

Referente Cardinali Bandino iterum relationem Moschoviae,³¹ Sacra Congregatio mandavit eam mitti Nuntio Poloniae, ut eam consideretur, et quid sentiat ad Sac. Congregationem scribat, eidemque commendari negotium erectionis Collegii Ruthenorum unitorum.

29.

Roma, 9 . VIII . 1624.

Synodi quadriennales in Metropolia Kioviensi celebrandae statuuntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 134v, nr. 21.

³¹ Cfr. supra, nr. 16, die 17.IV.1624.

Aug. 9.

Et postremo ad relationem eiusdem Cardinalis Sacra Congregatio censuit praecipendum esse per Breve Sancti mi Metropolitae Russiae, ut Provincialia Concilia singulis quadrienniis celebraret eo tempore, et loco, quo ipse arbitraretur, eique concedendam esse facultatem puniendi eius arbitrio Archiepiscopos, et Episcopos ruthenos, qui ad Synodos sine legitima causa venire recusarent, vel sine eius licentia ante absolutas Synodos inde discederent.

30.

Roma, 6 . IX . 1624.

Conceduntur altaria privilegiata pro ecclesiis monachorum ruthenorum et condiciones statuuntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 141rv, nr.5.

CONG. 21 — Die 6 Sept. 1624 (f. 138v).

Fuit Congregatio coram Sanctissimo in Quirinali, cui interfuerunt omnes Cardinales in Curia praesentes, R.mi Magalottus, et Montius, et R. P. Dominicus, qui detulit scuta quinquaginta auri Sacrae Congregationi donata.

Instante Metropolita Russiae ecclesiis monachorum Sancti Basilii Ruthenorum unitorum Altaria privilegiata concedi pro tribus diebus in hebdomada, cum quibusdam conditionibus, Sacra Congregatio ad relationem Ill.mi Domini Cardinalis Bandini censuit Altaria privilegiata petita concedi posse Ruthenis unitis cum infrascriptis conditionibus.

1. Ut unum tantum Altare privilegiatum habeatur in unaquaque Ruthenorum monachorum unitorum ecclesia. (f. 141v)
2. Ut altare, quod privilegiatum futurum erit, eligatur a Metropolita Russiae, et de electione fiat publicum instrumentum.
3. Ut Altare semel per Metropolitam electum variari non possit.
4. Ut Altare electum habeat privilegium in uno tantum die in qualibet hebdomada per Metropolitam in electione Altaris declarando, et per totam octavam Defunctorum, quae a Ruthenis celebratur ante Dominicam Quinquagesimae, vulgo dictam lactiniorum.
5. Ut occurrente festo in die declarato, vel in octava Defunctorum et infra eam, Missa possit applicari pro Defuncto, vel Defunctis.
6. Ut haec gratia suffragetur ad decennium, et extendatur ad ecclesias, quas Rutheni monachi uniti in posterum acquirunt, vel de novo aedificabunt, ut scilicet Metropolita possit in eis unum Altare eligere, et diem declarare cum conditionibus, de quibus supra.
7. Et postremo, ut haec gratia expediatur iuxta formam Altarium privilegiorum per modum suffragii, et cum aliis clausulis consuetis.

31.

Roma, 6 . IX . 1624.

De compellendis Episcopis ruthenis, ut participarent in Comitibus Regni.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 141v-142, nr. 6.

Sept. 6.

Eodem Metropolita petente, ut Episcopi rutheni uniti compelli possint Comitata Regni Poloniae simul cum Metropolitae adire, Sacra Congregatio, eodem Cardinali referente, censuit scribendum esse Nuntio Poloniae, ut cum Rege agat de compellendis per Metropolitam Russiae Episcopis ruthenis unitis, ut ad Regni Comitata accedant, et sententiam (f. 142) Maiestatis eius super hoc significet, nam Patribus visum fuit maxime decere, ut saltem duo Episcopi compelli possint ad comitandum Metropolitam, dicta Comitata adeuntem.

32.

Roma, 6 . IX . 1624.

De restringenda licentia in comestione carniū pro Episcopis et monachis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 142, nr. 7.

Sept. 6.

Ad eiusdem Metropolitae instantiam, eiusdemque Cardinalis relationem, Sac. Congregatio mandavit scribi Breve hortatorium ad Metropolitam Russiae, ut ad tollenda scandala non sit facilis, quemadmodum hactenus fuit, in concedendis Episcopis ruthenis unitis licentiis comedendi carnes, et ut hac in re strictius cum monachis Sancti Basilii procedat.

33.

Roma, 4 . X . 1624.

Relatio de Circassia, olim Sarmatia, cui succurrendae alii duo Dominicani designantur in Caffa.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 148rv, nr. 4.

CONG. 23 — Die 4 Octobris 1624 (f. 147)

Fuit Congregatio in Quirinali Palatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt omnes Cardinales in Curia praesentes, R.mi Magalottus, et Montius, et R. Pater Dominicus, qui duplas aureas 25 Sacrae Congregationi donata detulit.

Ex eiusdem Episcopi literis recitavi relationem Circassiae, olim Sarmatiae nuncupatae, cuius populi antiquitus Zigae dicebantur, ut habet Ortelius in Tesouro Geographico, et cum Patribus innotuisset in utraque Circassia minore, et maiore esse populos (f. 148v) christianae fidei professores, in maiore quidem graeci ritus, in minore latini, memoresque populum ob sacerdotum inopiam festa mobilia, et ieiunia Quadragesimae ignorare, solumque diem Dominicam celebrare, et Crucem ex calce in parietibus domorum confectam adorare, miseratione moti decreverunt missionem alias factam ad Caffa, et Tartaros Praecopenses duobus aliis Dominicis augeri, qui Circassos populos adirent, eosque in fide catholica instituerent.

34.

Roma, 4 . X . 1624

De privilegiis pro monachis ruthenis nec non de eorum redactione in unam Congregationem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 151rv, nr. 18.

Oct. 4.

Referente eodem Cardinali petitiones Metropolitae Russiae Sacra Congregatio decrevit, ut infra.

1. Communicationem privilegiorum Regularium, quam pro monachis ruthenis Sancti Basilii unitis Metropolita petebat iustis de causis denegavit.³²

2. Mandavit, ut monachi praefati scripturam privilegiorum, quae sibi concedi cupiunt exhibeant, quia Sanctissimus ea, quae fuerint rationabilia libentissime concedet.

3. Convenientissimum esse censuit, ut monachi praefati in Congregationem redigantur, quod si fecerint eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem, seu Proto Archimandritam totius Russiae, et singulis quadrienniis Capitula Generalia congregandi, in eisue Constitutiones, rationabiles tamen, et Sacris Canonibus, Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum Constitutionibus non repugnantes, conficiendi, a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quae tamen interim, ne disciplina regularis patiatur detrimentum a monachis praedictis observanda erunt, donec aliter per Sedem Apostolicam fuerit definitum.³³

(f. 151v) 4. Mandavit, ut Constitutionem Gregorii XIII, anno 1579 ad favorem monachorum Sancti Basilii latinorum emanatam, Secretario exhibeant.

35.

Roma, 19 . XI . 1624.

De designatione loci pro Seminario nec non de difficultatibus S. Congregationis in concedendo subsidio pro eius erectione.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 157v, nr. 5.

CONG. 25 - - Die 19 Novembris 1624 (f. 156).

Fuit Congregatio in Quirinali Palatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt omnes Cardinales in Curia praesentes, praeter Ill.mum Bandinum aegra valetudine praepeditum, R.mus Montius, et R. P. Dominicus (f. 156v) qui scuta centum aurea Congregationi donata a R.mo Zacchia Episcopo Montis Falisci detulit.

Ex literis Nuntii Poloniae retuli Metropolitam Russiae cum approbatione Episcopi Vilnensis locum Seminarii, seu Collegii Ruthenorum elegisse in civitate Minsk, in qua optima occasio sese offerebat comparandi quaedam bona ad Collegii fundationem opportuna pro pretio scutorum 15 millium, quos idem Metropolita ad praefatum effectum a Sac. Congregatione postulabat; Patres autem approbata electione loci huiusmodi dixerunt pecuniarum summam petitam non posse a Congregatione sine maximo omnium Missionum, et aliorum Collegiorum incommodo persolvi, et proinde scribendum esse Nuntio, ut Metropolitae significet Sedem Apost. et Sac. Congregationem sola auctoritate, et offitiis, non autem pecuniis praesertim in tam magna quantitate rebus Ruthenorum consulere posse.

³² Cfr. supra, nr. 27, die 23.VII.1624.

³³ Cfr. infra, nr. 179, die 5.VII.1631.

36.

Roma, 19 . XI . 1624.

Litterae patentes et viaticum Raphaeli Korsak et Adriano Podbereskyi conceduntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 158v, nr. 11.

Nov. 19.

Potentibus Patribus Adriano,³⁴ et Rafaele,³⁵ monachis ruthenis Sancti Basilii, in Collegio Graeco degentibus, literas patentes missionis, et aliquod viaticum, Sacra Congregatio iussit dari viaticum arbitrio Cardinalis Bandini, et patentes missionis ad Schismaticorum, Ruthenorum, et Moschovitarum conversionem eis decrevit. Die eodem Ill. mus Cardinalis Bandinus censuit posse dari Oratoribus ducatos 30 pro quolibet pro viatico.

37.

Roma, 19 . XI . 1624.

De modificationibus in Brevi de Altaribus privilegiatus inducendis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 158v-159, nr. 12.

Nov. 19.

Eisdem Patribus³⁶ potentibus ampliari gratiam Altarium privilegiatorum, alias monachis Sancti Basilii concessorum,³⁷ Sacra Congregatio iussit, ut narrata Ecclesiae Ruthenae Unitae consuetudine non nisi semel in die celebrandi in quolibet Altari, ob eam consuetudinem (f. 159) privilegium pro Defunctis concedatur pro tribus diebus in hebdomada per Metropolitanam Russiae eligendis, et clausula illa: dummodo tot Missae quotidie celebrentur, in privilegiis huiusmodi apponi solita, nullo modo in

³⁴ Podbereskyj Adrianus, filius Alexandri et Annae Orska, Basilianus. Ingressus est Collegium Graecorum de Urbe mense decembri 1621, ut sacerdos annorum 25. Anno 1624, gravi morbo affectus, iussu Metropolitana discessit e Collegio die 24.VIII, sed patriam rediens obiit in Italia septentrionali, « prope Gradiscam, civitatem Carniolae », ut scripsit Rutskyj, qui eum sibi in Coadiutorem Metropoliae Kioviensis assumere intendebat.

³⁵ Korsak Raphaël, filius Simeonis et Catharinae, Basilianus. Ingressus Coll. Graecorum anno 1621, mense decembri, anno vitae suae 20. In patriam reliit anno 1624 (28.XII), et mox creatus est Archimandrita Vilnensis, qui simul munere Protoarchimandritae Ordinis Basilianiungebatur. Anno 1626/7 nominatus Coadiutor Metropolitae Kioviensis Josephi Rutskyj, cum tit. Haliciensis; ab anno 1632 Episcopus Pincensis et Turoviensis, et, Josepho vita functo (5.II.1637), Metropolita Kioviensis iure successionis. Anno 1639 venit Romam ad visitanda limina Apostolorum, ubi et mortuus est, ut videtur die 28.VIII.1640, et sepultus in ecclesia SS. Sergii et Bacchi, quam, Ruthenis hoc tempore donatam, exornavit. In Chronica Collegii Graecorum de iuveni haec datur adnotatio: « 285. P. Rafaele Corsak, Monaco ruteno di San Basilio, studiò tre anni di Teologia, et essendo tornato alla Patria fu fatto Coadiutore del Metropolita di Russia, et con le sue prediche et zelo converti molti Scismatici all'Unione della Chiesa Romana, poi fu fatto Vescovo di Pinsko in Russia. Stando in Collegio fu osservantissimo della sua regola non volendo mai mangiar carne. Va poi fatto Metropolita di Russia e mandato dal Re di Polonia ad Urbano VIII per trattar negotii di molta importanza, e fu dal Papa fatto Vescovo assistente » (fol. 50).

³⁶ P. Raphaël Korsak et Adrianus Podbereskyj (cfr. supra, nota 34 et 35).

³⁷ Cfr. supra, nr. 30, die 6.IX.1624.

Brevi apponatur, sed loco illius infrascripta tantum clausula, videlicet: dummodo in cuiuslibet ecclesiae Altari privilegiato honorandae monasterio tres saltem monachi sacerdotes extiterint. In reliquis expediatur Breve, ut in Decretis Sac. Congregationis, sub die 6.7bris praesentis anni.

38.

Roma, 17 . XII . 1624.

De exemptionibus et decimis Parochorum unitorum eorumque fidelium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 169v, nr. 18.

CONG. 27 — Die 17 Dec. 1624 (f. 165).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt omnes Cardinales in Curia praesentes, praeter Cardinalem Magalottum, R. mus Montius, et R. P. Dominicus, qui attulit scuta triginta Sacrae Congregationi donata.

Circa exemptiones sacerdotum, et laicorum ruthenorum, ad relationem Cardinalis Bandini, Sacra Congregatio iussit scribi Nuntio Poloniae, ut quoad X. mas, quas rutheni laici solvunt Parochis latinis curet praedictos laicos in nova Parochiarum provisione per Episcopos latinos liberari, cum Rutheni habeant suos Parochos unitos, quibus eas solvunt, aut solvere deberent. Quo vero ad exactiones, quibus Magistratus, et Ministri Regii ratione solius administrationis Sacramentorum Sacerdotes ruthenos vexant, cum Rege, et Dieta agat, ut gravamen hoc intollerabile, et iniustum omnino tollatur.

39.

Roma, 17 . XII . 1624.

De provisione Seminarii in Russia erigendi per restitutionem bonorum a Latinis occupatorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 170, nr. 19.

Dec. 17.

De Seminario Rutheno, cum Metropolita misisset notulam bonorum, quae pro eius dote applicari possent, et eorum quaedam a certis Laicis latinis occuparentur, ad eiusdem Cardinalis Bandini relationem decretum est, ut Generalis Jesuitarum litteras scriberet Poloniae Provinciali pro duobus Patribus Nuntio Poloniae concedendis, quos cum Metropolitae instructione ad bonorum praefatorum restitutionem ab occupatoribus procurandam mittere deberit, eidemque Nuntio mandatum est, ut omni cura, et studio negotium hoc Seminarii Rutheni sollicitet, iludque ubi, et quando, et quomodo poterit omnino promoveat.

40.

Roma, 17 . XII . 1624.

De lite bonorum inter Episcopum Luceoriensem et PP. Dominicanos decidenda per Nuntium Poloniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 170rv, nr. 21.

Dec. 17.

Ad relationes eiusdem Cardinalis, et ad instantiam D. Hieremiae,³⁸ Episcopi Luceoriae rutheni uniti, Sacra Congregatio annuente S. D. N. censuit, Nuntio Poloniae committendam esse causam prout iuris fuerit cognoscendam, et decidendam, quam Episcopus ruthenus (f. 170v) praedictus movere intendit super pago Choroscievic nuncupato contra Fratres Dominicanos eiusdem Urbis, poenes quos dictus pagus existere dicitur, et a praefato Episcopo de iuribus suae ecclesiae Sancti Demetrii esse praetenditur, per Breve Sanctitatis Suae per Secretariam Apostolicam expediendum.

41.

Roma, 20 . I . 1625.

Quaestio patriarchatus Kioviensis remittitur ad S. Officium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 188v-189, nr. 13.

CONG. 29 — Die XX Jan. 1625 (f. 185).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt quatuor tantum Cardinales, Rmi Vives, Montius, et Pater Dominicus, qui scuta 50 Sacrae Congregationi donata attulit.

Referente Ill.mo Bandino articulos a Metropolita Russiae propositos circa unionem Schismaticorum, quos dicebat facile posse ad obedientiam Romanae Sedis perducere per creationem novi Patriarchae (f. 189) totius Russiae,³⁹ Sacra Congregatio conspiciens articulos praedictos maturiori deliberatione indigere, remisit huiusce negotii examen Congregationi Sancti Offitii.

42.

Roma, 2 . V . 1625.

Statuuntur modi adiuvandi Ecclesiam Unitam: Coadiutoria Metropolitae, alumnatus in Collegiis, discordiae cum Latinis pacifice conciliandae, prohibitio transitus ad Ritum Latinum, decimae, Seminarium erigendum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 220-221, nr. 20.

CONG. 35 — Die 2 Maii 1625 (f. 216).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, et inter eos pro prima vice Card. S. Honuphrii, Frater Pontificis, loco Card. Barberini, Legati ad Reges Galliarum, et Hispaniarum, et Rmus Montius cum Patre Dominico, qui detulit scuta 21, 1/2, Sacrae Congregationi donata.

³⁸ Hieremias Počapovskyj, Episcopus Luceoriensis (1621-1636). In Chronica Coll. Graecorum de Urbe sic de eo habetur: « 239. P. Hieronimo Pozoposchi, Ruteno, monaco di San Basilio, si partì Teologo, e ritornato nel Convento fu fatto Vescovo in Ruscia di Luceoria; è di bellissimo ingegno » (fol. 43).

³⁹ Cfr. TANCZUK DEMETRIUS, *Conamina unionistica in Ecclesia Ruthena in primo dimidio saec. XVII*, Romae 1939 (Dissertatio) et IDEM, *Quaestio Patriarchatus Kioviensis tempore conaminum Unionis Ruthenorum (1582-1632)*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 128-144).

Ad relationem Ill.mi D. Card. Bandini, Sacra Congregatio, comprobante S.mo D. N., infrascripta pro Unione Ruthenorum manutenenda, et conservanda decrevit, videlicet.

1. Ut Regi Poloniae Breve scribatur, quo Maiestas Sua pastoralis exhortatione admoneatur, ut omnibus modis velit Coadiutorem Metropolitae Kioviensi nominare, ne scilicet Unio Ruthenorum, d. Metropolita (f. 220v) diem suum obeunte, sede vacante, vel post aliquod patiatur detrimentum, si Archiepiscopatus ille ad personam parum de rebus Unionis informatam, aut illi minus affectam pervenerit. In quo Brevi scribendo duo potissimum Secretarius observare debet; primum ut de particulari persona in Coadiutorem nominanda nullam prorsus faciat mentionem, deinde ut clausulam adiciat, qua Breve efficiatur creditale respectu Nuntii Apostolici, cui separatim per litteras Sac. Congregatio personam significat, quam in Coadiutorem a Rege nominari cupit⁴⁰.

2. Ut Nuntius Poloniae duo saltem loca in Collegio Pontificio Brusbergensi, iuxta illius foundationem, pro Alumnis ruthenis a Rectore illius procuret, et Nuntius, Germaniae idem efficiat ob eandem causam a foundatione petitam cum Rectore Collegii Olomucenis, et postquam loca illa obtinuerit, uterque Nuntius Metropolitam admoneat, ut Alumnos ad praedicta Collegia mittat.

3. Ut Nuntius Poloniae discordias inter Latinos, et Ruthenos ob diversas inter eos Kalendarum novi, et veteris observationes quotidie exorientes, modo quo poterit sopire et auferre sataget.

4. Ut executio Decreti prohibitionis transitus Ruthenorum unitorum ad latinum ritum⁴¹ ad aliud opportunius tempus differatur, et saepe saepius, per eundem Nuntium admoneantur Confessarii Societatis Jesu, et aliorum Regularium ne persuasionibus, aut aliis mediis ad (f. 221) latinum ritum Ruthenos unitos trahant, aut trahere tentent.

5. Ut differantur ad aliud magis opportunum tempus negotia contributionum, et X. marum, quae possunt Latinorum animos contra Ruthenos unitos irritare, ipsique Rutheni humiliter se gerant cum Latinis, eosque aemulari desinant.

6. Et postremo, ut Seminarii Ruthenorum unitorum erectionem Metropolita fieri curet, contributionibusque, vel aliis modis dotem illius procuret; et Nuntius Poloniae Apostolicus eundem Metropolitam ad praedicta sollicitet, iuvetque apud Regem, et alios Regni Poloniae Proceres, et praesertim ecclesiasticos.

43.

Roma, 22 . VIII . 1625.

Varia negotia deciduntur: Coadiutoria, Seminarium, Abbatia Kioviensis, Ecclesia Smolenscensis, Remissoriales pro Servo Dei Josaphat.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 250rv, nr. 2.

A. G. WELYKYJ, OSBM, *S. Josaphat - Hieromartyr*, vol. 1, p. 62, nr. 50, (excerptum).

CONG. 41 — Die 22 Augusti 1625 (f. 250).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales

⁴⁰ Persona haec erat R. P. Raphaël Korsak, Archimandrita Vilmensis, Alumnus Coll. Graecorum de Urbe, non longe antea in Patriam reversus (28.XII.1624); - cfr. *supra*, nota. 35.

⁴¹ Decretum de « non transitu » editum fuit die 7.II.1624. - Cfr. *supra* nr. 9.

tantum, R. mus Montius, et Pater Dominicus, qui retulit scuta quinquaginta Sacrae Congregationi donata.

Referente eodem Ill. mo D. Card. Bandino literas Nuntii Poloniae, Metropolitae Russiae, et Patris Raphaelis Corsach, Sacra Congregatio decrevit, ut infra.

1. Quoad Coadiutorem dandum Metropolitae (f. 250v) Russiae mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut Patrem Raphaelem Corsach in Coadiutorem D. Metropolitae nominandum a Rege, ad Curiam Regiam vocet, ut a S. Maestate et Proceribus Regni cognosci possit.

2. Quoad Seminarium, seu Collegium pro Ruthenis unitis erigendum, mandavit, ut de proventibus Sac. Congregationis scuta mille monetae Nuntio Poloniae mittantur, ut ea dicto Metropolitae tradat, cum erectum fuerit Seminarium, seu Collegium, ut si de proventibus non poteret haec summa haberi, iussit, ut eam de annulis cardinalitiis primum exigendis solvatur. Nam S. mus pro hac vice dispensavit contra Decreta Congregationis, quibus cavetur, ut capitale investiatur.

3. Circa Abbatiam Chioviensem Ruthenorum, unitam Metropolitanam Chioviensi a foel. re. Clem. 8^o, iussit scribi Nuntio Poloniae, ut apud Regem instet, ne iterum, occurrente dictae Abbatiae vacatione, S. Maestas permittat eam Ruthenis Schismaticis conferri, sed potius velit Unionem Clementinam suum sortiri effectum.

4. Mandavit in offitiis Cancellariae, Datariae, et Secretariae Apost. perquiri diligenter, an de Ecclesia Smolescensi in Moschovia fuerit aliqua facta provisio ad Regis Poloniae instantiam.

5. Et postremo iussit sollicitare Remissoriales pro p. m. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, ob defensionem Primatus Ecclesiae a Schismaticis crudeliter interfecti.

44.

Roma, 19 . IX . 1625.

Viaticum pro Marco Lima in Russiam proficiscenti ad munus magistri exercendum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 259rv, nr. 1.

CONG. 43 — Die 19 Sept. 1625 (f. 259).

Fuit Congregatio in Quirinali Palatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt quatuor tantum Cardinales, R. mus Montius, et Pater Dominicus, qui scuta centum auri a D. Philippo de Columna, Regni Neapoli Contestabili, Sacrae Congregationi donata attulit.

In ea primo, referente Ill. mo D. Card. Bandino, Sacra Congregatio, S. mo D. N. comprobante, mandavit viaticum praestari Marco Limae de Rethino,⁴² Collegii Graeci de Urbe Alumno, ut possit se conferre in Russiam ad Metropolitanam Chioviensem, a quo vocatur, ut in Seminario a se erecto Alumnos linguas latinam, et (f. 259v) graecam, et alias scientias doceat.

⁴² De illo in Chronica Collegii Graecorum talis habetur adnotatio: « 266. Marco Lima da Retimo in Candia, studiò Grammatica, Rettorica, Filosofia et Teologia, s'addottorò nella Sapienza di Roma, poi entrò nella Compagnia di Gesù, nella quale s'è impiegato in molte missioni nell'Arcipelago, facendo scola in Scio, et esercitando altre funzioni Apostoliche con molto frutto, predicando con molto applauso » (fol. 45v).

45.

Roma, 19 . IX . 1625.

Conceditur Jubilaeum ad ecclesiam Zyrovicensem obtinendum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 259v-260, nr. 3.

Sept. 19.

Instante Metropolita Russiae pro Jubilaeo Anni Sancti, concedendo pro toto sequenti anno Ruthenis unitis ecclesiam Sanctae Mariae de Tirovicia, seu de Zirovicia⁴³ nuncupatam in Lithuania existentem, visitantibus, S. mus de consilio Ill. morum D. D. Cardinalium Sac. Congregationis de Propaganda Fide, ad eiusdem Card. Bandini relationem, Jubilaeum petitum concessit pro sex mensibus anni sequentis 1626, iisque interpellatis, videlicet Martio, et Aprili, Iulio, et Augusto, Novembrique, et Decembri, ut Rutheni uniti, qui remotissimas a dicta ecclesia regiones incolunt, ad eam visitandam (f. 260) se conferre possint, cum conditionibus tamen, et clausulis in literis Jubilaeorum inseri solitis.

46.

Roma, 25 . IX . 1625.

De provisoria receptione Marci Limae in Collegio Graecorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 265 (post congr.).

Sept. 25.

Referente pariter eodem Ill. mo, Sanct. mus mandavit Marcum Limam, Alumnum Collegii Graeci, in eodem Collegio recipi, donec cum Socio possit in Russiam mitti ad Metropolitanam Chioviensem.⁴⁴

47.

Roma, 3 . X . 1625.

Conceditur Marco Lima viaticum 30-35 scutorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 3, fol. 265v, nr. 2.

CONG. 44 — Die 3 Oct. 1625 (f. 265v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill. mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt septem Cardinales, R. mus Montius, et Pater Dominicus, qui attulit scuta ... Sacrae Congregationi donata.

⁴³ Zyrovyci, pagus cum monasterio Basilianorum, in dioecesi Kioviensi prope Slonim (m. 1), in Palatinatu Novogrodecensi; famosum imagine miraculosa B. V. Mariae usque ad tempora nostra. A prima medietate saec. XIX monasterium est in manibus non Unitorum. Una copia imaginis Zyrovicensis miraculis claruit postea Romae, in Hospitio et ecclesia SS. Sergii et Bacchi, in muro depicta inventa (1718) et anno sequenti iussu Innocenti XI in ecclesiam translata et in altari maiori collocata, unde et Hospitium nomen sumpsit: Madonna del Pascolo (Zyrovyci). - Cfr. W. CHARKIEWICZ, *Zyrowice - taśk krynice*, Slonim 1930 cum copiosa bibliographia.

⁴⁴ Cfr. supra, nr. 44, die 19. IX. 1625, et infra, nr. 47, die 3. X. 1625.

Referente D. Achille Venereo, Agente Congregationis, viaticum usque ad Cracoviam, praestandum Marco Limae Alumno Collegii Graeci ad Russiae Metropolitam mittendo, ut in Seminario Novogrodeci doceat, esse 30, aut 35 zecchinorum. Sac. Congregatio illud solvi mandavit.

48.

Roma, 3 . X . 1625.

Opinio Episcopi Vlnensis de necessitate Seminarii in Russia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 268rv, nr. 16.

Oct. 3.

Ex literis Eustachii⁴⁵, Episcopi Vlnensis latini, retuli Ruthenorum Unionem nullo alio meliori modo propagari, ampliarique posse, quam Seminarii (f. 268v) erectione; Alumni enim, qui ex eo prodibunt, ecclesiis, monasteriisque praefici poterunt loco Praefectorum modernorum, quorum magna pars, summa laborans ignorantia, nihil efficere possunt in conversione Schismaticorum.

49.

Roma, 29 . X . 1625.

Basiliani ab iuramento Alumnis Pontificiis praescripto excipiuntur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, 277, nr. 26.

CONG. 45 — Die 29 Octobris 1625 (f. 270v).

Fuit Congregatio in Quirinali Palatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, R. mus Montius, et Pater Dominicus, qui attulit scuta quinquaginta, Sac. Congregationi donata.

Referente Ill. mo D. Card. Sanctae Susannae, Sacra Congregatio mandavit in formula iuramenti per Alumnos Pontificios praestandi excepi Religionem Sancti Basilii quoad Alumnos Collegii Graecorum, cum utilius sit Alumni praedicti fiant dictae Religionis monachi, quam ut statum ecclesiasticum saecularem, qui apud Graecos nullius, aut minimae existimationis est, amplectantur.

50.

Roma, 24 . XI . 1625.

Duo loca pro Alumnis ruthenis in Olomouc conceduntur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 291v, nr. 21.

CONG. 47 — Die 24 Nov. 1625 (f. 285).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo cui interfuerunt septem Cardinales, inter quos fuit Ill. mus D. Cardinalis Cleselius, quem Sanctissimus D. N. in Congregationem adscripsit; R. mus Montius et R. P. Dominicus, qui attulit scuta 50 Sacrae Congregationi donata.

Ex eiusdem Nuntii litteris retuli pro duobus Alumnis ruthenis obtenta fuisse duo loca in Collegio Pontificio Olomucensi.

⁴⁵ Eustachius Wołłowicz, Episcopus Vlnensis (1615-1630).

51.

Roma, 10 . I . 1626.

Legitur informatio Nuntii Apost. de Seminario in Russia erigendo, de foundationibus in Ecclesia Smolenscensi, de Abbatia Kioviensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 1, nr. 1.

CONG. 49 — Die 10 Jan. 1626 (f. 1).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, scilicet Bandinus, Millinus, Borgia, Cleselius, Sanctae Susannae, Ludovisius, Barberinus, nuper a Legatione Galliae reversus, et Sancti Honuphrii, R. mus Montius, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

In ea primo retulit Ill. mus Card. Bandinus literas Nuntii Poloniae, data die 21 octobris proxime praeteriti, quibus ille primo significabat, quae ad Seminarium Ruthenorum promovendum egerat cum Rege ad instantiam Metropolitae Russiae; 2. fundationes plurimas Episcopatum, Dignitatum, Canonicatum, Parochiarum, et Hospitalium, ab eodem Rege factas in Ducatu Smolenscensi nuper a Moscovitis erepto; 3. quod Regem paratissimum invenit ad exequendam unionem Abbatiae Pecerenis a Clem. 8. factam,⁴⁶ vel saltem ad eripiendam eam e manibus Schismaticorum, ut Catholicis ruthenis conferri posset; Verum, id fieri in praesentiarum non posse, nisi superatis cum ingenti manu Cosachis, qui illam armis (f. 10) pro Schismaticis se defensuros esse profitebantur.

52.

Roma, 20 . IV . 1626.

De subsidio pro P. Pachomio Oranskyj in patriam proficiscenti.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 43v, nr. 7.

CONG. 55 — Die 20 Aprilis 1626 (f. 42).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Cleselius, Ludovisius, Sancti Honuphrii, Magalottus, et Marcomontius, et ex Praelatis solus R. mus Senerius.

Ad relationem eiusdem Card. Bandini, Sac. Congregatio iussit dari F. Pachomio Oranschi⁴⁷, monaco rutheno unito scuta 27 pro supplemento viatici, ei transmissi a Metropoli Russiae.

⁴⁶ Sub die quarta Nonas Martii 1597: « Ex iniuncto Nobis... »; confer de separatione eiusdem Archimandriae Breve sub data 9 Augusti 1603 (*Archiv. Brev. Apost.*, vol. 361, fol. 266-267).

⁴⁷ P. Pachomius Oranskyj. De ipso habetur notitia in *Chronica Collegii Graecorum de Urbe*: « 300. P. Pacomio Oransgi, monaco di San Basilio, Ruteno, studiò due anni di Teologia, fu osservantissimo delle sue regole, non mangiando carne in Collegio, e devotissimo; e tornato in Russia s'esercita in predicare con molto frutto, essendo stato fatto Superiore d'un monastero, et poi Vescovo di Pinsko » (fol. 53). Episcopus Pincensis ann. 1637-1653.

53.

Roma, 20 . IV . 1626.

Variae litterae et Brevia conceduntur pro Unitis in occasione Synodi Provincialis celebrandae et ut in Comitibus Regni protegerentur contra impetus non Unitorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 43v-44, nr. 8.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège et l'Orient orthodoxe russe*, Praga 1928, Appendix, p. 20, nr. 11/7.

Apr. 20.

Referente eodem Ill.mo Card. Bandino, Sac. Congregatio ad favorem Ruthenorum unitorum infrascripta decrevit.

1. Literas ad Episcopum Cuiaviae⁴⁸, in Dietis Poloniae potentissimo, quibus res Ruthenorum unitorum patrocinio ipsius commendantur.

2. Quinque Brevia, alterum Episcopo Vilenensi⁴⁹, ut Synodo provinciali Episcoporum ruthenorum unitorum assisteret, curaret ut constitutiones in ea promulgandae, antequam executioni demandarentur, Romam pro habenda a Sede Apostolica confirmatione mitterentur. Alterum Episcopis ruthenis unitis, ut Seminario erigendo aliquam pecuniae summam contribuerent.

3. Metropolitae Russiae, ut ipsemet aliquam Seminario contributionem faceret, et Episcopos praedictos ad dictam (f. 44) contributionem faciendam, modis quibus posset, induceret.

4. Ad Regem Poloniae, ut Pseudo Episcopos ruthenos, Schismaticos, e tribus Russiis eiiceret, cum ob Cosachos eorum defensoribus in maximo numero ob rebellionem ab exercitu Polono trucidatos, eiectio huiusmodi facillima esse videatur.

5. Et postremum ad Episcopos latinos, ut provideant, ne illorum Dioecesani Ruthenos unitos, famulos suos, modis violentis ad observantiam Calendarii Greg. festa, ieiuniaque latina cogant.

Mandavit Sac. Congregatio tria prima Brevia, et postremum ad Nuntium Poloniae mitti, per eum tradenda, quibus diriguntur, nisi Rex contradicat.

54.

Roma, 20 . IV . 1626.

De alumnatibus ruthenis in Collegio Vilenensi et Brunsbergensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 44, nr. 9.

Apr. 20.

Idem Cardinalis Bandinus retulit ex literis Nuntii Poloniae Ruthenos unitos non ex constitutionibus, sed ex consuetudine habere tres Alumnatus in Collegio Brusbergensi, et quinque in Vilenensi.

⁴⁸ Episcopus Cuiaviensis anno 1626 erat Andreas Lipski (1622-1630), qui translatus ad Sedem Cracoviensem obiit an. 1631.

⁴⁹ Episcopus Vilenensis an. 1626 - Eustachius Wołłowicz (1615-1630). Obiit die 9.I.1630.

55.

Roma, 1 . VI . 1626.

De indulgentia ecclesiae Zyrovicensi concedenda et de Jubilaeo pro Leone Sapieha eiusque exercitu.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 57v-58, nr. 1.

CONG. 57 — Die 1 Junii 1626 (f. 57v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Cleselius, Sanctae Susannae, Valerius, ad Urbem paulo ante reversus ex Patavina Ecclesia ad quam fuit promotus, Sancti Honuphrii, Magalottus, et Marcomontius, R.mi Sannesius, et Montius.

In ea 1^o referente Ill.mo Card. Bandino literas Nuntii Poloniae, 23 Martii datas, edita fuerunt duo Decreta, quorum alterum est.

Petente D. Josepho Archiepiscopo Chioviensi, et totius, Russiae Metropolita indulgentiam plenariam pro ecclesia monasterii Zyrovicensis monachorum ruthenorum unitorum Ordinis Sancti Basilii in festis Annunciationis, Nativitatis, Purificationis, et Assumptionis Beatissimae Virginis, S.mus gratiam petitam concessit. Alterum vero est.

Petente D. Leone Sapieha,⁵⁰ Palatino Vilenensi, et exercitus Lithuaniae Generali Jubilaeum Anni Sancti pro se, et militibus suis, Sanctissimus petitioni Oratoris annuit, mandavitque in Brevi expediendo infrascripta tamquam motiva animi Sanctitatis (f. 58) Suae ad gratiam praefatam concedendam per modum commendationis inseri, videlicet.

Quod attestante Nuntio Poloniae Oratorem praefatum de Sede Apostolica plurimum fuisse, et esse benemeritum, quia fuit primus promotor Unionis Metropolitanae Russiae cum suis Episcopis, et populis cum Sancta Romana Ecclesia, quia eandem Unionem, et Ruthenos unitos semper protexit contra Schismaticos, eisdemque totis viribus in Comitibus publicis, et apud Poloniae Regem, praesertim hoc anno, opem tulit, favoribusque praesto fuit. Et demum, quia contra inimicos Catholicae Ecclesiae pugnavit, et pugnat,

Sanctitas Sua eundem Oratorem, ob merita praefata commendatione Apostolica dignum, gratia, et favore praefato Sancti Jubilaei Anni Sancti prosequi voluit.

56.

Roma, 1 . VI . 1626.

Ut Nuntius Varsaviensis impediat Synodum Unitorum cum non Unitis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 58, nr. 2.

Jun. 1.

Referente eodem Ill.mo Bandino, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut Synodum Schysmaticorum cum Ruthenis unitis modis omnibus impediret,

⁵⁰ Leo Sapieha. Nat. 2.IV.1557. Secretarius Regis, partem habuit in expeditione bellica Stephani Batory contra Moscoviam (1580-1584); postea aliis etiam occasionibus partem habuit principalem in vita politica; ab anno 1623 Palatinus Vilenensis. Obiit die 7.VII.1633. De eius epistula ad S. Josaphat cfr. A. G. WELYKYJ, S. Josaphat - Hieromartyr, vol. I, p. 246, nr. 74, ubi etiam notae bibliographicae.

quia non potest esse communicatio lucis ad tenebras, et huiusmodi adunationes, seu Congregationes potius acerbiores discordias, et inimicitias, quam pacem producere solent.

57.

Roma, 1 . VI . 1626.

Gratiae aguntur Episcopo Vilnensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 58v, nr. 3.

Jun. 1.

Ad eiusdem Card. relationem fuerunt decretae literae Episcopo Vilnensi reditus gratiarum, quia in publicis Poloniae Comitibus impeditur constitutionem ecclesiae, et monasterii, quam Schismatici in Urbe Vilnae moliebantur

58.

Roma, 1 . VI . 1626.

Nuntio commendatur, ut subsidium pro Seminario erigendo impetraret apud Regem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 58v, nr. 4.

Jun. 1.

Eodem Card. referente, Sac. Congregatio iussit eidem Nuntio scribi, ut contributionem ex bonis Regiis pro Seminario Ruthenorum apud Regem urgeret, exemplo Palatini Vilnae, qui similem contributionem in aliam causam non adeo favorabilem a S. M. impetravit.

59.

Roma, 1 . VI . 1626.

Nuntio Poloniae, ut promoveret negotium coadiutoriae Metropolitae Kioviensis in persona Raphaelis Korsak, non obstante eius aetate.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 58v, nr. 5.

Jun. 1.

Ad eiusdem Ill.mi Cardinalis relationem, Sac. Congregatio mandavit Nuntio praedicto scribi, ut negotium Coadiutoriae Chioviensis pro Patre Raphaelae Korsak apud Regem promoveret, non obstante, quod Eius Maiestas iuvenilem dicti Patris aetatem obiiceret, exemplis Sancti Remigii,⁵¹ qui anno suae aetatis XX ad Ecclesiam Rhemensem promotus totum Galliae Regnum cum suo Rege Clodoveo ad catholicam re-

⁵¹ S. Remigius, Apostolus Galliae; iuvenis adhuc, fit Episcopus Remensis (Reims). Anno 496 regem Clodoveum baptizavit, a quo pagano maxime aestimabatur. Obiit 13.I.533. Memoria eius celebratur die 1 Octobris.

ligionem convertit, et Sancti Caroli,⁵² qui nostris temporibus, anno aetatis suae 22, ad Mediolanensem Ecclesiam evectus, admirabilia et incredibilia ad pastorem curam pertinentia operatus est.

60.

Roma, 1 . VI . 1626.

De confessionibus Latinorum apud Ruthenos, Ruthenorumque apud Latinos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 59, nr. 6.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 20-21, nr. 11/8-9.

Jun. 1.

Eodem Card. referente, decretum fuit non debere Latinos Episcopos prohibere subditos suos, ne confessiones faciant cum Sacerdotibus ruthenis unitis ab ordinariis locorum approbatis, nec e contra Episcopos ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare, ne Confessarios Latinos approbatos ad expianda peccata sua adeant, nam cum Rutheni uniti sint vere catholici, ubi ritus diversitas non repugnat, discordias, dissidia inter eos excitantes, vel nutrientes introducere inconueniens, et damnosum est.

61.

Roma, 1 . VI . 1626.

De discordiarum inter Latinos et Ruthenos ex diversitate Kalendarii existentium pacifice sopiendorum modo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 59, nr. 7.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 20-21, nr. 11/8-9.

Jun. 1.

Idem Ill.mus retulit modos, quibus conciliari posse universaliter discordia inter Ruthenos unitos, et Latinos ratione diversitatis Kalendarii exorta; illi autem sunt, ut subiicitur.

Ut ubi sunt Rutheni in maiori numero, celebrent sua festa, et ad festa latina non teneantur.

Ut ubi maior numerus est Latinorum, Rutheni sua festa celebrent, et pro diebus huiusmodi festis alios dies offerant Dominis.

Ut ubi par numerus, celebrentur ab utrisque pariter festa ista Nativitatis, Resurrectionis, et Pentecostes.

(f. 59v) Non agitur de bonis Regiis, ubi adest privilegium, quod Rutheni celebrent festa latina, sed de bonis Ecclesiasticorum, ac particularium Nobilium, quos Episcopi disponere possent ad huiusmodi modos acceptandos.

Praeterea, cum aliqui Latini nimio zelo ducti Ruthenos ad frangenda propria ieiunia vi inducant, petitur ab Episcopis, ut contra eosdem penam excommunicationis imponant.

Sacra autem Congregatio, animadvertens negotium esse gravissimum, iussit scripturam modos supra relatos continentem, tradi Ill.mo Card. Millino, ut eos consideret, sententiamque suam referat.

⁵² S. Carolus Borromeus. Natus 5.X.1538 et anno 12 vitae suae clericus factus; annis 1554-1559 Paduae studuit et iam anno 1560 a Pio IV nominatus fuit Cardinalis, et Archiepiscopus Mediolanensis, iuvenis 22 annorum. Obiit 3.XI.1584, anno vitae 46. Canonis Sanctorum inscriptus est a Paulo V (die 1.XI.1610). Memoria eius celebratur die 4 Novembris.

62.

Roma, 16 . VI . 1626.

De admissione Nicolai Nowak pro Agente Ecclesiae Unitae in Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 67, nr. 1.

CONG. 58 — Die 16 Iunii 1626 (f. 67).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Borgia, Valerius, Sancti Honuphrii, Magalottus, et Marcomontius, et R.mus Montius.

In ea 1^o fuit admissus P. Nicolaus Novaccius,⁵³ Monachus S. Basilii, Ruthenus unitus, qui presentavit literas credentiales Metropolitae Russiae, quibus illum Agentem apud Sedem Apost. pro Ruthena Ecclesia Unita declarabat, et S.mum et Sac. Congreg. rogabat, ut eum tamquam talem admitterent, et iis quae nomine suo, et Ecclesiae Ruthenae relaturus esset, plenam adhibere fidem dignarentur.

63.

Roma, 30 . VI . 1626.

Modus solvendi mille scutorum pro subsidio Seminarii erigendi a Metropolita Kioviensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 81v, nr. 32.

CONG. 59 — Die 30 Iunii 1626 (f. 74).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bandinus, Borgia, Cleselius, Valerius, Ludovisius, Sancti Honuphrii, Magalottus, et Marcomontius, et R.mus Montius.

Retuli ex literis Nuntii Viennensis, Card. Dietrichstein annulum suum solvisse in manibus eiusdem Nuntii. Sac. autem Congregatio iussit eidem scribi, ut pecuniam annuli praedicti, quae 743.92 scuta monetae conficit, ad Nuntium Poloniae mitteret pro Seminarii Rutheni erectione; nam residuum usque ad summam scutorum mille similium, quod est scutorum 256.8 solvetur Romae Patri Nicolao Novaccio, Metropolitae Russiae Agenti, ut Metropolita de suis pecuniis illam addat summae 743.92. pro complemento mille scutorum, Seminario praedicto a Sac. Congregatione applicatorum.

64.

Roma, 14 . VII . 1626.

Elenchus Collegiorum Pontificiorum cum redditibus, numero Alumnorum et enumeratione provinciarum, e quibus Alumni proveniunt.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 88-89, nr. 21.

⁵³ Nicolaus Nowak, Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe, vel Agens Metropolitae Kioviensis. Obiit Romae anno 1633. - Cfr. A. G. WELYKYJ, *Primus Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe: P. Nicolaus Nowak, 1626-1633*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II. Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 62-78.

CONG. 60 — Die 14 Iulii 1626 (f. 82v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Borgia, Cleselius, Valerius, Ludovisius, Sancti Honuphrii, Magalottus, et Marcomontius, et R.mus Montius.

Juxta S. D. N. mandatum Ill.mi Patres disseruerunt de mediis, quibus Collegia Pontificia⁵⁴ fructuosiora Religioni Catholicae reddi possint, et cum materiam hanc maiori indigere deliberatione cognovissent, iusserunt notam Collegiorum mitti per manus, additis considerationibus, de quibus in hac Congregatione tractatum fuit. Nota vero per manus missa est, quae sequitur.

1. Cogitandum est in genere de mediis, quibus possit provideri, ut Alumni, qui ex Collegiis Pontificiis instructi prodeunt, utiles fiant Catholicae Religioni cum, Germanico Collegio excepto, cetera Collegia, vel nihil, aut parum eidem Religioni prodesse videantur.

Secundo, cogitandum est de mediis particularibus unicuique Collegio proportionatis, quia ob diversitatem Regionum vel personarum, aut institutorum non omnia omnibus Collegiis convenient.

Tertio, ut negotium citius absolvatur considerandum est, an sufficiat scire cuiuscunque Collegii redditus, et numerum Alumnorum, quos alere unumquodque debet, et (f. 88v) nomina Provinciarum in fundatione expressarum, nam si caetera ad statum praedictorum Collegiorum pertinentia prius cognoscenda sint, res nimis in longum protrahatur.

Collegia autem, circa quae consideratio fieri debet, vel sunt Urbana, vel Provincialia.

Urbana sunt: Germanicum, Anglicanum, Graecorum, Maronitarum et Scotorum etc.

Horum Collegiorum Urbis nulla fuit habita notitia, quia non fuit eorum facta visitatio, et si fuit facta ab Ill.mis Protectoribus Sac. Congregationi non fuit tradita.

Provincialia sunt: 1.mum Anglicanum Duaci, quod non fuit adhuc a Nuntio Belgico visitatum, 2um Scoticum Duaci in Gallia-belgica; sed dicunt non esse Pontificium, quia provisus Bearnensibus fuit restitutum.

3um Fuldense, cuius redditus sunt scutorum 1200, Alumnorum numero 40, et alia scuta 600 pro 60 pauperibus, qui vivunt extra Collegium; eius Provinciae sunt: Hassia (f. 89), Buchovia, Misnia, Thuringia, Brunsuigia, et Vestfalia.

4um Delinganum, in Germania, cuius non habetur Visitatio.

5um Viennense, in Austria, cuius redditus sunt scutorum 1360 annorum, numerus Alumnorum non habentur nec Provinciae, quia non adest fundatio, ex consuetudine tamen videntur ambae Austriae, et circumvicinae Provinciae.

6um Pragense, in Boemia, cuius redditus sunt scuta annua 1532, Alumnorum numerus 30, sed nunc sunt tantum 12. Provinciae non habentur, quia non adest fundatio.

7um Olomucense, in Moravia, cuius redditus sunt auri scuta ad 50 proveniunt; Provinciae sunt: Svetia, Gotthia, Vandalia, Norvegia, Dania, Pomerania, Prussia, Livonia, Moscovia, Russia, seu Lithuania, et Ungheria.

8um Vilmense, in Lithuania, cuius redditus sunt scuta annua 1255, Alumnorum numerus XX. Provinciae sunt: Lithuania, Russia, Samogitia, Moscovia, Livonia, et Curlandia.

⁵⁴ Hanc sessionem S. C. de Prop. Fide unice hac de causa hic publici facimus iuris, quia ex ea ideam habere possumus de Alumnatibus Russiae in variis Collegiis Pontificiis.

(f. 89v)9um et ultimum est Brusburgense, cuius redditus sunt ducati 1200, numerus Alumnorum 25, et nunc 22. Provinciae sunt: Svetia Gotthia, Vandalia, Norvegia, Dania, Pomeriana, Prussia, Livonia, Moscovia, Russia, seu Lithuania, et Hungaria.

Adest Collegium Hibernorum Lovaniense, erectum a Sacra Congregatione et ab Archiepiscopo Dublinensi mortuo, in quo Alumni ex Hibernia instruantur pro Parochiis Dioecesum illius Insulae.

65.

Roma, 28 . VII . 1626.

Quinque deciduntur: restitutio bonorum a Latinis occupatorum, altera admonitio Confessariorum ne Ruthenos ad Riturum Latinum petrahant, laudatur praxis Episcoporum concedendi suis fidelibus, Latinis inservientibus, apud Latinos etiam confitendi, ut Metropolitana in Senatum admitteretur, et postremo ecclesia in Urbe construenda probatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 94, nr. 2.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 21-22, nr. 11/10.

CONG. 61 - Die 28 Iulii 1626 (f. 93v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo cui interfuerunt septem Cardd., videlicet Bandinus, Borgia, Cleselius, Valerius, Ludovisius, Sancti Honuphrii, et Marcomontius, simul cum Rev.mo Montio.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino petitiones Metropolitanae Russiae, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Quoad restitutionem bonorum Ruthenorum unitorum per Latinos occupatorum nihil esse rescribendum censuit, ne Latini Ruthenis magis fiant infensi.

2. Circa transitum Ruthenorum unitorum ad latinum ritum, mandavit Provinciales Religionem in Polonia existentium moneri, ut Confessariis suorum Ordinum praecipiant, ne Ruthenos unitos ad ritum latinum trahere attentent.

3. Praxim Episcoporum ruthenorum unitorum, qua subditis suis in servitio Latinorum degentibus concedunt, ut quando ruthenum Sacerdotem non habent, latino confiteri possint, laudavit, et approbavit.

4. Supposito, quod ad dilatandam, appliandamque Unionem medium opportunissimum existat, Metropolitanam Russiae adsciscere in Polonorum Senatum, Sac. Congregatio censuit scribendum esse Nuntio, ut de suppositi veritate informationes assumat, et si rem ita se habere compererit, de adscribendo Metropolitana in Senatorum numerum cum Rege (f. 94v) tractet, nisi ob aliquas urgentes rationes expectandam esse secundam iussionem iudicaverit.

5. et postremo quoad ecclesiam in Urbe petitam, pro construendo Ruthenorum unitorum monasterio, Sac. Congregatio iussit agi cum Secretario Visitationis generalis Urbis, ut de ecclesia, quae Ruthenis concedi posse sine alicuius praeiudicio videatur, Secretarium suum commonefaciat.

Eodem die Sanctissimus Decreta Sac. Congregationis approbavit.

66.

Roma, 28 . VII . 1626.

De validitate testamenti P. Adriani Podbereskyj, monachi rutheni.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 94v-95v, nr. 3.

Jul. 28.

Referente eodem Ill.mo Card. Bandino dubium circa validitatem testamenti Patris

Hadriani Podbereschi, monachi Sancti Basilii, Rutheni uniti, quod Romae antequam e Collegio Graeco discesserit in Patriam profecturus perfecit sub rogatu Dominici Fontithiae, Notarii Sac. Congregationis, die 24 9bris 1624, ad favorem suae Religionis, et Seminarii pro Ruthenis in Russia erigendi, et cum quo in itinere ex hac vita migravit,⁵⁵ Sac. Congregatio quatuor fecit considerationes, de quibus admonendum esse censuit Nuntium Poloniae, ut informationibus necessariis de qualitate bonorum dicti Patris ab eo habitis, serius negotium discuti, et examinari queat. Considerationes autem sunt, (f. 95) quae sequuntur.

1. Quod non videtur potuisse testari dictus Pater, quia per professionem omnia eius bona acquisita fuerunt monasterio;

2. quod dictus Pater, monachus existens, testamenti factionem activam sine Papae licentia prohibens, quascunque alienationes non facta insinuatione quam praescribit, testamentum infringit, S.nemo FF.de leg. 1, 4, et postremo, quod praedictis non obstantibus nihilominus sustineri posse videtur testamentum, aut saltem executioni demandari pia dispositio (dicti) Patris in testamento etiam invalido indicata, nam si bona laicalia Poloniae, de quibus lex allegata loquitur, non fuerunt ab initio Regia, ut illis conditionibus vinculari potuerint, sicut in quibusdam Galliarum locis contigit, sed semper fuerunt privatorum, per ratihabitionem Papae convalidari poterit testamentum secundum communiorem DD. sententiam, vel Metropolitana, et Papa poterunt bona illa, iam per professionem monasterio acquisita, Seminario futuro (f. 95) applicare, praedicta lege non obstante, quia ut laicalis non ligat neque res, neque personas ecclesiasticas. Cap. Ecclesia S. M. de constitutionibus.

67.

Roma, 28 . VII . 1626.

Facultas celebrandi in lingua illyrica P. Nicolao Nowak conceditur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 100rv, nr. 22.

Jul. 28.

Petente Fratre Nicolao, monacho rutheno Sancti Basilii, et Metropolitanae Russiae Agente licentiam celebrandi Missam in illyrica lingua, Sac. Congregatio mandavit liturgiam, qua Ecclesia Ruthena utitur, diligenter examinari, et recognosci, an sit conformis (f. 100v) in omnibus, et per omnia liturgiae Sancti Joannis Chrysostomi, et si conformis inveniatur, censuit licentiam petitam Oratori concedendam esse celebrandi Sacrum in privatis Oratoris.

Eodem die Sanctissimus Decretum Sac. Congregationis approbavit.

68.

Roma, 13 . VIII . 1626.

Dispensatio a bigamia pro aliquo clerico dioecesis Peremyliensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 103, nr. 1.

CONG. 62 - Die 13 Augusti 1626 (f. 103).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt sex Car-

⁵⁵ P. Adrianus Podbereskyj, obiit an. 1624, iter in patriam faciens, « prope Gradiscam, civitatem Carniolae ». Cfr. supra, nr. 36, nota. 34.

dinales, videlicet ipsemet Bandinus, Cleselius, Valerius, Ludovisius, S. Honuphrii, et Marcomontius, et cum illis R. mus Montius.

In ea 1^o: Instante Episcopo Premisliensi dispensari gratis cum Georgio Lempha, bigamo ob duas virgines matrimonio sibi copulatas, ut possit promoveri ad Ordines sacros, et ad Sacerdotium, attenta penuria operariorum, qua eius Ecclesia laborat, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, petitioni Oratoris esse annuendum.

69.

Roma, 13 . VIII . 1626.

Difficultates Missae illyricae ad S. Officium transmittuntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 106v, nr. 9.

Aug. 13.

Cum relata fuisset fides D. Petri Arcudii,⁵⁶ Joannis Tonchi, e Patris Nicolai, Rutheni, de lithurgia Sancti Joannis Chrysostomi graeca, in illyricam linguam translata, et excitatae fuissent quaedam difficultates, videlicet quod lithurgia praefata in consecratione panis differt a latina in illis verbis: hoc meum est corpus, et ab evangelio illis: quod pro nobis frangitur in remissionem peccatorum, et adeo post consecrationem rursus Sacerdos precatur, ut panis fiat Corpus Christi et vinum fiat Sanguis, per illa verba: fac quidem panem hunc preciosum Corpus Christi tui, qui autem in calice est isto preciosum Sanguinem Christi tui, Sac. Congregatio censuit supra dictas difficultates committendas esse Sancto Officio, ut a Theologis examinari possint, et deinde referri in aliqua Congregatione coram S. mo habenda.

70.

Roma, 11 . IX . 1626.

Consuetudines Ecclesiae Unitae defendendae Nuntio Poloniae commendantur in occasione nominationis Episcopi Chelmensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 111, nr. 1.
SMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 211, nota 72.

CONG. 63 - Die 11 Sept. 1626 (f. 111).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardina-

⁵⁶ Petrus Arcudius. Nat. an. 1562 circa. Imprimis notari potest adnotatio Chronicae Collegii Graecorum de illo: « 21. Pietro Arcudi da Corfù; fu d'indole ottima; il quale doppo haver finito felicemente il corso di filosofia, et Teologia gli fu dato il grado di dottorato. Et questo fu il primo che si adottasse in Collegio Greco. Poi fu ordinato Diacono sub titulo Collegii et alquante volte canto l'Evangelio in Cappella; fatto Sacerdote fu mandato da Papa Clemente di fel. mem. in Polonia da i Rutheni, i quali sono Scismatici, per predicare la verità cattolica, dove doppo d'esser stato in doi volte vint'anni incirca con haver fatti grandissimi progressi, et ridotti tutti quelli Prelati Rutheni all'obediencia del Sommo Pontefice Romano, venne à Roma per negotii di quelle parti. Ha stampato molti libri delle Controversie fra Greci et Latini; è stato in Collegio dodici anni con edificazione di tutti, et gran frutto della Santa Chiesa in difesa della quale è stato zelantissimo. Morì nel Collegio Greco et è sepolto nella Chiesa di detto Collegio, al quale lasciò la sua eruditissima libreria » (fol. 7rv). Prima vice venit in Russiam annis 1590/1593. Postea Romam reversus adiuuabat Episcopos Potij et Terleckyj durante eorum in Urbe commoratione ad reddendam obedientiam Clementi VIII (1595-1596). Altera vice ivit in Russiam anno 1596, vocatus a Hypatio Potij, ut Seminarium institueret. Cum brevibus intervallis permansit in Russia fere usque ad annum 1613, id est ad mortem Potij. Tandem Romam reversus diversos obibat labores. Obiit anno 1633.

les, videlicet Bandinus, Borgia, Cleselius, Valerius, Ludovisius, et Sancti Honuphrii, et R. mus Montius solus.

In ea 1^o: referente Ill. mo D. Card. Bandino Poloniae Regem in nominatione Episcopi Chelmensis rutheni uniti⁵⁷ facta Metropolitae Russiae contra antiquam consuetudinem, et privilegia Episcoporum ruthenorum ab eodem Rege confirmata addidisse clausulam, ut novus Episcopus Chelmensis ruthenus unitus singulis annis latino eiusdem Urbis Episcopo rationem redderet administrationis (f. 111v) suae Ecclesiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus.

Sac. Congregatio censuit Nuntio Poloniae esse scribendum, ut cum Rege ageret pro antiquae consuetudinis, et privilegiorum praedictorum observatione ad favorem Praelatorum ruthenorum unitorum, idemque faciendum esse a S. mo per suum Breve ad Regem Poloniae.

71.

Roma, 11 . IX . 1626.

Litterae consolatoriae pro Metropolita Kioviensi statuuntur ex occasione resolutionis objectionum in S. Officio.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 112, nr. 3.

Sept. 11.

Cum ab eodem Card. referendae essent responsiones, quas Metropolita Russiae dedit obiectis ei, illiusque Ruthenis in Sancto Offitio datis a Praeposito Vilenensi,⁵⁸ S. mus dixit iam in ea Congregatione fuisse examinatas, et literas consolatorias Metropolitae, eiusque Praelatis decretas, et propterea posse per Congregationem de Propaganda Fide generaliter eidem Metropolitae rescribi cum remissione ad literas Congregationis Sancti Offitii.

72.

Roma, 11 . IX . 1626.

Relatio de nominatione R. Korsak in Coadiutorem Metrop. Kioviensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 121, nr. 33.

Sept. 11.

Ex literis Nuntii Poloniae retuli Regem consensum suum praestitisse, ut P. Raphael Korsach, monachus Sancti Basilii, Ruthenus unitus, fiat Coadiutor Metropolitae Russiae.

⁵⁷ Episcopus Chelmensis hoc anno a Rege nominatus erat Theodorus Meleško, qui, ut habet Ig. Stebelski, hac eadem die suae consecrationis obiit. Cfr. IG. STEBELSKI, *Przydatek do Chronologii*, t. III, ed 2, Lwów 1867, p. 161.

⁵⁸ Praepositus Vilenensis hoc anno nobis ignotus est; in memoriam tamen adducere possumus, Abrahamum Wojna, Suffraganeum Vilnensem, qui Metropolitae Rutzkyj ob praecedentiam offensus erat, ad Sedem Samogitiae nondum translatus fuisse; non potest excludi, quod ipse, prout Suffraganeus, etiam munere Praepositi Vilenensis fungebatur.

73.

Roma, 25 . IX . 1626.

De concessione ecclesiae S. Laurentii in Urbe pro Ruthenis unitis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 123, nr. 1.

CONG. 64 - Die 25 Sept. 1626 (f. 123).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Borgiae, ob infirmitatem Card. Bandini, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Borgia, Cleselius, Valerius, Ludovisius, Sancti Honuphrii, et Magalottus, ac R.mus Montius.

In ea 1: Agens Congregationis retulit Sanctissimum concessisse ecclesiam Sancti Laurentii in Fonte, positam in Urbe in via Suburrae intra sua notissima latera, monachis ruthenis Sancti Basilii unitis; et quia ecclesia praefata pertinet ad Canonicos Regulares Monasterii Sancti Petri in Vinculis, Sacra Congregatio dixit convenire, ut agatur cum Procuratore Generali Religionis praefatae, et cum Superiore dicti monasterii, pro habenda ab eis praedictae ecclesiae cessione.

74.

Roma, 5 . X . 1626.

Concessio ecclesiae S. Laurentii pro monachis Basilianis in Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 130.

Die 5 Octobris 1626.

Die Sabbathi 19 Mensis 7bris 1626. Sanctissimus D. N. Urbanus VIII, petente Sac. Congregatione Ill.morum Cardinalium ad fidem propagandam deputatorum, concessit monachis ruthenis Ordinis Santi Basilii sub ritu graeco viventibus, et in Urbe commorantibus, ac tam diu, quam diu hic morabuntur ecclesiam Sancti Laurentii in Fonte, seu in Suburra in regione Montium cum omnibus eius iuribus, et pertinentiis, et in fidem etc. Hac die 5. 8bris 1626.

75.

Roma, 9 . XI . 1626.

De extensione Bullae Pauli V de occupatione bonorum a saecularibus ad Ruthenos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 131, nr. 1.

CONG. 65 — Die 9 Nov. 1626 (f. 131).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Cleselius, Valerius, et Barberinus, ex Legatione Hispaniae reversus, R.mus Sanctacrucius, Protonotarius Apostolicus, pro prima vice, et R.mus Montius.

In ea 1: Referente Ill.mo D. Card. Bandino literas Nuntii Poloniae, quibus significabat, non expedire in eo Regno constitutionem Paulinam de non alienandis extendere ad bona ecclesiastica Ruthenorum unitorum, cum reservatione excommunica-

tionis in ea latae, tum quia habent Rutheni praedicti viam Iuditorum ad iura sua defendenda, et conservanda tutiorem, tum quia propter huiusmodi novitatem turbae, et scandala in eo Regno excitarentur, Sac. Congreg. censuit ab extensione dictae Bullae petita, ob rationes a Nuntio allatas, pro nunc abstinendum esse.

76.

Roma, 7 . XII . 1626.

Relatio de Synodo Kobrynensi: de subsidio pro Seminario, de matrimoniis clandestinis, de poenis contra simoniacos, et de examine omnium actorum Synodi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 146-148, nr. 1.

CONG. 67 — Die 7 Dec. 1626 (f. 146).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Valerius, Ludovisius, Magalottus, et Barberinus, et R.mi Sanctacrucius, et Montius.

In ea 1: Referente Ill.mo D. Cardinali Bandino Acta Synodi Ruthenae, celebratae a Metropolita Russiae cum suis Episcopis, (f. 146v) Archiepiscopi, et Protopopis Cobrini, die 6. 7bris 1626, Sac. Congregatio primum gratulata est de contributione 15 millia scutorum pro Rutheno Seminario facta, tum a Vilmensi Episcopo latino, qui pro Sanctissimo dictae Synodo interfuit, tum a Ruthenis unitis; deinde decrevit, ut infra.

1. Censuit pecunia pro Seminario conferenda esse bona immobilia frugifera, ut ex eorum redditibus Ministri, et Alimni sustentari possint.

2. Censuit Decretum circa Matrimonia celebranda editum, publicandum esse in unaquaque Parochia Ruthenorum unitorum, ut ipsos Ruthenos afficiat, et ei, quod dicitur de Parochia ebrio, matrimonio assistenti, addendum esse: dummodo legitime constet de illius ebrietate.

3. Dixit in Decretis contra Simoniacos editis, per modum monitionis indicandas esse transgressoribus poenas, quae a Sacris Conciliorum Decretis pro huiusmodi criminibus inflinguntur.

4. et postremo, mandavit per Ill.mum D. Cardinalem Bandinum (f. 148) et R.mum Vulpium, Paulutium, Magistrum Sacri Palatii, Augustinum, S.mi D. N. Theologum, et D. Petrum Arcudium Acta omnia dictae Synodi examinari, eorumque occasione rursus considerari, quae Ruthenis unitis promissa fuerunt, quando tempore Clementis VIII Unionem cum Sancta Romana Ecclesia fecerunt.

77.

Roma, 7 . XII . 1626.

Responsa ad petitiones Metropolitanae Kioviensis: litterae gratiarum actionis pro Ep. Vilmensi, ut procedatur contra Pseudometropolitam Kioviensem, de imprimendis libris ruthenis Romae, de iudicibus ecclesiasticis ex Ruthenis eligendis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 148rv, nr. 2.

Dec. 7.

Referente eodem Ill.mo Cardinali Bandino petitiones Metropolitanae Russiae, Sac. Congregatio quoad primum iussit gratias agi Episcopo Vilmensi de gestis per

eum in Synodo Ruthena, et praesertim de contributione per ipsum facta ad favorem Seminarii Rutheni erigendi, eundemque rogari, ut in negotio loci in Senatu pro Metropolitano Russiae obtinendi Nuntio Apostolico suum praestet auxilium, et favorem.

Quoad 2dam mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut curet per Regem eiici ab eius Dominiis Pseudo Metropolitam Russiae,⁵⁹ qui ex Turcarum ditione rursus in Russiam, ut nova moliatur in perniciem Unionis Ruthenorum, descendit.

Quoad 3tiam iussit eundem Metropolitam commonere, ut libros ecclesiasticos lingua ruthena impressos per doctos monachos emendari, eosque cum emendatione Romam transmitti (f. 148v) curet, quia illi diligenter in typographia Sac. Congregationis imprimentur.

Quoad 4tam de Iudicibus ecclesiasticis ruthenis unitis adiungendis aliis, qui a Rege Poloniae certis anni temporibus ad iudicandas per Regnum causas deputantur, Sac. Congregatio mandavit eidem Nuntio scribi, ut hanc petitionem examinet, et praesertim si illa demissa Schismatici rutheni idem privilegium obtinere poterunt perspicat, et deinde sententiam suam de dicta petitione Sac. Congregationi significet.

78.

Roma, 18 . XII . 1626.

Conceduntur diversae facultates Dominicanis Provinciae Russiae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 158-159, nr. 7.

CONG. 68 — Die 18 Dec. 1626 (f. 156).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Borgiae, cui interfuerunt quinque tantum Cardinales, videlicet ipsemet Borgia, Cleselius, Valerius, Ludovisius, et Magalottus, et R.mi Sanctacrucius, et Montius.

1. Proponente R.mo D. D. Nuncio Relationem 30 Conventuum Ordinis Praedicatorum in Russia existentium, et petitionem Fratri Joanni Damasceni, Provincialis eiusdem Ordinis et Provinciae, Sac. Congregatio: 1, censuit concedendam esse facultatem eidem Provinciali deputandi duos ex magis idoneis Fratribus ei subiectis in quolibet ditorum Conventuum, qui, ut Missionarii Sac. Congregationis, Haereticorum, et Schismaticorum conversioni peculiariter incumbant sub praefectura, et directione eiusdem Provincialis, quem harum Missionum ruthenarum caput, et Praefectum Ill.mi Patres esse voluerunt.⁶⁰

2. Eidem Provinciali infrascriptas facultates cum potestate (f. 158v) eas communicandi Fratribus Missionariis ab eo, ut supra deputandis, concedendas esse, si Sanctissimo placuerit, censuerunt, videlicet:

1. Administrandi parochialia Sacramenta, ubi non sunt Parochi, vel ubi sunt de eorum licentia, et etiam sine licentia, ubi ob locorum distantiam non possunt haberi recursus ad Parochos, et periculum est in mora.

2. Largiendi indulgentiam plenariam conversis ad fidem catholicam in prima eorum confessione, et etiam in mortis casu.

⁵⁹ Agitur adhuc de Hiob Borecky, qui consecratus fuit Metropolitano Kioviensis a Theophane, Patriarcha Hierosolymitano, die 25.VIII.1621 (cfr. *Encyklopedyja Powszechna*, vol. II, p. 138-140), vel, ut habent alii, anno 1620 (eodem die). Obiit 2.III.1631.

⁶⁰ Notandum facultates infrascriptae terram Ucrainae primario respiciebant.

3. Largiendi eisdem indulgentiam plenariam in festo Paschatis et in diebus Sancti Dominici, et Sancti Hyacynthi, qui fuit primus fundator Provinciae Dominicanorum in Russia.

3. Pro aliis facultatibus, ad Sanctum Officium spectantibus, Sacra Congregatio iussit illud adiri.

4. Et postremo censuit admonendum esse eiusdem Provinciale, ut in aliquo vel aliquibus ex praedictis Conventibus studia linguae armenae, vallahae, et (f.159) tartarae instituat, quia Sanctissimus lectoribus, studentibus earum ea privilegia concedet, quae Paulus V, eius Praedecessor lectoribus, et studentibus linguis haebricae, graecae, chaldaee, et arabicae concessit.

Die 30 Xbris 1626. Sanctissimus mandavit Decretum Sac. Congregationis tradi Rev.mo Vulpio, ut de contentis in eo, a verso: administrandi parochialia etc. usque ad finem ipsius agat cum Sanctitate Sua.

79.

Roma, 18 . XII . 1626.

Conceduntur facultates pro conversione Schismaticorum Vallachiae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 164v, nr. 20.

Dec. 18.

Petente Fratre Andrea Bogoslavich, Ordinis Minorum Conventualium, Missionario in Valliacham renovari suas litteras patentes Missionis, et facultates a Sancto Officio obtentas, casu amissas, Sacra Congregatio petitioni Oratoris annuit quoad patentes Missionis, et quoad facultates iussit adiri Sanctum Officium.

Petente eodem Fratre Andrea facultatem dispensandi cum conversis ab haeresi, et schismate ad fidem catholicam circa usum Kalendarii veteris, Sac. Congregatio remisit negotium ad Sanctum Officium.

80.

Roma, 18 . XII . 1626.

De conversione familiae P. Pachomii Oranskyj.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 165v-166, nr. 27.

Dec. 18.

Ex literis Fratris Raphaelis Korsak, Coadiutoris Metropolitae Russiae, retuli Patrem Pacomium, Ruthenum unitum, Alumnum Collegii Graeci,⁶¹ in suo in patriam reditu convertisse ad fidem catholicam totam suam (f. 166) familiam.

81.

Roma, 15 . I . 1627.

De coadiutoria Raphaelis Korsak et modo eius institutionis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 170v, nr. 2.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 219, nota 88 (ubi etiam nr. 25 et 42).

CONG. 69 — Die 15 Jan. 1627 (f. 170).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bandinus, Borgia, Cleselius, Bentivolus pro prima vice, Valerius, Lu-

⁶¹ Agitur de P. Pachomio Oranskyj, postea Episcopo Pincensi (1637-1653). Cfr. notam. 47.

dovisius, Magalottus, et Barberinus, et R.mi Sanctacrucius, et Montius, ac R. Pater Dominicus a Scala, qui attulit scuta 500 auri, Sacrae Congregationi donata.

Referente eodem Ill.mo literas Nuntii Poloniae de Fratre Raphaelo Corsach in Coadiutorem Metropolitae Russiae a Rege Poloniae iam nominato, Sac. Congregatio censuit eidem Nuntio scribendum esse, ut Coadiutorem, et Coadiutum moneat de expeditione Coadiutoriae in Romana Curia necessario facienda, iuxta Decretal. Bonifacii VIII unitam, de Cleric. Aegrot. in 6, ne dictus Pater Raphael sine canonica institutione Coadiutor Metropolitae Russiae nominetur, et in illius Ecclesiae administratione se ingerat; nam quod expensas attinet, Sanctissimus iubebit Bullas expediri per viam Curiae, in qua expeditione expensae non ascendunt ad scuta 20 monetae.

82.

Roma, 15 . I . 1627.

Approbatio Decretorum Synodi Provincialis Kobrynensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 171rv, nr. 4.

Jan. 25.

Referente eodem Ill.mo D. Cardinali Bandino examen Synodi Ruthenae factum in congregatione particulari, die praecedenti coram D. Sua Ill.ma habita, Ill.mi Patres Decretum eiusdem particularis congregationis in omnibus, et per omnia approbaverunt, et eodem die Sanctissimus idem Decretum approbavit.

83.

Roma, 22 . II . 1627.

De non reddenda ratione Episcopis latinis ab Ep. ruthenis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 190rv, nr. 21.

CONG. 71 — Die 22 Februarii 1627 (f. 184).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Bandinus, Millinus, Borgia, Bentivolus, Ludovisius, Magalottus, et Barberinus, et R.mi Sanctacrucius, et Pater Dominicus a Scala, qui attulit scuta 250, Sac. Congregationi donata.

Ex literis Nuntii Poloniae retuli Cancellarium⁶² illius Regni (f. 190v) satisfecisse Ruthenis unitis circa clausulam, quae ponebatur in provisionibus Episcopatum eorum, ut scilicet non teneantur reddere rationem suarum Ecclesiarum Episcopis latinis.

84.

Roma, 15 . III . 1627.

De missione quattuor Carmelitarum ad Metropolitam Kioviensem.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 198v-199.

CONG. 72 — Die 15 Martii 1627. (f. 192v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt sex

⁶² Cancellarius Regni Poloniae anno 1627 erat Venceslaus Leszczyński (28.II.1625-1628). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. XIII, p. 889.

Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Millinus, Borgia, Bentivolus, Valerius, et Magalottus, R.mi Sanctacrucius, et Montius.

Ill.mus D. Cardinalis Bandinus mandavit praecipere Generali (f. 199) Carmelitarum Discalceatorum, ut iuxta Decretum Sac. Congregationis de Propaganda Fide, die 31 Maii 1624 editum,⁶³ dum erit Poloniae in Visitatione, mittat ad Metropolitam Russiae quatuor ex suis Fratibus, linguam polonicam, vel ruthenam callentes, doctrina, et disciplina regulari praestantes, ad instruendos monachos ruthenos, prout latius habetur in dicto Decreto.

85.

Roma, 26 . III . 1627.

De alumnatibus ruthenis in Gratz et in Olomouc.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 200, nr. 3.

CONG. 73 — Die 26 Martii 1627 (f. 199).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Cleselius, Bentivolus, Valerius, Ludovisius et Barberinus, et R.mi Sanctacrucius, et Montius, ac R. Pater Dominicus a Scala, qui primo detulit scuta 100 in saculo Sac. Congregationi donata, et deinde Secretario tradidit syngrapham, seu mandatum Francisci Ferrae, datum Ianuae, die 21 Aprilis 1626, DD. Ascanio, Prospero, et Joanni Georgio de Costacutis (f. 199v) scutorum mille monetae solvendorum ad praescriptum dicti Patris Dominici, hoc modo, videlicet pro 500 - statim, aliorum vero 500, in quinque annis, incipiendis anno praesenti, singulis scilicet annis centum.

Referente eodem Ill.mo D. Cardinali Bandino, Nuntium Germaniae significasse posse ab Imperatore obtineri aliqua loca in suis Collegiis pro Ruthenis unitis, si nomine Sac. Congregationis ab Eius Maiestate petantur, Patres unanimi consensu censuerunt, eidem Nuntio scribendum esse, ut quatuor loca pro Alumnis Ruthenorum praedictorum ab Imperatore Congregationis nomine postulet, duo scilicet in Collegio Graecensi, et alia duo in Collegio Olmitzensi.

86.

Roma, 16 . IV . 1627.

Facultates pro conversione Schismaticorum ab Episcopo Peremyshliensi expetuntur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 208, nr. 18.

CONG. 74 — Die 16 Aprilis 1627 (f. 204).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Borgia, Cleselius, Bentivolus, Valerius, et Barberinus, et R. mus Laurentius Corsius, pro prima vice, postquam a S.mo fuit substitutus in locum R.mi Sancta Crucii, qui cum titulo Archiepiscopi Seleucia fuit in

⁶³ Cfr. supra, nr. 21.

Poloniam Nuntius destinatus, R. d. Montius pro ultima vice, cum Neapolim et ipse propediem profecturus sit Nuntius, et denique R. P. Dominicus a Scala, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

Petente Episcopo Premisliensi latino⁶⁴ quasdam facultates ad conversionem Haereticorum, et Schismaticorum adhibendas, Sac. Congregatio iussit per Oratorem Sanctum Officium adire.

87.

Roma, 21 . V . 1627.

Responsum Congregationis ad varias relationes et petitiones: Breve pro Georgio Tyszkiewicz, indulgentia plenaria pro exercitiis apud PP. Basilianos peractis, de alienatione bonorum; de miraculis ad sepulchrum S. Josaphat et de Processu fabricando; subsidium pro ecclesia S. Laurentii in Urbe exaedificanda, de querelis Archiep. Smolencensis contra Latinos de occupatione bonorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 4, fol. 214-217v, nr. 2-5.

A. G. WELYKYJ, OSBM, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. 1, p. 73, nr. 64, (excerptum).

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 209, nota 65, et 139, p. 236-237.

CONG. 75 — Die 21 Maii 1627 (f. 214).

Fuit Congregatio in Quirinali Palatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Cleselius, Bentivolus, Ludovisius, Magalottus, Cornelius pro prima vice in locum Cardinalis Valerii subrogatus, et Barberinus, R. mus Corsius, et Pater Dominicus a Scala, qui attulit scuta 100 Congregationi donata.

Referente eodem Ill. mo Cardinali Bandino petitiones quasdam Ruthenorum unitorum, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

(f. 214v) 1. Censuit, si Sanctissimo placuerit, scribendum esse Breve ad Georgium Tyszkiewicz,⁶⁵ Episcopum Methonensem, Vilmensis Episcopi Suffraganeum, Palatinique Berestensensis filium, quo ille ob auxilia Ruthenis unitis praestita, et beneficia in eosdem, et praesertim Episcopos, et monachos collata plurimum comendetur, laudibusque extollatur, et deinde, ut eosdem Ruthenos similibus favoribus prosequi, Unionisque illorum patrocinium suscipere, eamque totis viribus promovere velit, blanda exhortatione commoneatur.

2. Indulgentiam plenariam Ruthenis unitis, qui apud monachos Sancti Basilii, Ruthenos, similiter unitos, exercitia spiritualia per octo dies fecerint, concedendam esse iuxta formam illius, quae concessa fuit Latinis, dicta exercitia apud Jesuitas facientibus.

3. Ne bona ruthenarum Ecclesiarum unitarum parsim, et a quovis sive Ecclesiastico, sive Layco, deinceps alienentur, inconsulto Romano Pontifice, Breve (f. 215) expediendum esse, quo Sanctissimus D. N. bona praefata, quae nunc ad dictas Ecclesias spectant, et Ecclesiastici rutheni uniti, sive regulares sive saeculares, sive in ordine episcopali constituti, sive inferioris dignitatis, aut conditionis existant, paci-

⁶⁴ Achacius Grochocki, Episcopus Peremyliensis (1623-1628), postea translatus Luceoriam. Obiit anno 1633.

⁶⁵ Georgius Tyszkiewicz, Episcopus tit. Methonensis ab anno 1626, dein Episcopus Samogitiae (1631) et demum Ep. Vilmensis post mortem Abrahami Wojna, ab anno 1649 (26.V.). Obiit anno 1656, die 17 Januarii.

fice possident, sub suo patrocinio, et protectione suscipiat mandetque deinceps in alienationibus faciendis observari Concilii Generalis Lugdunensis, sub Gregorio X. Decretum de rebus Ecclesiae non alienandis, quod insertum habetur in eo Concilio, Canone 22 et in 6^o Decretalium, in Decreto incipien. hoc consultissimo, eodem titulo: de rebus Ecclesiae non alienandis.

4. Canonem praedicti Concilii Lugdunensis inserendum esse in dicto Breve, et praecipendum, ut ab omnibus, tam Ecclesiasticis, quam Laycis, sive Ruthenis unitis, sive Latinis cuiuscunque gradus, et dignitatis (f. 215v) existant, sub poenis in eo contentis observetur.

5. et postremo, minutam Brevis praefati examinandam esse prius per Ill. mos DD. Cardinales Bandinum, et Millinum, et demum expediendum esse, ac Nuntio Poloniae mittendum, ut antequam illud publicetur, Regis sententiam exploret, curetque persuadere convenientissimum esse, ut a Ruthenis Ecclesiis Concilium praefatum observetur, cum non solum generale, sed etiam cum ipsis Graecis celebratum fuerit.

Eodem die Sanctissimus Decretum Sac. Congregationis approbavit.

3. — Referente eodem Ill. mo Cardinali Bandino miracula quaedam, quae ad sepulchrum piae memoriae Archiepiscopi Polocensis Josaphat fieri dicuntur, et simul impedimenta, quae propter Poloniae bella Metropolitanae Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Rutheni uniti, et Episcopus Vilmensis, Latinus, per Remissoriales a Sac. Congregatione Rituum delegati (f. 216) habere dicuntur, in compilando Processu supra dicti Archiepiscopi Josaphat interfectione, et super causa mortis eius ob defensionem videlicet S. Catholicae Fidei, et Pontificis Romani primatum contra Schismaticos, et denique petitionem Archiepiscopi Polocensis postulantis facultatem erigendi super sepulchro praefato Altare in honorem dicti Josaphat, Sac. Congregatio: 1. Ne retardetur Processus praedictus censuit per Ill. mum D. Card. Millinum in Sac. Congregatione Rituum agendum esse de modo, quo bellorum Poloniae impedimentis vigentibus, possit per unum ex delegatis in causa praedicti Josaphat ulterius procedi.

2. Inclinat Sanctissimus ad gratiam faciendam, ut scilicet non obstante Decreto suo de non aperiendis Processibus Beatificationum, vel Canonizationum, nisi post quinquaginta annorum curriculum, Processus dicti Josaphat, cum compilatus fuerit, statim (f. 216v) aperiatur.

3. Dixit non convenisse Sedem Apostolicam, ante Processus legitime factos, concedere facultatem erigendi Altaria super sepulchris eorum qui cum opinione sanctitatis obierunt.

4. Denique censuit posse concedi eidem Archiepiscopo Polocensi, ut iuxta Decretum Congregationis dicti S. Officii de imaginibus, tabellis, et aliis cultibus eorum qui cum fama martyrii, aut sanctitatis mortui sunt, ante Beatificationem, vel Canonizationem eorum ad ipsorum sepulchra non admittendis, possit vota, tabellas, imagines, candelas, lampadas, et alia huiusmodi in testimonium gratiae receptae, quae ad sepulchrum praedicti Josaphat offeruntur recipere, factis tamen peculiaribus eorum notis et causarum, per quas offerunt, per Notarium publicum, in libro ad hunc effectum parando, describendis.

4. — Referente eodem Ill. mo Card. Bandino petitionem Fratris Raphaelis Korschach, Episcopi Halliciensis, postulantis a S. D. N. aliquod subsidium, ut possit prope ecclesiam Sancti Laurentii in Fonte, Ruthenis unitis concessam, exaedificari domuncula pro habitatione Fratris Nicolai Novatii, Ruthenorum unitorum Agentis, et pro aliis duobus, aut tribus Sociis, monachis S. Basilii, ad Urbem mittendis, Sanctissimus iussit agi cum Dominis Visitoribus Urbis.

5. — Referente eodem Ill. mo D. Cardinali Bandino querelas Archiepiscopi Smo-

lenscensis⁶⁶ contra Latinos, qui maximam bonorum ecclesiarum Ruthenorum Ducatus Severiensis in Moschovia partem in fundationem ecclesiarum latinarum distribuerunt, quam minima parte Ruthenis, et praesertim Oratori relicta, Sac. Congregatio iussit scribi Nuntio Poloniae, ut hac de re cum Rege agat, curetque Ruthenis unitis in dictorum bonorum distributione satisfieri, ne suis substantiis a Latinis (f. 217v) spoliati ab Unione cum Ecclesia Latina deficiant ad Schisma, et Rutheni schismatici, aliique graeci ritus homines magis aversi a Latinis fiant, magisque Unionem cum S. Romana Ecclesia abhorreant.

88.

Roma, 5 . VI . 1647.

Designatur Commissio liturgica pro revisione et impressione librorum liturgicorum linguae illyricae; inter membra huius Commissionis monachus Basilianus - Nicolaus Nowak connumeratur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 226rv, nr. 3.

CONG. 76 — Die 5 Iunii 1627 (f. 225).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Cleselius, Bentivolus, Ludovisius, et Magalottus, R.mus Corsius, et prima vice R. D. D. Antonius Toraniellus, utriusque Signaturae Referendarius, subrogatus a Sanctissimo D. N. in locum R.mi Montii.

Relatis litteris Archiepiscopi Jadrensis, et aliorum Praelatorum Dalmatiae de Misalibus, Breviariis, et Cathedismis illyricis imprimendis, Sac. Congregatio decrevit ut infra.

1. Standum esse in Decretis, ut scilicet huiusmodi libri Ecclesiis illyricis, tot Praelatorum testimoniis necessariis, omnino imprimantur.

2. Eosdem libros corrigendos esse iuxta Romanos codices, iussu Pii V et Clementis 8 recognitos.

(f. 226) 3. Ut emendatio eorum rectius fiat, instituendam esse peculiarem Congregationem ex Religiosis doctis, linguam illyricam callentibus, coram Episcopo Sarsinatensi habendam, ad quam Pater Nicolaus Novatius, ruthenus monachus,⁶⁷ et D. Petrus Benessa, Ragusinus, vocandi erunt.

4. Ut tam linguae illyricae, quam aliarum exterarum nationum correctores librorum habeantur, praecipendum esse Superioribus Religionum, ut in conventibus et monasteriis Urbis Religiosos diversarum nationum, inter alios de familia collocent, ut eorum opera Ministri Sac. Congregationis, cum necesse fuerit, uti possint.

⁶⁶ Archiepiscopus Smolenscensis erat P. Leo Creusa (1625-1639), Basilianus, Archimandrita Vilnensis, qui simul et Protoarchimandrita Congregationis Basilianorum SS.mae Trinitatis erat, electus prima vice an. 1621, et postea reelectus an. 1623. Initio anni 1624 nominatus Ep. Smolenscensis. Ratione aggressionis Moscoviticae et difficultatum internarum in hoc Ducatu periodus eius in hac Sede erat valde difficilis. Inde eius frequentes recursus ad Sanctam Sedem, ut unicum Protectricem huius Archiepiscopatus. In Chronica Collegii Graecorum habetur de ipso talis notitia: « 193. Lorenzo Creusza. Ruteno, si parti Teologo per indispositione; era di bellissimo ingegno, et arrivato in Ruscia si fece Monaco di San Basilio; è grand'operario nella Chiesa di Dio, si in Ruscia come in Moscovia, convertendo infinite anime a cognoscere il Pontefice Romano per vero successore di San Pietro. Fu poi creato Vescovo di Smolenscho » (fol. 38).

⁶⁷ Cfr. de hoc Procuratore Ecclesiae Unitae in Urbe art. in « *Analecta OSBM* » Ser. II. Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 62-78.

89.

Roma, 12 . VII . 1627.

Indulgentia plenaria pro Defunctis in cathedralibus ecclesiis ruthenis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 238v-239, nr. 2.

CONG. 77 — Die 12 Iulii 1627 (f. 238v).

Fuit Congregatio Quirinali Palatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt 8 Cardinales, videlicet Bandinus, Borgia, Cleselius, Bentivolus, Ludovisius, Magalottus, et Barberinus, et R.mi DD. Corsius, et Toraniellus, et Pater Dominicus, qui attulit scuta centum.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino petitionem Metropolitae Russiae (f. 239) Sac. Congregatio censuit, concedenda esse Altaria privilegiata pro Defunctis metropolitanae ecclesiae Chioviensi, ac caeteris cathedralibus Ruthenorum unitorum, cum eisdem condicionibus, de quibus in Decretis, a se editis die 6 . 7bris, et die 19 . 9bris anni 1624.

90.

Roma, 12 . VII . 1627.

Difficultas in confirmatione Synodi Kobrynensis ex capite Decreti de matrimoniis clandestinis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 240v, nr. 7.

Jul. 12.

Referente eodem Ill.mo D. Cardinali Bandino difficultates subortas in expeditione confirmationis Synodi Ruthenorum, anno praeterito celebratae, circa clandestina matrimonia, Sac. Congregatio censuit scribendum esse Nuntio Poloniae, ut informationes assumat de publicatione, et modo publicationis Decreti S. Conc. Trident. de reformatione matrimonii facti a Ruthenis unitis, easque Romam quamprimum mittat.

91.

Roma, 26 . VII . 1627.

Litterae ad Metropolitam Kioviensem de missione Monachorum ad iuvandos captivos Constantinopoli.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 257, nr. 2.

CONG. 78 — Die 26 Iulii 1627 (f. 256v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Cleselius Bentivolus, Ludovisius, Cornelius, et R.mi Corsius, et Toraniellus.

Ad iuvandos Ruthenos captivos, qui in magno numero degunt Costantinopoli, ut Euthemius Archimandrita retulit, decretae fuerunt litterae ad Metropolitam Russiae, ut significaret, an ad eos ex monachis unitis missio fieri possit.

92.

Roma, 13. VIII . 1627.

De variis negotiis: de « non transitu » admonitio PP. Soc. Jesu, suspensio respectivi Decreti, commendatio Uitorum, et d: Ecclesia Smolenscensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 268, nr. 7.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 22, nr. 11/11.

CONG. 79 — Die 13 Augusti 1627 (f. 265v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Santissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Bandinus, Borgia, Cleselius, Bentivolus, Ludovisius, Cornelius, et Barberinus, et R.mi DD. Corsius, et Torniellus, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

Referente eodem Ill.mo D. Cardinali Bandino negotia Ruthenae Ecclesiae Unitae, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Mandavit praecipi Generali Jesuitarum, ut Provinciam Lithuaniae admoneat, ne de caetero per se, aut per Patres Societatis, et praesertim Confessarios, Ruthenos unitos ad ritum latinum trahant.⁶⁸

2. Jussit Poloniae Nuntio scribi, ut certiores faciat Regem, Metropolitam Russiae, neque Brevia, neque Bullas, neque Decreta authentica de prohibito transitu Ruthenorum potuisse publicare, quia neque fuerunt expedita, neque ad eum transmissa, et propterea non debere Eius Maiestatem a protectione Ruthenae Ecclesiae Unitae, eiusque Praelatorum, et praesertim Metropolitae, recedere.

3. Eidem Nuntio res Ruthenorum unitorum efficacissime commendari praecepit, quia per eos Moscovia, et aliae Provinciae, successu (f. 268v) temporis, Deo favente, ad catholicam unitatem redigentur.

4. Et postremo mandavit scribi Episcopo Smolenscensi, ut novae illius Ecclesiae statum Sac. Congregationi significet, indicemque librorum moscovitica lingua conscriptorum in Bibliotheca, ei tradita a suis Dioecesanis, existentium mittat.

93.

Roma, 24 . IX . 1627.

Ad Nuntium Poloniae: de litteris inhibitionis in favorem ecclesiae Zyrovicensis, de eiectione Sacerdotis rutheni et introductione latini in pago Stuolovicensi, nec non de generali cura rerum Ecclesiae Unitae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 286rv, nr. 7.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 210, nota 65.

CONG. 81 — Die 24 Sept. 1627 (f. 284).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo cui interfuerunt 8 Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Bentivolus, Magalottus, Spada, Cornelius, et Barbarinus, R.mi Corsius, et Torniellus, et Pater Dominicus, qui scuta 25 attulit, Sacrae Congregationi donata.

Referente Ill.mo D. Card. Bandino petitiones Metropolitae Russiae, Sac. Congregatio decrevit infra.

1. Censuit scribendum esse Nuntio Poloniae, ut literas inhibitionales Metro-

⁶⁸ Cfr. supra, nr. 9, die 7.II.1624, et nr. 24, die 7.VII.1624.

litae praefato concedat, quibus Religiosi cuiuscumque Instituti, ac Ordinis prohibeantur, ne in Pago Zuroviciae eiusque districtu novas Domos, aut Conventus, sive Hospitia aedificare, erigere, aut construere praesumant, inconsulta Sede Apostolica.

2. Ut informationes assumat de eiectione Sacerdotis rutheni uniti a Parochia Ruthenorum in Oppido Stuolovicensi, facta a Principe Radivillio ad instantiam Jesuitarum, et introductione Sacerdotis latini in eius locum, easque postea Romam transmittat, cum eius sententia circa restitutionem dicti Sacerdotis rutheni ad suam Parochiam.

(f. 286v) 3. Ut Ruthenam Ecclesiam Unitam, ac eius Praelatos ac Sacerdotes, et praesertim Metropolitam commendatos habeat, eorumque petitionem peculiarem suscipiat, et latinis Praesulibus, ac Regi saepe saepius commendet, ut favoribus, et gratiis animati, Sanctam Unionem propagare, et ampliari magis, magisque studeant.

94.

Roma, 9 . X . 1627.

De missione duorum monachorum ad Montem Athos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 297v-298, nr. 10.

CONG. 82 - Die 9 Oct. 1627 (f. 293).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Bandini, cui interfuerunt 7 Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Borgia, Bentivolus, Ludovisius, Magalottus, Spada, et Cornelius, et R.mi Corsius, et Torniellus.

Recitata relatione Alexandri Vasilopoli, graeci Sacerdotis Insulae Zacynthi, de Monte Athos in Macedonia, qui vulgo Mons Sanctus nuncupatur, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Censuit mittendam esse ad Metropolitam Russiae copiam dictae relationis una cum nominibus monasteriorum in dicto Monte existentium, eique scribendum, ut duos ex suis (f. 298) monachis ruthenis unitis, quos magis idoneos esse iudicaverit, ad eundem Montem dirigere velit, illorumque nomina Sac. Congregationi significare, ut literae patentes missionis cum facultatibus pro illis expediri, ac stipendium ad eorum sustentationem necessarium constitui possint.

2. Censuit dictos monachos ad praefatum Montem mittendos posse primum in monasteria Ruthenorum schismaticorum, ibi existentium, se recipere, et paulatim eorum animos tentare, ac ad Unionem cum S. Romana Ecclesia, si fieri poterit, impellere, ac trahere.

3. Et postremo, eosdem monachos linguae graecae vulgari incumbere debere, ut cum monachis monasterii Dionisiani et S. Laurae de praedicta Unione agere possint; nam si illa duo monasteria ad eam perducantur, caetera facilius eorum exemplum sequentur.

95.

Roma, 9 . X . 1627.

Orator Galliae Constantinopoli de necessitate curae animarum pro captivis Ritus Rutheni.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 300rv, nr. 22.

Oct. 9

Fuerunt recitatae litterae Oratoris Galli Constant. residentis, Fratris Emidii Pro-

telli, et Fratris Joannis de Luca, Dominicanorum Missionariorum in Urbe Caffà, et in Tartaria, quibus significabatur: 1., dictum Fratrem Joannem a (f. 30v) Rege Tartariae optima fuisse exceptum, eique concessum, ut curam Christianorum in iis regionibus existentium libere suscipere et exerceret.

2. Quendam Vartabietum armenum e Hierusalem ad colligendas eleemosynas pro locis sanctis in eas partes missum adeo ipsis favisse, ut ad Armenos in ea Urbe existentes de Primatu Romani Pontificis concionem habens praecepit, ut eisdem Missionariis in omnibus obedirent, et post dictam concionem semper ipsos Missionarios optime ab ipsis Armenis habitos fuisse.

3. Necessarium esse, ut ruthenus Dominicanus illuc mittatur propter multitudinem captivorum ruthenorum, qui ibi nec verbum Dei audire, nec Sacramenta suscipere possunt ob defectum Sacerdotis linguam eorum callentis, quam necessitatem cum Ill.mi Patres audissent, mandarunt districte praecipere Generali Dominicanorum, ut ruthenum sacerdotem sui Ordinis in Tartariam quamprimum mitti curet, ut Ruthenorum praedictorum curam habeat, et socius fiat dicti Fratris Joannis, ne in Fecciala solus maneat.

96.

Roma, 5 . XI . 1627.

Conceditur facultas pro Metropolita Kioviensi dispensandi ab impedimentis matrimonialibus et quoad legitimationem prolis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 304, nr. 1.

CONG. 83 - Die 5 Nov. 1627 (f. 304).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet Bandinus, Borgia, Bentivolus, Magalottus, Cornelius, et Barberinus, et reverendissimi DD. Corsius, et Torriellus, et R. P. Dominicus a Scala.

In ea 1: petente D. Josepho Velamino, totius Russiae Metropolitanae, nonnullas facultates dispensandi in matrimoniis, et legitimandi prolem ex matrimonio cum impedimentis contracto susceptam, Sac. Congregatio ad relationem Ill.mi D. Card. Bandini censuit, si Sanctissimo placuerit Patri, concedi posse easdem facultates, quae latinis Episcopis in partibus Infidelium, Schismaticorum vel Haereticorum a Sede Apostolica remotis (f. 304v) degentibus concedi consueverunt, cum clausula: ad septennium.

97.

Roma, 5 . XI . 1627.

Missio duorum exemplarium Catechismi Würtembergae impressi ad Meletium Smotryckyj, ad confutandos Schismaticos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 304v, nr. 2.

Nov. 5.

Petente Meletio Smotricio,⁶⁹ Rutheno, Pseudo Archiepiscopo Polocensi, nuper a Schismate ad fidem catholicam converso, ad eum transmitti Catechismum lingua

⁶⁹ Meletius Smotryckyj, polemista anticatholicus, notus praesertim cum suo opere « Threnos » (1610, Vilnae); anno 1620 (vel. 1621) consecratus Episcopus Polocensis a Patriarcha Theophane Hierosolymitano, contra Episcopum Polocensem S. Josaphat Kuncewycz, eoque instigante

graeca vulgari compositum, haeresibus occidentalibus refertum, et Wirtembergae impressum, sub nomine cuiusdam Zachariae, cum tamen esse dicatur Cyrilli Constantinopolitani, Graecorum Patriarchae, ut ex eo convincere possit Ruthenos schismaticos sub dicti Patriarchae obedientia degentes, Sac. Congregatio, ad relationem Ill.mi D. Card. Bandini, iussit scribi Nuntio Helvetico, ut ex Wirtembergae dicti Catechismi duo exemplaria habere curat, quorum alterum Romam, alterum ad Nuntium Poloniae mittere debet, iniuncto mandato, ut illud ad Metropolitam Russiae transmittat.

98.

Roma, 17 . XII . 1627.

Opinio Commissionis liturgicae de lingua librorum illyricorum; rationes P. Nicolai Nowak.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 4, fol. 325-328v, nr. 7.

CONG. 85 - Die 17 Decembris 1627 (f. 322v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt 7 Cardinales, videlicet Millinus, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Ludovisius, Cornelius, et Barberinus, et R. mus D. Torriellus, et Pater Dominicus, qui scuta detulit 50, Sac. Congregationi donata.

Referente Ill.mo D. Card. Bentivolo Decretum Particularis Congregationis, habitae in Domo ipsius die prima praesentis Mensis, super articulo, an Missalia, et Breviaria illyrica essent characterem Hieronymiano, an vero Cyrilliano imprimenda, Sac. Congregatio censuit utroque characterem esse imprimenda, et incipiendum esse a Missalibus, tanquam magis necessariis ad conservandam propagandamque religionem catholicam. Decretum autem de quo supra fit mentio, est quod sequitur:

Die 1^a Decembris 1627 (325v).

Fuit Congregatio particularis in Palatio Ill.mi D. Card. Bentivoli,⁷⁰ cui interfuerunt D. Jo. Toncus, Fr. Raphael Croatus, Ord. Min. de Observ., et Fr. Nicolaus, Ruthenus, Ord. S. Basilii, defuit P. Proficius, Jesuita, propter infirmitatem.

In ea iuxta Decretum Sac. Congregationis fuit discussum dubium, an Missalia, et Breviaria illyrica imprimenda essent characteribus S. Hieronymi, an vero S. Cyrilli.

Eo 1. loco fuerunt recitatae sententiae Episcoporum Dalmatiae, quae inter se variae sunt, et diversae. Nam Archiepiscopus Jadrensis in primam partem inclinare videtur, quod scilicet characterem Hieronymiano sint imprimenda, quia ut audivit a

S. Josaphat a civibus Vitebscensibus schismaticis occisus fuit die 12.XI.1623; post hanc necem eam arripuit et in Orientem se contulit, tandem in Patriam reversus professionem fidei catholicae emisit anno 1627, et multa opera edidit contra non Unitos. Obiit in monasterio Dermanensi in Volhinia die 27. IX.1633. - Cfr. JACOBUS SUSZA, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine B. Josaphat transformatus sive Meletius Smotricius...*, Romae 1665, ed 2 a Joanne Martinov, Bruxellis 1864; S. S. SABOL, OSBM, *De Meletio Smotryckyj-Polemista anticatholico*, Romae 1950 (Dissertatio), et « *Analecta OSBM* », Ser. II. Sec. II, vol. I, fasc. 2-3, p. 249-266, et Romae 1951 (separatim).

⁷⁰ Cfr. supra, nr. 78, die 26.XII.1626.

personis informatis, si caractere Cyrilliano typis dentur, paucissimi erunt, qui illa recipient, cum in plerisque Provinciis, in quibus huiusmodi characteris est usus, Catholici ritus latini sub cura Fratrum Franciscanorum degant, (f. 326) Breviariisque et Missalibus latinis utantur, Schismatici vero graeci ritus a liturgiis propriis non facile recedent.

Episcopus Vegliensis idem sentit, sed suam sententiam ad propriam Dioecesim restringit.

Episcopus Arbensis initio suarum litterarum cum eadem restrictiva ad suam Dioecesim, et ad Tertiarios pertransit, in fine tamem utroque caractere ea imprimenda autumnat.

Episcopus Nonensis sentit pro Dalmatia, Stiria, Carinthia, Carniola, et Histria praefatos libros caractere Hieronymiano imprimendos esse, verum in fine litterarum sententiam Episcopi Arbensis probat, ut scilicet utroque caractere imprimantur, subiungens posse de caetero utiliter decerni, ne promoveantur ad sacerdotium, qui characterem ignorent Cyrillianum, tum quia libri hoc impressi caractere recipientur, tum quia sacerdotes magis instrui poterunt, quod multi libri ad eorum instructionem iam habeantur caractere (f. 326v) Cyrilliano impressi.

Archiepiscopus autem Spalatensis, et Episcopi Osserensis et Samandriensis simpliciter tenent Missalia, et Breviaria illyrica esse caractere Cyrilliano imprimenda eo, quod ille universalior sit, et plurimis vastissimisque Provinciis communis.

Secundo, D. Toncus, et caeteri supra relati, in eam convenerunt sententiam, ut utroque imprimerentur caractere.

Quodsi Sac. Congregatio ob nimiam impensam uno tantum ex praedictis caractere praefatos libros imprimendos esse decreverit, eo casu D. Toncus, et Fr. Raphael steterunt pro Hieronymiano, pluribus rationibus moti.

1. Quia Provinciae ab Episcopo Nonensi recensitae non utuntur alio caractere; 2. Novitas characteris Cyrilliani acerrime ab illis, antiquitatis sibi traditae tenacissimis, oppugnaretur, et hac in re coactio scandala plurima pareret; 3. Quod libri praedicti cum Cyrilliano impressi ab aliis Illyrici Provinciis, (f. 327) ut sunt Bosna, Servia, Macedonia, Bulgaria, Rascia..., Moscovia, Russia non receperentur, nam in Bosna, Servia, Macedonia, et Bulgaria latino sermone celebratur a Franciscanis, qui Catholicorum ritus latini curam habent spirituales, in reliquis vero, atque etiam in illis sunt Schismatici ritus graeci, qui nulla ratione a ritu suo recedent, ut libros latini ritus, etiam in eorum lingua impressos, recipiant.

Pater vero Nicolaus, Ruthenus, probavit Archiepiscopi Spalatensis, et Episcoporum Samandriensis, et Osserensis sententiam, cui adhaesit Secretarius Sac. Congregationis.

1. Quia paucissimi sunt, qui utantur Hieronymiano; nam Typographus Vetus, qui super expeditione librorum praedictorum a Sac. Congregatione fuit consultus, Nuntio retulit, vix sexcenta volumina per Illyricum ducendi posse, e contra vero tertia fere pars Europae, et Turcarum plurimi Cyrilliani characteris usum habent, quod facilius sit tum ad legendum, tum ad scribendum, nam praeter paucas litteras, reliquae omnes vel sunt latinis, vel graecis caracteribus valde similes.

(f. 327v) 2. Quia Schismatici huius linguae, librorum Lyurgiae ritus graeci extrema laborantes penuria, impressa latini ritus Breviaria, et Missalia ab ipsa compulsi necessitate recipient, eoque modo facile fient Catholici.

3. Quia Liturgiae graeci ritus longissimae, et tediosae, erroribus plurimis refertae, et fere semper eadem, ordinique Romano comparatae pulchritudine, dispositioneque longe inferiores; unde non erit difficile Schismaticos Ordinem recipere Roma-

num, ut varietate insigni pulchriorem, et brevitate minus onerosum, et ab omni errore purgatum. Quam ob causam Rutheni uniti in multis locis ex Romano Ordine suas Lyurgias graeci ritus emendarunt, et abbreviarunt.

4. Quia paucissimis Provinciis, ab Episcopo Nonensi relatis, facile cum his libris provideri poterit; nam si Episcopis illarum scribatur, ut Ecclesiasticos suos ad discere faciant characterem Cyrillianum, uno tantum mense se expedient, atque hoc modo antequam Missalia, et Breviaria (f. 328) impressa sint (nam duo ad minus anni in eorum impressione insumentur), omnes optime callebunt characterem Cyrillianum, ac ita omnibus Illyrici Provinciis erit plenissime consultum.

5. Denique, quia Haeretici, ut perverterent Catholicos, et Schismaticos, corruptos libros caractere impresserunt Cyrilliano.

In hac controversia Ill. mus D. Card. Bentivolus inclinabat in D. Tonchi sententiam, quod tutius ei videretur conservare Catholicos ritus latini, qui ob defectum praedictorum librorum ad Schisma, saltem in confinibus cum Schismaticis, transire caeperant. Sed replicabatur, illis satis consuli, si praefati libri caractere Cyrilliano typis dentur, quod ille modico labore, et exigua diligentia brevi tempore addisci possit, et licet D. Toncus conquereretur, characteres Sancti Hieronymi in dissuetudinem abituros, cum tanti maxime Doctoris offensione, fuit tantum replicatum, in huiusmodi controversia determinanda respiciendum esse (f. 328v) ad id, quod Ecclesiae, et salutis animarum utilius est; 2. Quod alii libri, ut catechismi, doctrinae, ac instructiones imprimi Hieronymiano poterunt, eoque populi in actis publicis, et privatis secularibus uti, nam passim apud multas nationes observare licet, eos in Sacris unius characteris, vel linguae usum habere, in prophanis vero alterius. Et cum his Congregatio terminata fuit, et remissa dubii praedicti decisio ad Sanctissimum, in Congregatione coram Sanctitate Sua habenda.

99.

Roma, 22 . II . 1628.

Facultates Missionariorum pro conventibus FF. Minorum Conventualium Russiae et Lithuaniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 30rv, nr. 17.

CONG. 88 - Die 22 Februarii 1628 (f. 26v).

Fuit Congregatio de Prop. Fide in Palatio Ill. mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus (f. 27), Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Cornelius, et Barberinus, et R. mi DD. Corsius, et Torriellus, et R. P. Dominicus, qui attulit scuta 30, Congregationi donata.

Relata iterum petitione Provincialis, seu Commisarii Generalis Russiae, et Lithuaniae Ord. Min. Conv., Sac. Congreg. concessit Oratori, eiusque Diffinitorio, ut in qualibet Russiae, et Lithuaniae custodia duos Theologos idoneos, vita moribusque (f. 30v) praestantes, qui missionarii officio fungantur, deputare possit, et pro facultatibus iussit adiri S. Officium, quod eas concedant ad instar illarum, quae Dominicanis Russiae concessa fuerunt, et pro Indulgentiis Secretariam Brevium, iuxta concessionem eisdem Dominicanis factam, die 30 Aprilis 1627.⁷¹

⁷¹ Card. Guido Bentivoglio, creatus die 11. I. 1621 a Paulo V. Origine ferrarensis, natus an. 1579; annis 1607-1615 Nuntius Hollandiae, et an. 1616-1621 Nuntius Galliae. Ingenii et

100.

Roma, 20 . VI . 1628.

De confectione Processus idoneitatis pro R. Korsak.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 77, nr. 17.

CONG. 93 - Die 20 Iunii 1628 (f. 72).

Fuit Congregatio de Propaganda Fide in aedibus Quirinalibus Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt quatuor Cardinales tantum, videlicet ipsemet Bandinus, Borgia, Bentivolus, et Barberinus, et R.mi DD. Corsius, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 80, Sacrae Congregationi donata.

Ex litteris Nuntii Poloniae relatum est, iam confectum esse Processum de idoneitate Episcopi Halliciensis, quem Rex Poloniae nominavit Coadiutorem Metropolitae Russiae, eumque Romam missum, ut Coadiutoria pro illo expediatur.

101.

Roma, 5 . IX . 1628.

De examine Decreti Synodi Kobrynensis de clandestinitate matrimoniorum in S. C. Concilii peragendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 117v, nr. 4.

CONG. 97 - Die 5 Sept. 1628 (f. 116v).

Fuit Congregatio de Prop. Fide in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt quatuor tantum Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Ubaldinus, Bentivolus, et Ludovisius, et R.mi D.ni Corsius, et Torriellus, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 30, Sacrae Congregationi donata.

Referente Ill.mo D. Card. Ubaldino ⁷² Decretum Ruthenae Synodi de matrimoniis clandestinis, et difficultates maximas, quae ob non publicatum in Russia Trid. Concilium circa illa exoriri possent, si Decretum praefatum invalidum fuisse ex defectu potestatis declararetur, Sac. Congregatio censuit negotium huiusmodi gravissimum propter matrimonia contracta post publicationem Decreti praefati, quae Metropolitae Russiae non potuit irritare, nec eius vigore illa dissolvere, diligentur esse in Sac. Congregatione Concilii examinandum, antequam Synodus praefata Auctoritate Apostolica confirmetur.

102.

Roma, 5 . IX . 1628.

Negotia Ecclesiae Smolenscensis tractantur: restitutio ecclesiae cathedralis, assicuratio reddituum pro sustentatione, de Collegio erigendo nec non de admonitione Provincialis Soc. Jesu de his omnibus.

dotum extraordinariorum. Affabilis et amabilis, amator artium, scriptor natus, secundum distichum manuscripti Ottoboniani (Bibl. Vat., nr. 2742): « Bentivolus calamo celebris super aetera vivit, - Unde alios calamos serpere cernit humi ». Obiit anno 1644, die 7 Septembris, in Conclavi, in quo primus inter papabiles erat. - Cfr. L. PASTOR, *Storia dei Papi*, vol. XII, p. 248-250.

⁷² Card. Robertus Ubaldini, nepos Leonis XI (1605), creatus sub Paulo V die 2.XII.1615; ab anno 1607 Nuntius Galliae usque ad annum 1616. Obiit an. 1635. (Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XII).

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 117v-119, nr. 5.
ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 74-75, nr. 2/41; p. 222, nota 105.

Sept. 5.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Ubaldino petitiones Archiepiscopi (f. 118) Smolenscensis,⁷³ Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Quoad cathedralem Smolenscensem censuit scribendum esse Nuntio Poloniae, ut omnibus quibus poterit apud Regem studiis, ac officiis, illam Archiepiscopo praefato restitui curet, tum quia a Principe Vladimiro, Moscovita, aedificata fuit, tum quia in hac re tam iuxta Moscovitis morem gerere oportet, ut hoc eis gratissimo beneficio, ob maiorum suorum sepulchra in ea existentia, ad Unionem cum S. R. Ecclesia magis provocentur.

2. Quoad augmentum reddituum ad Archiepiscopi sustentationem Sac. Congregatio mandavit eidem Nuntio scribi, ut hoc negotium a R.mo Lancelotto, optima spe facilis successus inchoatum, tam cum Rege, quam cum Palatino Smolenscensi prosequatur, insinuata illis potissimum illa peculiari ratione, quod et recta iustitiae administratione, et beneficiorum, et (f. 118v) gratiarum multiplicatione Rutheni uniti faciendi sunt, Schismatici vero ad Unionem incitandi, ut salvi fiant, et ut Respublica, et Regnum Poloniae quiete, ac tranquillitate maiori frui possit.

3. Eidem Nuntio praeciendum esse, ut salvis foundationibus latinis (quas Sac. Congregatio non potest non probare, quia expedit, ut latinus ritus sine tamen graeci iniuria quantum fieri potest dilatetur), ecclesias ruthenas, et moscovitas unitas Ducatus Severiensis ex bonis ac redditibus, qui illarum erant, a Rege sufficienter dotari curet, ob rationes et causas superius recensitas.

4. Eidem Nuntio scribendum, ut salva foundatione Collegii, sive Seminarii pro Latinis, a Patribus Societatis regendi, et gubernandi, alterius similis erectionem pro Ruthenis unitis, et Moscovitis in eodem Ducatu, a Rege, ac Palatino Smolenscensi procuret, quia hunc (f. 119) modum Sac. Congreg. arbitratur esse unicum et optimum pro conversione totius Moscoviae ad Catholicam Fidem.

5. et postremo, Ill.mi Patres dixerunt rogandum esse Generalem Jesuitarum, ut de praedictis omnibus efficaces det literas ad suum Russiae Provinciam, et simul admonendum esse Nuntium, ut in omnibus Ruthenorum negotiis pertractandis eiusdem Provincialis, et Episcopi Vilmensis, illiusque Suffraganei, Episcopi Methonensis, opera utatur, tum apud Regem, tum apud Palatinum Smolenscensem.⁷⁴

103.

Roma, 5 . IX . 1628.

De restitutione redditus mille scutorum Ecclesiae Pinscensi, etiam lite adhibita, de alia restitutione in favorem Metropolitae, de restitutione parochiae a Duce Radziwill ablatae, de defensione immunitatum Ecclesiae Unitae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 119-121, nr. 6.

Sept. 5.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Ubaldino petitiones Metropolitae Russiae, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

⁷³ Leo Creuza; cfr. supra, nr. 87, nota 66.

⁷⁴ Alexander Korwin Gasiewski, ab an. 1625 (15.VI). Obiit anno 1639.

1. Quod attinet ad annum redditum mille scutorum, quo Ecclesia Pinscensis a Schismatico Duce de Ostrog spoliata fuit tempore Unionis Ruthenorum,⁷⁵ Sac. Congregatio censuit Ducissam de Ostrog,⁷⁶ et Palatinum Chioviae⁷⁷ mediante rutheno Provinciali Societatis Jesu rogandos esse, ut redditum praedictum eidem Ecclesiae Pinscensi restituant; (f. 119v) eo ut officia praefati Provincialis evadant efficaciora, scribendum esse Nuntio Poloniae, ut nomine Congregationis cum eo agat, rogandumque Patrem Generalem Societatis, ut ad eundem Provinciale de huiusmodi negotio serio scribat, eique districte praecipiat, ut omni studio, ac diligentia apud praefatos Principes restitutionem dicti redditus urgeat.

2. Si huiusmodi officiis memoratus redditus obtineri non potuerit, censuit admonendum esse per eundem Nuntium Episcopum Pinscensem,⁷⁸ ut litem super dicto redditu moveat, Nuntioque praecipendum, ut liti assistat, eamque tum apud Regem, tum apud Iudices, interposita etiam Sac. Congregationis auctoritate, promoveat usque ad illius diffinitionem.

3. Circa redditus duorum millium scutorum a dicta Ducissa, una cum Monasterio Metropolitae donatos, quos illa modo restituere recusat eo praetextu, quod (f. 120) monasterium fuerit Schismaticorum, et circa duas Villas, quibus eadem Ducissa Ruthenos spoliavit, Sac. Congregatio dixit primis eisdem officiis tentandam esse a Nuntio, et Provinciali praedicto, a suo Generali, ut supra admonito, restitutionem, qua non obtenta esse deinde haec duo negotia conficienda mediante lite, coram Nuntio a Metropolita movenda.

4. De Parochia Ruthenis ablata a Duce Razivil, cum causae ab eo adductae iuris fundamento careant, Sac. Congregatio censuit scribendum esse Nuntio, ut officia sua pro dictae Parochiae restitutione interponat cum Duce, quod si eam obtinere non poterit, causam cognoscat, ac iustitia mediante diffiniat; Et cum ultro eo praedictis modis Parochia ad Ruthenos pervenerit, Metropolitam moneat, ut illi Sacerdotem ruthenum vita, moribus, et scientia idoneum praeficiat.

(f. 120v) 5. De contributionibus, quibus Ecclesiastici Ruthenae Ecclesiae Unitae gravantur, et de lege lata contra eorum immunitatem a Sac. Canonibus ecclesiasticis catholicis concessam, Privilegiisque Regis Poloniae, ac conventionibus in Unione stabi-

⁷⁵ Dux de Ostroh anno 1595-1596 erat Constantinus Ostrožskyj. Obiit anno 1608. Unioni Ecclesiarum iam ab an. 1580 favebat, tandem anno 1595 Unioni Berestensi acerrimus devenit inimicus, a qua etiam duos Episcopos, Peremyssensem - Z. Kopystenskyj, et Leopoliensem - G. Balabam abduxit minis et pollicitationibus usus. Ad Synodum Berestensem venit armatus cum Nicephoro, Graeco, et conciliabulum contra Hierarchiam adunavit, in quo Unionem et Episcopos condemnare iussit. Eius filius, Janusius, Castellanus Cracoviensis, longe antea devenit catholicus Ritus Latini. - Cfr. G. MYLANYK, *Constantini Senioris Ducis de Ostrog pro Unione ecclesiastica activitas*, Romae 1940 (Dissertatio).

⁷⁶ Ducissa de Ostroh anno 1628 erat Anna Aloysia, filia Alexandri Ostrožskyj (obiit 1603), uxor Joannis Caroli Chodkiewicz (obiit an. 1621 sub Chotyn, victoria de Turcis obtenta). Ordinibus Ritus Latini multum favebat, quibus multas concessit fundationes, etiam in praeiudicium Ecclesiae Unitae. Obiit anno 1654, die 27 Januarii. - Cfr. IG. STEBELSKI, *op. cit.*, *Przydatek...*, *Genealogia xiążąt Ostrogskich*, p. 84-94.

⁷⁷ Palatinus Kioviensis an. 1628 erat fortasse Thomas Zamoyski (obiit an. 1638, ut Magnus Cancellarius Poloniae), qui hoc eodem anno Palatinatum hunc cessit Duci Alexandro Zaslavskyj, antea Castellano Volhiniae (1606), Palatino Braclaviensi ab an. 1613, et tandem Palatino Kioviensi anno 1628. - Cfr. etiam notam 101.

⁷⁸ Episcopus Pinscensis an. 1628 erat Gregorius Michałowicz (1626-1632), ab anno 1624 Coadiutor Ep. Pinscensis Paisii, cum tit. Turoviensis, cui etiam in Sede Pinscensi successit. Obiit anno 1632, et pro successore habuit Coadiutorem Metropolitae Kioviensis, Raphaellem Korsak (1632-1637). - Cfr. I STEBELSKI, *Przydatek...*, p. 173-4.

lienda initis firmatam, Sac. Congregatio reprobata sententia R.mi Lanceloti, Episcopi Nolani, censuit scribendum esse moderno Nuntio, ut in primis Comitibus generalibus Ecclesiae Unitae immunitatem defendat, ac tueatur, allegato in specie articulo dictarum conventionum, cuius tenor est: Praeterea a contributionibus Regni publicis quas hucusque unusquisque nostrum officialium spiritualium pendebamus, ut temporibus perpetuis (exceptis iis, qui bonis haereditariis utuntur) liberi, et immunes simus, idque Constitutionibus Regni publicis sanciri, et describi petimus.⁷⁹ Praeterea idem Nuntius legis praedictae contra ecclesiasticam immunitatem, et praesertim (f. 121) contra praedictum articulum, revocationem, si fieri poterit, procuret obtinere.

104.

Roma, 25 . IX . 1628.

De aliqua modificatione in Decreto de restitutione bonorum Ecclesiae Smolenscensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 130rv, nr. 3.

CONG. 98 - Die 25 Sept. 1628 (f. 128v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet Millinus, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Sancti Honuphrii, et Barberinus, R.mi DD. Corsius, Cornelius, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

Referente Ill.mo D. Card. Ubaldino Decretum in praecedenti congregatione editum pro Archiepiscopo Smolenscensi, et postremas literas Nuntii Poloniae de Officiis pro eo cum Rege, et Palatino Smolenscensi⁸⁰ factis, Sac. Congregatio quoad primum Decreti caput de cathedrali Smolenscensi censuit, scribendum esse Nuntio ut officium pro illius restitutione iteret, quod si eam obtinere non poterit, saltem curet, ut aliquo modo Ruthenis unitis satisfiat, videlicet per alterius ecclesiae assignationem vel per bonorum immobilium frugiferorum attributionem (f. 130v). Quovero ad reliqua illius capita nihil addendum esse iudicavit, nisi, ut Seminarii Moscovitici erectio diligentiae, ac studio praefati Nuntii vehementius commendetur, eique praecipiat, ut nomine Sanctitatis Suae, tam apud Regem, quam apud Palatinum Smolenscensem huiusmodi negotium tam diu urgeat, iteratis etiam saepe saepius, si opus fuerit, offitiis, donec Rutheni uniti, et Sac. Congregatio voti compotes fiant.

105.

Roma, 25 . IX . 1628.

Relatio scripturarum Meletii Smotryckij in favorem Unionis, qua audita Breve ei scribendum statuitur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 130v-131, nr. 4.

Sept. 25.

Relatis per eundem Ill.mum D. Card. Ubaldinum doctissimis literis Meletii Smotricii ad Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum, quibus ei protestabatur, se velle

⁷⁹ Una conditionum Unionis Berestensis; quae Regnum Poloniae spectabat.

⁸⁰ Palatinus Smolenscensis anno 1628 erat Alexander Korwin Gąsiewski. Obiit an. 1639.

cum suis S. R. Ecclesiae uniri, nisi contradictionibus, quas circa fidei dogmata in eius scriptis, literis, et dictis reperiit, sufficienter satisfaceret, relisque aliis plurimis per eundem Meletium pro unione Schismaticorum ruthenorum cum eadem S. Romana Ecclesia praestitis, de quibus in literis Metropolitanae Russiae, datis Chelmae 23 Junii (f. 131) 1626, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, scribendum esse Breve ad Meletium,⁸¹ in quo commendatis eius pietate, ac zelo in propagatione Catholicae Fidei in Russia, ac illius laboribus in confutandis Schismaticorum erroribus, ac in eorundem Schismaticorum ad gremium S. R. Ecclesiae reductione animeretur ad prosequendum opus bene coeptum, ut quod sua eloquentia, ac doctrina in stabiliendo Schismate perdidit, eidem in extinguendo eodem Schismate repareret, ad Dei gloriam, et animarum salutem.

Eodem die Sanctissimus Decretum Sac. Congregationis approbavit.

106.

Roma, 25 . IX . 1628.

Laudatur Nuntius Poloniae et aliquae modificationes in Decretum praecedens inferuntur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 131, nr. 5.

Sept. 25.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Ubaldino Decretum⁸² in praecedenti congregatione editum pro Metropolita Russiae et postremas Nuntii Poloniae literas de offitiis pro eo cum Rege factis, Sac. Congregatio in primis iussit summopere commendari nomine S. D. Nostri, et Sac. Congregationis prudentiam, diligentiam, ac zelum praefati Nuntii in promovendis Ruthenorum unitorum negotiis, et praesertim in defendenda pro illis immunitate (f. 131) ac libertate ecclesiastica, et in recuperandis 4 ecclesiis a Schismaticis ruthenis pro Unitis.

2. Correxerit 2m illius caput in hunc qui sequitur modum: si huiusmodi officiis memorati redditus obtineri non potuerint, censuit per eundem Nuntium admonendum esse Episcopum Pinscensem, ut iudicio experiatur.

A quinto cap. censuit delenda esse verba illa: reprobata sententia R.mi Lancelotti, Episcopi Nolani; et post verba (Comitiis generalibus) addendum verbum: Regni. Caetera demum capita probata fuerunt, ut iacent.

107.

Roma, 25 . IX . 1628.

Missio in Montem Athos suspenditur et de utilitate missionis ad adiuvandos captivos Constantinopoli ulteriores exquiruntur informationes.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 131v-132, nr. 6.

Sept. 25.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Ubaldino literas Metropolitanae Russiae, et D. ni Me-

⁸¹ Breve scriptum fuit die 7.X.1628; - cfr. A. THEINER, *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 381, nr. 324.

⁸² Agitur de Decreto discussio in sessione Congregationis de Prop. Fide die 5.IX.1628 habita; - cfr. nr. 103: fol. 119v, cap. 2, et fol. 120v, cap. 5.

letii sententiam de Missione Ruthenorum ad Montem Sanctum, et similiter literas eiusdem Metropolitanae de Missione eorundem Ruthenorum Constantinopolim ad ministranda captivis ruthenis ibi degentibus Sacramenta, Sac. Congreg. quoad missionem Montis Sancti censuit, eiusdem D. Meletii sententiam, uti firmissimis subnixam rationibus, (f. 132) ac fundamentis, omnino esse praefendam et proinde a praedicta missione eousque supersedendum esse, donec idem D. Meletius tempus esse iudicaverit opportunum.

2. Quoad Constantinopolitanam missionem, censuit scribendum esse Fratri Guilielmo de Perusio, Ord. Min. Convent., Vicario Patriarchali, pro latino Patriarcha Constantinopolitano Perae residenti, ut habito consilio cum Oratore Regis Christianissimi super huiusmodi missione Ruthenorum unitorum ad captivos praefatos, rescribat an huiusmodi missio necessaria, vel ad salutem utilis futura sit, et an persecutionibus Graecorum, vel Turcarum adeo turbanda, ut Missionarii vel discedere cogantur, vel vitae periculum subire, aut ibi inutiliter manere compellantur.

108.

Roma, 25 . IX . 1628.

Responsum ad alia petita Metropolitanae Kioviensis: prohibendum ne in Scholis PP. Soc. Jesu iuventus ruthena ad Ritum Latinum pertrahatur, de iudicibus spiritualibus ruthenis, et de publicatione conversionis Meletii Smotryckij.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 132-133, nr. 7.

Sept. 25.

Relatis per eundem Ill.mum D. Card. Ubaldinum nonnullis aliis Metropolitanae Russiae petitionibus Sac. Congregatio: 1. Mandavit admoneri Patrem Generalem Jesuitarum,⁸³ ut iterum Patribus suae Societates in Russia confessionem audientibus, et in scholis pueros, ac iuvenes docentibus, districte praecipiat, ne (f. 132) pueros, et iuvenes ruthenos unitos ad ritum latinum quovis praetextu, aut causa trahant, ne unio Schismaticorum cum S. R. Ecclesia, quam nunc Meletius Smotricius molitur, impediat, aut saltem retardetur.

2. Censuit, si Sanctissimo placuerit, scribendum esse Breve ad Archiepiscopum Gnesnensem,⁸⁴ ut negotia Ruthenorum unitorum commendata habeat, et suos moneat Dioecesanos, ne iniuriosi sint Ruthenis praefatis, eorum ecclesias sinagogas vocando, Unionem cum S. R. Ecclesia damnando, ac alia indigna efficiendo, et denique cum excommunicato a Metropolita Russiae, in contemptum censurarum ab ipso latarum, conversando.

3. Scribendum esse Nuntio Poloniae, ut de Ruthenis unitis inter Tribunalistas spirituales, iuxta petitionem Metropolitanae constituendis, informationem assumat, et difficultates, quae in huiusmodi negotio, si de illo cum Rege, et Dieta agatur, occurrerent, simulque praeiudicia (f. 133), si quae libertati ecclesiasticae in eo promovendo fierent, significet.

4. Denique eidem Nuntio scribendum, ut Meletii conversionem ad Religionem Catholicam publicet, eique praecipiat, ut se palam Catholicum profiteretur, cum hac de re a Metropolita Russiae fuerit admonitus.

⁸³ Tunc temporis Praepositus Gen. Soc. Jesu erat R. P. Mutius Vitelleschi (1615-1645).

⁸⁴ Joannem Wężyk (1626-1638).

109.

Roma, 17. X. 1623.

*Missio P. Methodii Terleckyj ad Vallachos Montis Felletrii.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 159-160v, nr. 36.

CONG. 99 - Die 17 8bris 1628 (f. 151v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Millinus, Borgia, et Barberinus tantum.

Ex litteris eiusdem Nuntii retuli Episcopum Valachorum, seu Vscocorum Montis Feletrii esse ritus graeci, sicut et populum, sed nihilominus si Episcopo Samandriensi parochia Conceviae concederetur, eum posse plurima bona facere ad salutem animarum eiusdem populi; et demum fuisse missum Methodium (f. 160) Alumnum ad Episcopum, et populum praedictum cum mandato, ut se diligenter de statu illius Ecclesiae informet, et postea venit, ut de omnibus Sac. Congregationem certior faciat.

110.

Roma, 24. XI. 1628.

*Processus Beatificationis S. Josaphat ad S. C. Rituum remittitur.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 161rv, nr. 3.A. G. WELYKYI, OSBM, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. 1, p. 304, nr. 89.

CONG. 100 - Die 24 Nov. 1628 (f. 161).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Bentivolus, S. Honuphrii, et Barberinus, R.mi Corsius, et Torielli, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 50, S. Congregationi donata.

Referente Ill.mo D. Card. Bandino, Sanctissimus mandavit Processum p. m. Josaphat, Archiepiscopi rutheni uniti, remitti ad Sac. Congregationem Rituum, ut in ea aperiatur, et diligenter consideretur, et deinde de illo Sanctitati Suae (f. 161) referatur.

111.

Roma, 29. XI. 1628

*Decretum S. C. de Prop. Fide de matrimoniis clandestinis, invalidans Decretum Synodi Kobrynensis.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 174-175, nr. 6.

CONG. 101 — Die 29 Nov. 1628 (f. 170v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Millinus, Capponius, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Barberinus, et R.mi D. Corsius, et Torielli.

Decretum Congr.nis Concilii de matrimoniis clandestinis Ruthenorum.

Cum Ill.mi Patres S. Congregationis de Prop. Fide de ordine S.mi D. Nostri consulissent S. Congregationem Concilii super decretis Synodi Provincialis Ruthenorum,⁸⁵ et Synodi Dioecesanæ Chioviensis⁸⁶ de matrimoniis clandestine non celebrandis, et alijs inde sequutis.

Dubio die 18. 9bris, et 2. Xbris proposito, ac mature discusso, quidem Patres unanimiter censuerunt, Decretum Synodi Dioecesanæ Chioviensis, et Decretum Synodi Provincialis Ruthenorum super matrimoniis clandestine (f. 174 v) non celebrandis, per Archiepiscopum Chioviensem publicata, non habuisse vim irritandi matrimonia contra illorum dispositionem contrahenda, sed matrimonia etiam post huiusmodi Decretorum publicationem aliter contracta, si nullum aliud obstabat legitimum impedimentum, valida ac firma fuisse. Ideoque Coniuges, qui alias inter se valide matrimonia contraxerunt, illisque postea per Archiepiscopum, tamquam contra formam sui Decreti, nullis declaratis, separati fuerunt, ac insimul cohabitare desierunt, omnino cogendos, ut in dictis matrimoniis contractis permaneant, atque una simul tanquam veri coniuges cohabitent. Eos vero, qui primis matrimoniis alias valide, et publice contractis, ac consumptis ab Archiepiscopo vigore dictorum Decretorum nullis declaratis, 2^o contraxerunt, similiter ad priora redire, ac in illis permanere cogendos esse, huiusmodi autem 2^a matrimonia (f. 175) post publicationem, et consumptionem priorum contracta nullo modo, etiam praetextu cuiusvis gravis, et imminentis scandali tollerari posse aut debere. In futurum vero providendum esse per Breve S.mi D. N., in quo sint registrata sola verba substantialia Sac. Conc. Trid., in cap. 1^o sess. 24 de reform. Matr., in singulis Parochiis ad praescriptum eiusdem S. Conc. publicare.

Die 5. Xbris 1628, facta relatione Santissimo D.no Nostro, Sua Sanctitas supradictam S. C. sententiam approbavit, et pro formando dicto Breve, et modo scribendi ad Archiepiscopum, deputavit Ill.mos Cardinales Millinum, et Ubaldinum, et RR. PP. Dominos Maraldum, et Paulutium, et D. Ingolum, Secretarium S. Congregationis de Prop. Fide.

112.

Roma, 12. I. 1629

*Conceditur indulgentia plenaria pro sacello Janusii Skumin Tyszkiewycz, Vilnae extracto.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 192v-193, nr. 7.

CONG. 103. — Die 12 Ianuarii 1629 (f. 191).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Bandinus, Millinus, Borgia, Ubaldinus, S. Honuphrii, et Sixti, et Barberinus, et R.mi DD. Corsius, et Torielli, et Pater Dominicus a Scala, qui attulit scuta 50, Congregationi donata.

⁸⁵ Synodus celebrata Kobrynii anno 1626, die 6 Septembris. - Cfr. Rudovč I., *Kobrynskyj synod*, in « *Bohoslovia* », an. II., Lviv 1924.

⁸⁶ Celebrata, ut videtur, anno 1619 in oppido Novhorodok. Dicitur tamen Kioviensis, quia erat Synodus Archieparchiae Metropolitanæ Kioviensis. Kyjiv enim tunc temporis erat occupata a non Unitis, qui protectoratu armato Cosaccorum fruebantur, ut Unitos ab hac civitate arcerent.

Petente D. Janusio Schumin,⁸⁷ Palatino Trocensi, Rutheno unito indulgentiam plenariam perpetuam ad sacellum apud ecclesiam Sanctissimae Trinitatis Vilnensis, monachorum S. Basillii Ruthenorum unitorum, per eum magno sumptu extractum, et dote sufficienti provisum pro die festo Annuntiationis B.V., cui dictum sacellum est dicatum, Sac. Congregatio, ad relationem Ill.mi D. Card. Bandini, petitioni Oratoris qui nuper ad Unionem venit, et in (f. 193) ea promovenda plurimum laborat annuendum esse censuit. Eodem die S. mus Decretum S. Congregationis approbavit.

113.

Roma, . 12 . I . 1629.

Super dispensatione nepotis Metropolitae Rutskyj a iuramento praestando vi constitutionum Collegii Graecorum de Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 193v-194, nr. 10.

Jan. 12.

Instante Patre Nicolao, Agente Metropolitae Russiae, dispensari eiusdem Metropolitae Nepotem eiusque socium,⁸⁸ Graeci Collegii Alumnos, a praestatione iuramenti Alumnis Pontificiis a S. Congregatione praescriptis, quia alias eidem Metropolitae fuerat promissum,⁸⁹ ut ad Collegium praedictum etiam Laycos mittere possit, Ill.mi Patres, ad relationem Ill.mi D. Card. Bandini, censuerunt Oratoris petitioni esse annuendum, tum ob concessionem praedictam, tum quia agitur de Metropolitae Nepote, adeo de S. R. E. benemeriti, ut tamen in posterum Alumni omnes eiusdem Collegii eodem iure censeantur, (f. 194) iidem Ill.mi Patres mandarunt scribi Metropolitae Russiae, ne de caetero Alumnos, qui ecclesiasticam vitam non sint professuri ad praefatum Collegium mittat. Eodem die Sanctissimus Decretum Sac. Congregationis approbavit.

114.

Roma, 22 . I . 1629.

Congregatio particularis super matrimoniis clandestinis Ruthenorum; rationes adducuntur et dubia solvuntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 200v-203, nr. 39.

Die 22 Januarii 1629.

Fuit de mandato Sanctissimi D. N. cum indictione silentii Congr. particularis in Vaticano, coram R.mo Episcopo Ripano, cui interfuerunt ipsemet R. mus Episcopus, R. P. D. Augustinus Oreggius, Sanctitatis Suae Theologus, et Magister Sacri Palatii, Vicarius Generalis Ordinis Praedicatorum.

⁸⁷ Janusius Skumin Tyszkiewicz. Capitaneus Braclaviensis, ab anno 1621 Palatinus Mstislaviensis, ab anno vero 1626 (20.IV) Palatinus Trocensis, et denique ab anno 1640 Palatinus Vilnensis. Obiit an. 1642, die 27 Maii.

⁸⁸ Hoc anno in Collegio Graecorum duo erant alumni layci e Russia: Adamus Kopez, admissus die 15.VI.1626, aetatis 18 annorum, et Jacobus Oranskyj (Oranschi) - Voina, e Volhinia, admissus die 1.XII.1627. Unus eorum erat Nepos Metropolitae Rutskyj; fortasse Kopez, filius Philonis et Elisabethae Craptouciowna (cfr. Chronica Alumn. Coll. Graecorum).

⁸⁹ Cfr. supra, num. 17, die 30.IV.1624.

In ea examinatis duobus dubiis circa clandestina Ruthenorum unitorum matrimonia, ad primum: an irrationes eorum factae a Metropolita Russiae sustineri possint, S. Congreg. affirmativam sententiam amplexa est ob tres potissimum rationes.

1. Quia licet Metropolita praedictus non potuerit praedictum Decretum in Synodo Dioecesana Chioviensi, neque 2um in Provinciali edere, si matrimonium consideretur ut est Sacramentum Ecclesiae, quia neque Ecclesia ipsa neque Papa Sacramenta quoad materiam, et formam eorum immutare possunt, potuit tamen Decreta illa conficere si matrimonium consideretur ut est contractus civilis, nam circa matrimonium, ut talis contractus est, nedum (f. 201) Praelati Ecclesiarum et Synodi, sed etiam Principes layci per leges suas decernere aliquid possunt, quo etiam irritentur matrimonia, prout habent communius Theologorum Scholae, quae sententia non abhorret a Sacris Canonibus, nam illa probari potest per tres textus expressos arguendo a consuetudine ad legem, quod argumentum validum est, quorum duo sunt cap. 1 et 3 de cognatione spirituali et postremus est cap. super eo, de consanguinitate et affinitate. Nec obstat quod Metropolita matrimonia clandestina irritaverit simpliciter nulla facta distinctione, quia cum notissimum sit, neminem posse irritare matrimonium, ut Sacramentum est, non erat necesse, ut ipse exprimeret quod illa irritabat, ut matrimonium civilis contractus existit, quia ab omnibus intelligebatur, quod eius irritatio cadebat super matrimonio ut talis contractus erat, et non ut Sacramentum.

2. Quia revera, et in effectu Metropolita promulgavit Concilium Tridentinum in omnibus Parochiis, ut idem Concilium praecipit, non habuit intentionem ipsum publicandi, (f. 201v) illudque in substantia publicavit.

Nec obstat quod non possit dici publicatum Concilium, quia nomen illius in publicatione fuit suppressum, et tamen id requiri videtur, ut populi sciant cuius potestate obligantur a lege, quae promulgatur, quia sufficit, quod Metropolita mandatum Concilii impleverit; nam haec duo: publicare Decretum de matrimonio, et publicare illud ut est Decretum Concilii Tridentini longe diversa sunt; primum quidem praecipitur Episcopis a Concilio, et hoc fecit Metropolita, 2dum vero nedum non praecipitur, sed nec etiam verbum de illo fit in textu Concilii; praeterea non est verum, quod populi scire debeant, cuius potestate obligantur a lege, quae promulgatur; quia Hierarchiae Ecclesiae ordo est, ut inferiores illuminentur per Superiores, ut Patriarchae per Papam, Archiepiscopi per Patriarchas, Episcopi per Archiepiscopos, Parochi per Episcopos, et Parochiani per Parochos.

3^a ratio est, quia est quod Decretum Synodi Chioviensis haberet difficultatem, quam tamen non habet, ob duas rationes (f. 202) superius allatas; certissimum tamen est, quod Decretum Synodi Provincialis mentionem Concilii saltem relativam facit, nam in eo praecipitur, ut in Parochiis antiqua constitutio, et laudabilis mos publicetur, quibus irrita, et invalida declarantur esse matrimonia. Antiqua autem Constitutio non potest verificari de Decreto Chioviensi, quia ante sex annos tantum erat editum, nec de alia constitutione iuris communis, quia nulla extat praeter illam Concilii Tridentini quae irritet matrimonia; igitur ex necessitate intelligi debet Decretum eiusdem Concilii Tridentini, quia et irritat talia matrimonia et, ut factum ante 64 annos, potest dici antiquum.

2dum dubium: dato, et non concesso, quod Metropolita non potuerit irritare matrimonia clandestina, an eorum irrationes ab eodem factae tollerari possint a Papa, S. Congregatio in negativam inclinavit sententiam, quia etiam ob maxima scandala subsecutura non possunt tollerari adulteria, quae continuantur in 2dis matrimoniis post primorum invalidam irrationem contractis.

(f. 202v) Sed huic obiectioni obstat textus apertissimus, meo iudicio, in cap. 3

de cognatione spirituali, ubi habentur haec verba ad literam: Verum si consuetudine habeatur, ut talia coniugia (videlicet filiorum compatrum) permittantur, in Ecclesia tua dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris praestare adsensum; quia sicut grave est antiquam consuetudinem circumadiacentium Ecclesiarum super his contemnere, sic quoque gravius videtur, si propter eam huiusmodi coniugiis tuum indulges adsensum, cum posset sic in exemplum assumi. Nam in praefatis verbis continetur expressa tollerantia Papae matrimoniorum invalidorum sine dispensatione, quia expresse ibi praecipit Alex. 3. us Vigilensi Episcopo, ut dissimulet matrimonia invalida, et prohibet, ne illis contradicat, neque eisdem suum adsensum praestet.

Nec obstat, quod adulteria, ut peccata non possint tollerari a Papa, quia huiusmodi adulteria non sunt (f. 203) adulteria, nisi materialiter, nam formaliter esse non possunt, quia contrahentes sunt in bona fide, iudicio videlicet Ecclesiae separati, et iudicio Ecclesiae coniuncti in 2dis matrimoniis.

Post declarationem Concilii circa hanc materiam rescivi ab Agente Metropolitanae, quod in Russia a multo tempore est introducta consuetudo, ut matrimonia irritentur etiam inter Schismaticos, si clandestine fuerint contracta, idque factum esse ut possent cum Latinis contrahere, qui aliter quam iuxta formam Concilii contrahere non poterant, propter Concilii Tridentini publicationem in eorum Parochiis.

115.

Roma, 23 . III . 1629

Dispensatio pro Dorotheo Vestpsensi in matrimonio permanendi cum sorore carnali suae uxoris defunctae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 244v, nr. 7.

CONG. 107 — Die 23 Martii 1629 (f. 242).

Fuit Congregatio de Prop. Fide in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt 7 Cardinales, videlicet Millinus, Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, S. Sixti, et Barberinus, R.mi Domini Corsius, et Pater Dominicus, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

Petente Dorotheo Vestpsensi, Rutheno unito, dispensationem, ut possit permanere in matrimonio cum sorore carnali suae uxoris praedefunctae, dum erat in Schismate contracto, et prolem ex eo susceptam declarari legitimam, Sac. Congregatio (f. 244v), ad relationem Ill.mi D. Card. Ubaldini, mandavit ab Oratore perquiri, an ab eius Patriarcha, vel Episcopo schismatico dispensationem, antequam praedictum matrimonium contraheret, obtinuerit.

116.

Roma, 23 . III . 1629

Conceditur facultas Metropolitanae Kioviensi dispensandi a 3 et 4 consanguineitatis et affinitatis gradu pro certo numero casuum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 244v, nr. 8.

Mart. 23.

Petente Metropolita Russiae facultatem dispensandi in 3^o et 4^o consanguineitatis et affinitatis gradu simplici, et duplici, sive mixto, quoad futura matrimonia, Sac. Con-

gregatio ad relationem Ill.mi D. Cardinalis Ubaldini censuit, si Sanctissimo placuerit, facultatem petitam concedi posse Oratori pro certo numero matrimoniorum, sicut factum est cum aliquibus Episcopis latinis, puta pro 12 matrimoniis cum pauperibus, et gratis. Eodem die Sanctissimus, S. Congregationis Decretum probans, dixit posse expediri Breve pro 12 matrimoniis, et deinde concedi Nuntio Poloniae facultatem alium certum numerum assignandi eidem Metropolitanae, cum videlicet numerus matrimoniorum in Brevi praefixus expletus fuerit.

117.

Roma, 23 . III . 1629

Conceditur alia facultas Metropolitanae eidem dispensandi ab impedimento cognationis spiritualis et publicae honestatis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide vol. 6, fol. 244v, nr. 9.

Mart. 23.

Instante Metropolita Russiae pro facultate dispensandi in impedimentis ex cognatione spirituali, vel publica honestate provenientibus, S. Congregatio, ad relationem Ill.mi Card. Ubaldini, censuit, si Sanctissimo placuerit, petitioni Oratoris esse annuendum. Eodem die Sanctissimus Sac. Congregationis Decretum confirmavit.

118.

Roma, 23 . III . 1629

Misso P. Methodii Terleckyj ad Valachos Montis Feletrii cum facultatibus missionarii.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 245, nr. 10.

Mart. 23.

Recitatis per eundem D. Card. Ubaldinum relatione Vallacorum Montis Feletrii in Croatia, Carniola, et Slavonia degentium, et eorum 2 erroribus annotatis a P. Methodio Terleckyj,⁹⁰ Presbitero rutheno unito Ordinis S. Basilii, S. Congregatio censuit, eundem Patrem ad eosdem Vallachos esse mittendum, ut eos instruat, ac doceat, et simul Episcopo Samandriensi ad eosdem Vallachos Visitatore Apostolico destinato viam aperiat et ut interim, et postea cum eodem Visitatore possit eorum confessiones audire, eoque spiritualiter adiuvere, eadem S. Congregatio censuit eidem Patri concedendas esse facultates, quae Patri Neophyto Rodinò,⁹¹ Missionario ad Limarram Albaniae, fuerunt in Congregatione S. Officii concessae die 27 Julii 1628. Eodem die Sanctissimus Decretum S. Congregationis probavit, et mandavit expediri patentes, et facultates, ut in Decreto.

⁹⁰ Cfr. supra. nr. 109, die 17.X.1628. P. Methodius Terleckyj, Basilianus. Ab anno 1626 (november) studuit in Pontif. Collegio Viennensi, aetate iam matura; e Collegio discessit anno 1628. Anno vero 1629 missus fuit Romam a Metropolita Rutzkyj « ad limina », ubi a Sac. Congreg. de Prop. Fide designatus est ad missionem in Croatia. Tandem nominatus Episcopus Chelmensis rediit in Patriam, et in hac Sede usque ad annum 1649 permansit, Romam iterata vice annis 1643-1644 visitans. Cfr. V. PLOŠČANSKYJ, *Prošloje Cholmskoji Rusi: I. Cholmskaja eparchija pravoslavnoji i b. unijatskoji cerkvy 1428-1630*, Vilna 1899; A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija*.

⁹¹ P. Neophitus Rodinò. De eo sic habetur in Chronica Collegii Graecorum de Urbe: « 184. Neofito Rodinò, monaco dall'Isola di Cipro. Fu d'indole buona, studio Humanità greca,

119.

Roma, 23 . III . 1629.

Spes propagationis fidei christianae in Tartaria ob victoriam Cosaccorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 245, nr. 11.

Mart. 23.

Idem Ill. mus D. Card. Ubaldinus retulit literas P. Joannis de Luca Dominicani, Missionarii in Tartariam, quibus significabat bella inter Turcas, et Tartaros, auxilio Cosachorum victoriam de Turcis obtinuisse, et proinde spem magnam esse, res Christianae Religionis in illis partibus progressus foelices habituros.

120.

Roma, 23 . III . 1629

Inter alia de missione Dominicanorum Ruthenorum pro cura animarum captivorum eiusdem Ritus Constantinopoli.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 248rv, nr. 18.

Mart 23.

Relatis literis P. Gulielmi de Perusio, Vicarii Patriarchalis Constantinop., Sac. Congregatio ad relationem Ill. mi D. Card. S. Sixti decrevit, ut infra.

1. Quoad Josephum Barbatum, Arabum, qui 16 callet linguas, cum hic non habentur de eius vita informationes Ill. mi Patres censuerunt, non esse illi constituendam provisionem, qua possit Romae sustentari.

2. Quoad Jo. Dominicum de Lesulo, qui Haebreus factus, abiuravit in eius manibus, Sac. Congregatio mandavit eius processum a Vic. missum S. Officio consignari.

3. Quoad praesidentem S. Mariae Ord. Min. de Observantia, qui tam scandalosam degit vitam, mandavit commoneri Commisarium Generalem, ut eum inde amoveat et Religiosis, boni exempli, conventum eiusdem (f. 248v) S. Mariae provideat.

4. Quoad Missionarios ruthenos S. Congregatio comprobavit sententiam Vicarii Patriarchalis, ut aliqui fratres Rutheni, Dominicani, et Franciscani in conventibus Constantinop. collocentur, ad excipiendas captivorum Ruthenorum confessiones.

121.

Roma, 20 . IV . 1629.

Congregatio particularis de approbatione Synodi Kobrynensis, cuius Decreta, excepta clandestinitate matrimoniorum, probantur. De matrimoniis vero clandestinis duo Brevia

et latina, et Logica; poi partì dal Collegio con licentia de' Superiori, andò in Spagna nel Studio di Salamanca, dove studiò il corso di Filosofia et Teologia, nel quale tempo leggeva lettere grece in detta Università; s'ordinò sacerdote, et andò in Grecia dove s'impiegò nelle Missioni, essendo stato perseguitato per predicare la fede Romana, havendo stampato molti libri utili. E' stato in Collegio tre anni. In Ruscia pati molte persecuzioni, fu bastonato, et riceve dall'Arciprete di Corfù schiaffi et altre sorti d'ingiurie per essersi mostrato Cattolico e diffensore dell'autorità del Papa. Et haverebbe anche percolato della vita se non fosse stato accompagnato nel partire da soldatesca datagli per custodia dalli Signori rappresentanti che quivi stanno per la Serenissima Repubblica di Venetia » (fol. 37).

transmitti debent ad Nuntium Poloniae et rationes decisionis S. Congregationis ad ipsum Metropolitam.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 275-276v, nr. 48 (e CONG. 109).

Die 20 Aprilis 1629.

Fuit cong. particularis super Synodis, et matrimoniis clandestinis Ruthenorum unitorum, in Palatio Ill. mi D. Card. Millini, cui interfuerut (f. 275v) ipsemet D. Card. Millinus,⁹² Ubaldinus, et Ginettus⁹³, et Ill. mi D. ni Maraldus, et Paulutius.

In ea, proposito negotio confirmationis Synodi Cobrinensis a Metropolita Russiae ac eius Archiepiscopis, Episcopis et Igumenis celebratae die 6. 7bris 1626, Sac. Congregatio 1. censuit, facta mentione sententiae utriusque Congregationis, videlicet Concilii, et de Prop. Fide, ea tantum praefatae Synodi Decreta confirmanda esse, quae iuxta utriusque Congregationis placitum emendata, probata, aptata fuerunt, ea autem sunt, quae in adiuncto folio habentur, cuius copia videri potest in lib. relationum 1627, pag. 306 cum seq.

2. Quoad ipsa matrimonia clandestina, ut in futurum sit provisum, dixit expedienda esse duo Brevia, alterum in quo Summus Pontifex, inhaerendo Decretis Catholicae Ecclesiae, eandem prorsus Concilii Tridentini de clandestinis matrimoniis prohibitionem faciat, eamque in singulis Ruthenorum unitorum Parochiis, ut Decretum Pontificium publicari mandet.

Alterum vero, in quo inserto eiusdem Concilii de matrimoniis Decreto, illud ut ipsius Concilii Decretum in eisdem Parochiis promulgare praecipiat.

3. Dixit huiusmodi Brevia Nuntio Poloniae mittenda esse cum instructione, ut hoc 2dum Breve per dictum Metropolitam ad eiusdem Concilii praescriptum, si fieri poterit, in praefatis Parochiis publicare faciat, sin minus, primi saltem Brevis promulgationem fieri curet.

4. Quoad praeteritum Sac. Congregatio distinguendo dixit, matrimonia clandestina nondum irritata vigore Decretorum dictae Synodi Cobrinensis et Synodi Chioviensis, nullo modo irritanda esse, irritata vero reintegranda, si Coniuges nondum alia contraxerint matrimonia, quod si alia contraxerunt, idque contigerit ante consumationem clandestinorum expediendum esse Breve, quo Metropolitae concedatur facultas dispensandi, ut Coniuges post praestitum novum consensum in secundis permaneant matrimoniis, si vero id acciderit post consumationem clandestinorum, eundem Metropolitam monendum esse, ut iuxta Sac. Canonum dispositionem necessaria adhibeat remedia, maiori tamen, qua poterit, quiete et suavitate.

5. Et postremo, ut Metropolita facilius ad praefata peragenda inducatur, mittendum esse eidem Nuntio Poloniae compendium praecipuarum (f. 276v) rationum,

⁹² Card. Joannes Garzia Millini, origine romanus. Homo eminens ex variis rationibus. Sub Urbano VII initiatus, sub Gregorio XIV auditor Rotae, sub Clemente inter alia socius in itinere et legatione polonica Card. Caetani (1596-1597). Postea Nuntius Apost. Hispaniae et demum an. 1606 (11.IX) creatus Cardinalis, tit. Quatuor Coronatorum. Romae Vicarius Urbis, membrum diversorum Congregationum, Protector Ordinum Religiosorum, spiritu reformationis et renovationis ardens. Laboriosus, pius, liberalis erga pauperes et infirmos. Obiit an. 1644. Sepultus in secunda cappella ecclesiae S. Mariae del Popolo. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XII, p. 233-234; DECIUS MEMMOLI, *Vita dell'em. Signor card. Gio. Garzia Mellino Romano*, Roma 1644.

⁹³ Card. Martius Ginetti, creatus 30.VIII.1627, sed iam a die 19.I.1626 riservatus « in pectore ». Erat Maiordomus Urbani VIII anno 1626-1627. Postea variis fungebatur legationibus pontificiis. Natus die 6.IV.1585, obiit 1.III.1671.

quibus Sac. Congregatio Concilii declaravit Decreta praedictarum Synodorum fuisse et esse nulla ex defectu potestatis in Metropoli, eiusque Archiepiscopis, Episcopis et Igumenis, et consequenter irrationes eorum vigore factas fuisse, et esse nullius roboris, ac momenti

122.

Roma, 8 . V . 1629.

Negotium de Synodis cum non Unitis celebrandis remittitur ad congregationem particularem.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6. fol. 262v-263, nr. 2.

CONG. 109 - Die 8 Maii 1629 (f. 262v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt 8 Cardinales, videlicet Bandinus, Capponius, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Sancti Honuphrii, S. Sixti, et Barberinus, et R.mi DD. Corsius, et Torniellus, et R. P. Dominicus, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

Referente Ill.mo D. Card. Bandino literas Nuntii Poloniae de Synodis a Ruthenis unitis, et Schismaticis celebrandis, et simul licentiam Regis Poloniae de illis convocandis, Sac. Congregatio gravitatem materiae praedictarum Synodorum considerans, censuit negotium huiusmodi in aliqua peculiari congregatione esse diligentius examinandum. Eodem die Sanctissimus D. N. Decretum Sac. Congregationis probans, ad praedictum negotium deputavit eundem D. Card. Bandinum et Ill.mos Capponium,⁹⁴ et S. Sixti,⁹⁵ et RR. PP. (f.263) Dominos Franciscum Paulutium, Sac. Congregationis Concilii Secretarium, D. Augustinum Oregium, Theologum suum, et RR. Patres Horatium Iustinianum, et Branciam, Dominicanum.

123.

Roma, 8 . V . 1629.

Responsa S. Congregationis ad varias quaestiones: lapsus Meletii Smotryckij Kioviae, de remotione sacerdotum schismaticorum Vilna, de contributionibus Ecclesiasticorum ruthenorum, et laudatur responsum Nuntii in negotio Unionis Universalis Russiae datum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 263rv, nr. 3.

Maii 8.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino alias literas Nuntii Poloniae, Sac. Congregatio decrevit ut infra. 1. Quoad lapsum Meletii Archiepiscopi Polocensis nuncupati, qui ad Synodum Schismaticorum profectus,⁹⁶ ut fidem catholicam publice

⁹⁴ Card. Aloysius Capponi, creatus a Paulo V die 24.XI.1608. Antea sub Leone XI et primis annis Pauli V thesaurarius generalis. Natus 1583. Ab anno 1621 Archiep. Ravennae, cui anno 1645 renuntiavit. Obiit Romae an. 1659 (cfr. MORONI, *Dizionario*, vol. 9-10, p. 200).

⁹⁵ Card. S. Sixti. Laudivius Zachias. Creat. 9. II. 1626; ob. 30. VIII. 1637.

⁹⁶ Agitur de Synodo Kioviensi an. 1628. - Cfr. J. SUSZA, *op. cit.*, p. 112, 120; IG. STEBELSKI, *op. cit.*, 217; S. SABOL, *op. cit.*, p. 13, nota 74.

profiteretur, terrore mortis correptus, iterum Schisma asseruit, et deinde ad Russiae Metropolitam reversus, factique poenitens, ac dolens de martyrii occasione turpiter ammissa, amaris lachrymis Schisma publice iterum abiuravit, et in detestationem sui lapsus confirmationemque eiusdem fidei catholicae libellum evulgavit,⁹⁷ Sac. Congregatio humanae fragilitati compatiens ad exemplumque S. Petri Apostoli, et S. Marcellini Papae, et Martyris animum convertens, spem magnam concepit, eundem Meletium optimum deinceps fore Catholicum, et pro Sancta Unione propaganda strenue laboraturum.

2. De scholae Schismaticorum prohibitione in Vilna a Rege obtenta, et de privilegiis, quae a Schismaticis in praeiudicium (f. 263v) Unitorum petebantur ab eodem Rege ad Nuntii instantiam negatis, et de officiis cum Palatino Podoliae, et Duce Ostrogensi peractis, ut a Parochialibus sub eorum Dominiis constitutis schismatici sacerdotes removerentur, et catholici substituerentur; et denique de Domo Calvinistarum Vilnae, Capitulo Ecclesiae Vilnensis procurata, ut secta illa locum non habeat ad sua impia exercitia peragenda, Sac. Congregatio diligentias Nuntii commendari iussit, animarumque ad prosequendum negotia eiectionis sacerdotum schismaticorum a dictis Parochialibus, et donationis dictae domus Calvinistarum.

3. Quoad contributiones, quas Magistratus laici exigunt ab Ecclesiasticis ruthenis unitis, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio, ut cum opportuna sese obtulerit occasio Ruthenis praedictis faveat, curetque illos indebitis exactionibus liberari.

4. De tractatibus habitis cum Nuntio Terrestri Schismaticorum de eorum Unione, de ritibus Graecorum non immutandis, et de titulo Patriarchae, quem cupiunt Schismatici a Romano Pontifice pro Unione eorum stabilienda, Sac. Congregatio laudavit responsa, quae prudentissime Nuntius Ministro Schismaticorum dedit.

124.

Roma, 8. V. 1629.

Conceditur indulgentia plenaria generatis Confraternitati Volodimiriensi Assumptionis B. V. Mariae ad stimulandas frequentiores confessiones sodalium.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 264, nr. 4.

Maii 8.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino instantiam Confraternitatis Assumptionis B. mae Virginis civitatis Vladimirensis in Russia pro indulgentia plenaria generali pro omnibus, qui singulis festis eiusdem B. mae Virginis Oratorium dictae Confraternitatis visitaverint, Sac. Congregatio ad introducendum apud Ruthenos unitos frequentem usum confessionis peccatorum, qui apud eos rarissimus est, censuit, si Sanctissimo placuerit, Oratricis petitioni esse annuendum. Eodem die Sanctissimus Decretum Sac. Congregationis approbavit.

⁹⁷ Libellum de quo agitur videtur fuisse « *Protestatio contra Synodum Kioviensem* » (an. 1628), quod brevi subsequuti sunt alii: « *Paraenesis seu admonitio* » (an. 1629), « *Exaetesis vel expositulatio* » (an. 1629), « *Consideratio de sex differentiis* » (an. 1629). - Cfr. J. SUSZA, *op. cit.*, p. 125-136; S. S. SABOL, *op. cit.*, p. 14, ubi sat copiosa invenitur bibliographia.

125.

Roma, 8. V. 1629.

Facultas Metropolitanae Kioviensis dispensandi ab impedimentis cognationis spiritualis et publicae honestatis prorogatur ad alios 60 casus.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 268v, nr. 22.

Maii 8.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Ubaldino Decretum⁹⁸ ad favorem Metropolitanae Russiae editum die 23 Martii 1629, Sac. Congregatio illud declarando dixit intelligi debere de praeteritis matrimoniis, quovero ad futura, censuit, si Sanctissimo placuerit, eidem Metropolitanae concedendam esse facultatem dispensandi in impedimentis ex cognatione spirituali, vel publica honestate provenientibus in 60 matrimoniis. Eodem die Sanctissimus Decretum Sac. Congregationis approbavit.

126.

Roma, 30. V. 1629.

In praecedentiae negotio inter Episcopos Latini et Rutheni Ritus spectari debet solummodo tempus promotionis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 277v-278, nr. 6.

CONG. 110 - Die 30 Maii 1629 (f. 276v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Capponius, Borgia, Ubaldinus, S. Honuphrii, Caetanus, pro prima vice, Sancti Sixti, et Barberinus, et R.mi D. Corsius, et Torriellus, et Pater Dominicus, qui attulit scuta auri ponderis veteris 24, Sacrae Congregationi donata.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino instantiam Metropolitanae Russiae pro resolutione dubii, quod circa praecedentiam exoritur inter Episcopos suos unitos, et Suffraganeos latinorum Episcoporum, S. Congregatio censuit, scribendum esse Nuntio Poloniae S. Congregationis Rituum sententiam, quam Ill.mus D. Cardinalis Capponius retulit, videlicet quod in praecedentia Episcoporum non attenditur diversitas Rituum Graeci, et Latini, sed tempus promotionis eorum, et ideo Episcopos ruthenos praecedere (f. 278) debere Suffraganeos Latinorum, si ante illos ad dignitatem fuerint promoti episcopalem, et ab eo exquirendum, an per publicationem huiusmodi sententiae in illis partibus aliqua perturbatio oriri possit inter Latinos, ac Ruthenos unitos.

127.

Roma, 4. VI. 1629.

In materia Synodorum cum non Unitis datur responsum negativum, secundum Instructionem Nuntio Apost. transmittendam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 288-289, nr. 52.

⁹⁸ Cfr. supra, nr. 117, die 23.III.1629.

Die 4 Junii 1629.

Fuit congregatio particularis super Synodis Ruthenorum unitorum, et Schismaticorum in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt tres Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Capponius, et S. Sixti, et R.mi D. Paulutius, Secretarius Sac. Congregationis Concilii, et D. Augustinus Oreggius, S.mi D. N. Theologus, et Pater Horatius Justinianus.

In ea, recitatis literis Nuntii Poloniae et Metropolitanae Russiae, licentia Regis Poloniae pro convocandis Synodis Ruthenorum unitorum, et Schismaticorum, primum separatim, et deinde insimul celebrandis, et demum scriptura Patris Nicolai, Agentis eiusdem Metropolitanae, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Eidem Nuntio mittendam esse instructionem infrascripta capita continentem; videlicet, quod praedictae Synodi celebrari non debeant, nisi prius Schismatici significent, quatenus sint in illis tractanda, et quae desiderant a Sanctissimo D. Nostro, nam si de dogmatibus agere intendunt, huiusmodi Synodi non erunt necessariae, tum quia materia dogmatum pertinet ad Concilia Generalia, seu Oecumenica, et non ad particularia, qualia erunt praefatae Synodi Ruthenorum, tum quia iam in Synodo (f. 288v) Universali Florentina diffinitae sunt praecipuae Graecorum controversiae cum Latinis. Si vero agendum sit de Unione Schismaticorum cum S. R. Ecclesia, aut de illius Unionis conditionibus, idem dicendum est; videlicet, praefatas Synodos non esse necessario celebrandas, quia conditiones Unionis iam notae sunt, et ex Synodo Brentensi, facta sub Clemente 8., in qua Rutheni nunc uniti se subiecerunt Romano Pontifici, haberi possunt, nam Sanctissimus D. N. iisdem prorsus conditionibus ad Unionem recipiet Schismaticos. Praeterea, quod mediante Rege assumendae sunt per Nuntium informationes de iis, quae Rutheni schismatici in praefatis Synodis tractare, et petere voluerint, et quod S. D. N. summopere Unionem Ruthenorum schismaticorum exoptat, et prono affectu Regem hortatur ad illam toto spiritu, ac viribus suis procurandam, et demum, quod Instructionis huius capita, quae eidem Nuntio, et Regi videbuntur communicanda, Metropolitanae communicentur.

2. Et postremo, scribendum esse eidem Nuntio, ut data opportuna occasione admoneat Regem, non potuisse eius Maiestatem (f. 289) licentiam convocandi Synodos Ruthenis concedere, nec illis praecipere, ut de iis, quae in Synodis praedictis decreta fuerint ad se referatur, quia huiusmodi actus absolute ad potestatem ecclesiasticam pertinent, et proinde necessarium esse, ut Rex edicta licentiae praefatae corrigat, ut ea tantum proponat, et praestet, quae ad securitatem Synodi, et sedandos tumultus necessaria esse videbuntur.

128.

Roma, 22. VI. 1629.

Probantur et modificantur decisiones congregationis particularis in materia Synodorum cum non Unitis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 290v-291, nr. 6.

CONG. 111 - Die 22 Junii 1629 (f. 289).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet Millinus, Capponius, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, et Barberinus, et R.mi DD. Corsius, et Torriellus, et R. P. Dominicus, qui relictis 50 scutis Sacrae Congregationi donatis, et petita benedictione a S.mo D. N. discessit, ut arbitror, ob infirmam valetudinem.

Referente Ill.mo D. Card. Capponio instructionem, et literas, de quibus in particulari congregatione super Synodis Ruthenorum habita dicti Ill.mi Patres decreverunt, ut infra.

1. Literarum minutam pro Nuntio Poloniae in omnibus et per omnia approbarunt.

2. Dixerunt scribendum esse Nuntio ad partem, et cum cifris, ut Regi, etiam vocatis Poloniae Episcopis in auxilium, si opus fuerit, se viriliter opponat, casu quo nollet revocare licentiam, pro convocandis praedictis Synodis datam, et eo magis, si illam exequi mandaret.

3. Censuerunt instructionem praefatam reformandam esse in ea parte, in qua dicta congregatio particularis decrevit, ut Nuntius praedictus materias in Synodis praefatis tractandas exquireret, illasque S. Congregationi significaret, nam praedictarum Synodorum celebrationi Nuntius se opponere debet sive de dogmatibus, sive de instructione Schismaticorum super eis, sive de modis, et conditionibus Unionis (f. 291) faciendae, sive denique de auctorizanda Unione agendum fuerit. Nam 1^o et 3^o casu rationes in dicta particulari congregatione allegatae satis excludunt Synodorum praefatarum celebrationem, in 2^o autem casu Nuntius per Ruthenos unitos, et Latinos doctiores sufficienter Schismaticos instruere poterit. In quarto vero casu prius per Episcopos schismaticos facienda est Unio, saltem secreta, ut deinde publicari, et auctorizari possit in Synodo de licentia Papae celebranda.

4. Denique dixerunt, de titulo Patriarchali a Schismaticis praetense agendum non esse ante factam, et publicatam synodalem Unionem.

129.

Roma, 13. VII. 1629.

Iterata abiuratio Schismatis ex parte Meletii Smotryckij acceptatur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 301, nr. 2.

CONG. 112 - Die 13 Iulii 1629 (f. 300v).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Bandini, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Bandinus, Borgia, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, et S. Sixti, et RR.mi DD. Corsius, et Torniellus, et Pater Dominicus, qui attulit scuta fere triginta, Sacrae Congregationi donata.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino literas Metropolitae Russiae de iterata, ac solemniter abiuratione Schismatis a Meletio, Archiepiscopo Plocensi, pontificalibus inducto facta, Sac. Congregatio iussit commendari factum Meletii, et animari ad prosequendam Schismaticorum Unionem.⁹⁹

130.

Roma, 13. VII. 1629.

Duo Brevia scribenda statuuntur ad Ducem Korecensem et Zaslaviensem pro eorum auxilio Metropolitae in visitatione Volhiniae praestato.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 301, nr. 3.

⁹⁹ Cfr. supra, nr. 123, die 8.V.1629.

Jul. 13.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino progressus factos a Metropolita Russiae in visitatione Volhiniae, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, duo Brevia scribenda esse, alterum ad Ducem Kerecensem¹⁰⁰ et alterum ad Ducem Zaslavicensem,¹⁰¹ qui eidem Metropolitae plurimum in dicta visitatione iuverunt, et possunt summo opere Schismaticorum reductionem ad gremium Catholicae Ecclesiae promovere.

131.

Roma, 13. VII. 1629.

Gratuita et secreta expeditio Bullae coadiutoriae pro R. Korsak a S. Congregatione probatur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 301rv, nr. 4.

Jul. 13.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Bandino instantiam Patris (f. 301v) Raphaelis, Episcopi Halicensis rutheni uniti, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, Bullas Coadiutoriae eius cum futura successione in Metropolitam Russiae esse expediendas gratis, et per viam secretam, iuxta privilegium a Clem. VIII Ruthenis concessum.

132.

Roma, 7. VIII. 1629.

De titulo Archiepiscopali pro Meletio Smotryckij adiri debet S. C. Concistorialis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 6, fol. 316v, nr. 29.

CONG. 113 - Die 7 Augusti 1629 (f. 310v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Millinus, Borgia, Bentivolus, Sancti Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, et Barberinus, et R.mi Domini Corsius, et Torniellus, et R. P. Dominicus, qui attulit scuta 50, Sacrae Congregationi donata.

Referente eodem Ill.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitae Russiae de titulo Archiepiscopali in partibus infidelium pro Meletio Archiepiscopo Polocensi nuncupato, Sac. Congregatio iussit adiri Congregationem Concistorialem.

¹⁰⁰ Dux Korecensis (Koreckij) anno 1629 erat, ut videtur, Joannes Carolus, Castellanus Volhiniae. Obiit anno 1633 (cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. XV, p. 500).

¹⁰¹ Dux Zaslaviensis (Zaslavskij); ut videtur agitur hic de Alexandro Zaslavskij, qui ab anno 1605 erat Castellanus Volhiniae, ab anno vero 1613 Palatinus Braclaviensis, et ab anno 1628 Palatinus Kioviensis. Scripsit ad Meletium Smotryckij epistolam apologeticam, ut eum ad unionem cum S. Romana Ecclesia pertraheret (textus in J. Susza, *op. cit.*, p. 39-65). Designatus fuit uti mediator ad Synodum Leopoliensem an. 1629, ubi et obiit die 14.XI.1629. Erat homo piissimus et erga pauperes liberalis, benefactor ecclesiarum et monasteriorum (Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. XXVIII, p. 345).

133.

Roma, 7. VIII. 1629.

Petitio Metropolitanae de transmissione librorum Cyrilli Constantinopolitani pro eorum refutatione transmittitur ad S. Officium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 316v-317, nr. 30.

Aug. 7.

Referente eodem Ill.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitanae Russiae, ut ad eum mitterentur libri, et scripturae, quibus Cyrillus Patriarcha Costan. haeresi notatur, ut hoc modo possit facilius Ruthenos schismaticos ab illius obedientia (f. 317) subtrahere, ac Sanctae Romanae Ecclesiae unire, Sac. Congregatio censuit huiusmodi petitionem diligentius esse in Congregatione S. Offitii examinandam.

134.

Roma, 30 . VIII . 1629.

Transmittitur liber Zachariae Gergani et nota errorum Cyrilli Patr. Constantinopolitani ad Metropolitam Kioviensem.

APF, Acta S. C. de prop. Fide, vol. 6, fol. 320, nr. 45 (e CONG. 113).

Aug. 30.

In Sac. Congregatione S. Officii fuit resolutum, ut liber Zachariae Gergani, Graeci de Ithaca, una cum censura R.mi Cariophili,¹⁰² et nota errorum Cyrilli Patriarchae Costant. ad Nuntium Poloniae mitteretur, cum infrascriptis monitis; primo, ut librum praedictum una cum censura ad Metropolitam Russiae transmittat, eundemque admoneat, praefatam censuram ad eum mitti, ut privatam viri docti scripturam, et non ut a dicta Sac. Congregatione approbatam, quia ob temporis angustiam, illa debite examinari nequivit.

2º Ut notam errorum Cyrilli sine nominibus eorum, qui illos Sac. Congregationi de Prop. Fide significarunt, ad eundem Metropolitam mittat, ne si scriptorum nomina Turcis innotescerent, persecutionem patiantur.

¹⁰² Cfr. congregationem praecedentem, nr. 133, die 7.VIII.1629. - Cariophilus hic nominatus est, ut videtur, ille ipse, qui in Collegio Graecorum de Urbe studuit, de quo talis extat adnotatio in Chronica Collegii: « 30. Giovanni Matteo Careofilo, dalla Canea nel Regno di Candia; è stato di indole ottima; studiò filosofia et Teologia, doppo la quale gli fu dato con gran honore il grado di dottorato; poi fu fatto Maestro della prima scola greca; durò in questo officio cinque anni, havendo fatto boni scolari, servi per diacono della Cappella Pontificia per alquanti anni. Andò alla sua Patria, dove essendosi fermato quattro anni, difese gagliardamente l'autorità del Pontefice Romano, per il che patì grandissime persecuzioni; poi se ne ritornò a Roma, et da Papa Clemente di felice mem. hebbe un officio della libreria Vaticana. Finalmente è stato fatto Arcivescovo di Iconio in partibus; ha stampato molti libri greci, et molti tradotti con utilità grande della Grecia. E' stato in Collegio dodeci anni. Morì in Roma, et fu sepolto nella chiesa dei Greci con gran pompa » (fol. 9v).

135.

Roma, 7. IX . 1629.

Iustificaciones Archiep. Gnesnensis de irrisione Ruthenorum a S. C. probantur, et pro sufficientibus reputantur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 322, nr. 6.

CONG. 114 — Die 7 Sept. 1629 (f. 321).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Cardinalis Borgiae, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Borgia, Bentivolus, S. Honuprii, Caetanus, S. Sixti, et Barberinus, et R.mi D.ni Corsius, et Torniellus, et R. P. Dominicus, qui attulit scuta 30, Sacrae Congregationi donata.

Relatis per eundem Ill.mum D. Card. Borgiam¹⁰³ literis Archiepiscopi Gnesnensis¹⁰⁴ de Ruthenorum unitorum contemptu, et irrisione, de quibus alias S.mus D. Noster Breve ad eundem Archiepiscopum scripsit, Sac. Congregatio iustificaciones ab eodem Archiepiscopo pro Latinis, qui de illis imputabantur, allatas admisit, ac probavit.

136.

Roma, 7. IX . 1629.

Missio Dominicanorum ruthenorum Constantinopolim a S. C. urgetur, non obstantibus periculis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 328rv, nr. 37.

Sept. 7.

Referente Ill.mo D. Card. S. Sixti literas Vicarii Patriarchalis Constant. de Dominicanis ruthenis Constant. mittendis, Sac. Congregatio censuit, periculum a praefato Vicario significatum, quod videlicet Veneti occasione belli, quod Turcae habent cum Cosacchis, praedictis Dominicanis infensi erunt, ne loca conventus Venetis Religiosis, quos Senatus mittit Constant., praecipiant, non esse habendum in consideratione, quia bellum praedictum diuturnum erit, et interim Rutheni captivi in (f. 328v) ea Urbe viventes indigent Confessariis.

137.

Roma, 2 . X . 1629.

Exquiritur ulterior informatio de Synodis Ruthenorum tum Unitorum tum non Unitorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 342, nr. 32.

CONG. 115 — Die 2 Oct. 1629 (f. 334).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Capponius, Borgia, Bentivolus, S. Honuprii, Caetanus, S. Sixti, et

¹⁰³ Card. Gasparus Borgia, origine hispanus, creatus die 17.VIII.1611 a Paulo V, instante Rege Philippo III. Natus an. 1589. Obiit in Madrid an. 1645, ut Archiep. Toletanus.

¹⁰⁴ Joannis Wężyk (1626-1638).

R.mi Domini Corsius, et Toraniellus, et Pater Dominicus, qui attulit acuta 50, Sacrae Congregationi, donata.

Referente eodem Ill.mo D. Card. S. Sixti literas Nuntii Poloniae de Synodo Ruthenorum unitorum particulari, celebrata vigore Literarum Apostolicarum de convocandis singulis quadrienniis per Russiae Metropolitanam provincialibus Synodis, et de Synodo particulari a Schismaticis cum tumultu, dissidiis, et Cosacchorum impedimentis habita, Sac. Congregatio censuit eidem Nuntio nihil aliud scribendum esse, nisi ut iuxta instructionem ad eum circa materiam Synodorum Ruthenorum missam se gerat, et insuper, ut pinguorem mittat relationem de gestis in Synodo particulari Schismaticorum, quia de dissidiis convocatorum ad eam scietur, qui ad partem catholicam inclinaverint, et qui illam oppugnaverint.

138.

Roma, 2 . X . 1629.

Secundum petitionem Nuntii Poloniae exquiritur a S. C. Rituum Decretum de praecedentia Episcoporum ruthenorum, promotione antiquiorum, super Suffraganeis latinis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 342rv, nr. 33.

Oct. 2.

Referente Ill.mo D. Card. S. Sixti literas Nuntii Poloniae de praecedentia Episcoporum ruthenorum, si prius fuerint Suffraganeis Episcoporum latinorum promoti, et de Decreto Congregationis Rituum¹⁰⁵ circa eam in forma authentica mittendo ad eundem Nuntium, ut in occurrentibus casibus eo uti possit ad contraversias dirimendas, Sac. Congregatio mandavit copiam summarii litterarum praedicat Nuntii ad dictam Sacram Congregationem Rituum transmitti, ut Decretum (f. 342v) circa eandem praecedentiam faciat, illudque Secretario Ingolo authenticum pro eodem Nuntio, eiusque successoribus in Poloniae Nuntiatura tradat.

139.

Roma, 30 . XI . 1629.

Laudatur Nuntius et Metropolita de eorum vigilantia et obedientia in celebrandis Synodis particularibus; quoad Synodum communem iterum inculcatur instructio praecedens; P. Methodio Terleckyj reservatur per annum ius ad Episcopatum Chelmsensem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 6, fol. 366rv, nr. 26.

CONG. 117 — Die 30 Nov. 1629 (f. 358).

Fuit Congregatio in Quirinali, coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Capponius, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, et Barberinus, et R.mi Domini Corsius, et Toraniellus.

Referente eodem Ill.mo D. Card. S. Sixti literas Nuntii Poloniae, et Metropolitanae Russiae, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

¹⁰⁵ Decretum S. C. Rituum de praecedentia, de data 22.VIII.1620, confirmatum in forma sollemni a Gregorio XV die 20.III.1623. - Cfr. R. DE MARTINIS, *Iuris Pontifici de Propaganda Fide Pars Prima: Bullae, Brevia*, Acta S. S., vol. I, Romae 1888, p. 17-18.

1. Quoad inhibitionem, ne Synodus Ruthenorum unitorum, et Schismaticorum fieret, et quoad alia, quae significavit Nuntius de (f. 366v) Synodis particularibus ab eisdem Ruthenis seorsim factis, Sac. Congregatio eiusdem Nuntii diligentias, ac Metropolitanam obedientiam plurimum commendavit.

2. Quoad articulum an instructionibus circa Synodum communem cum Schismaticis, iam ad eundem Nuntium missis, aliquid sit addendum, ut si forte Schismatici in Dieta rursus illam convocari petierint, magis instructus respondere possit, Sacra Congregatio iussit iterum instructiones praefatas examinari per Cardinales ad huiusmodi negotium deputatos, ad effectum videndi an additione indigeant.

3. Quoad Patrem Methodium¹⁰⁶ censuit ipsum ob Missionem ad Vallachos Montis Felletrii non debere fraudari Episcopatu, ad quem fuit a Metropolita destinatus; ut tamen praefata Missio, a dicto Patre feliciter incohata, ulterius et cum fructu procedat, eidem Metropolita iniungendum esse, ut eundem Patrem cum duobus Monachis suis idoneis ad eosdem Vallachos mittat, quibus in illa Missionem introductis ibique demissis dictus Pater statim ad suum Episcopatum reverti poterit.

140.

Roma, 1 . II . 1630.

De titulo Archiepiscopali pro Meletio Smotryckyj exquiritur sententia card. S. Crucis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 17v, nr. 49.

CONG. 119 — Die prima Februarii (f. 3).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Capponius, Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, S. Sixti, Caetanus, Barberinus, et pro prima vice Trivultius, qui ab eodem Sanctissimo fuit in Congregationem adscriptus.

Referente eodem Ill.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitanae Russiae de titulo Archiepiscopali pro Meletio,¹⁰⁷ attentis eius vera conversione, publica Schismatis abiuratione, et denique progressibus ipsius in propaganda Cath. Fide, Sac. Congregatio censuit prius scribendum esse Cardinali S. Crucis pro informatione, eidemque iniungendum, ut etiam sententiam suam significet.

141.

Roma, 1 . II . 1630.

Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesiam Zyrovicensem primo die Dominico cuiusque mensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 18v, nr.52.

Feb. 1.

Referente Ill.mo D. Card. S. Sixti, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, concedendam esse indulgentiam plenariam visitantibus prima Dominica cuius-

¹⁰⁶ P. Methodius Terleckyj, OSBM, nominatus est episcopus Chelmsensis autumnus an. 1629, postquam Romam « ad limina » nomine Metropolitanae Kioviensis visitanda profectus fuit.

¹⁰⁷ Meletio Smotryckyj, converso ex Schismate an. 1627, qui fuit causa principalis occisionis Archiepiscopi Polocensis, Josaphat Kuncewycz (1623), uti anti Archiepiscopus.

libet mensis ecclesiam B. V. Zirovicensis¹⁰⁸ Ruthenorum unitorum. Eodem die Sanctissimus D. N. ad confirmandos Ruthenos unitos in fide catholica respectu articuli indulgentiarum, Decretum Sac. Congregationis confirmavit.

142.

Roma, 15 . IV . 1630.

Laudatur labor P. Methodii Terleckyj apud Vallachos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 47v, nr. 25.

CONG. 122 — Die 15 Aprilis 1630 (f. 43).

Fuit Congregatio in Palatio Ill.mi D. Card. Capponii, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Borgia, Ubaldinus, Gaetanus, S. Sixti, et Trivultius, et R.mi DD. Torniellus et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Ubaldino literas, et relationem Patris Methodii de Uscochis, seu Vallachis Montis Feletrii,¹⁰⁹ Sac. Congregatio iussit commendari diligentias dicti Patris, et hortari, ut opus bene coeptum, sicuti in Domino ei videbitur, prosequatur, et de suis progressibus saepe diligenter scribat.

¹⁰⁸ Ecclesia Zyrovicensis cum monasterio prope civitatem Stonim. Cfr. supra, nr. 45, nota 43.

¹⁰⁹ Ut lectoribus nostris aliquas saltem notitias ad manus suppeditetur, utile fore duximus hic transcribere ea verba, quae habet sic dicta « *Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei fedeli di Rito Orientale* », edita Romae a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali anno 1932:

« L'avanzata dei Turchi nelle terre popolate da Serbi diede principio ad una emigrazione continua in Ungheria. Valorosi soldati, i Serbi furono ben ricevuti; nel 1471 il re Mattia Corvino diede a Vuk Branković Zmaj il titolo di « despota », e pian piano furono organizzati i cosiddetti « confini militari » (*Militargrenze*) popolati di Serbi, distribuiti in parecchi reggimenti, a modo di quelli dei Cosacchi della Russia. Tra questi reggimenti erano quelli di Varazdin e di Gornij Karlovac (Karlstadt). Sotto l'Imperatore Rodolfo V (1608-1612), due *knez* o capi militari di Bosnia condussero nei Confini un forte drappello di Serbi, ed insieme a loro il metropolita Gabriele con settanta monaci del monastero di Crmlja o Srmil in Dalmazia; restaurarono il vecchio monastero di Marča, rovinato durante le guerre precedenti, che vedremo diventare il centro della futura diocesi di Križevci. L'emigrazione più forte fu quella del Patriarca di Peć Arsenije III Crnojević nel 1693, insieme a circa mezzo milione dei suoi fedeli. Arsenije stabilì la propria residenza nel monastero di Krušedol, nella Fruška Gora, al N. O. di Belgrado, poi nella piccola città di Karlovci (Karlowitz). I successori di Arsenije, dapprima decorati del titolo di Esarchi del trono di Peć, ricevettero in più quello di Arcivescovo e Metropolita, e ciò fino al 1848, anno in cui l'assemblea nazionale serba trasformò questo titolo in quello di Patriarca. Il patriarcato di Karlovci, al quale furono sottomessi sei vescovadi suffraganei, durò fino all'unione delle varie Chiese serbe dissidenti nel 1920.

Gli emigrati che abitavano sui confini della Carniola e della Croazia, nelle montagne dette Uskočke Gore, furono conosciuti dai Veneziani, con i quali venivano spesso a conflitto, sotto la denominazione di *Uscocchi*; e le loro montagne, per estensione e corruzione del toponimo *Pleterje*, erano chiamate dagli Italiani *Monte Felletrio*. Benchè siano stati Slavi e non Rumeni, i documenti del sec. XVII non li chiamano nè Serbi, nè Croati, nè Slavi, ma *Valacchi*, talvolta *Rasciani*.

Frammisti ai Croati, gli Uscocchi non potevano fare a meno di venire a contatto con i cattolici. Nel 1609 Martino Dubravić, parroco latino di Ivanić, riceveva da Paolo V la facoltà di assolvere dalle censure e dai casi riservati tutti i « Valacchi » che ricorressero a lui. Guadagnò alla fede cattolica Simeone Vretanjić loro vescovo, dipendente dal Patriarca di Peć, e nel 1611 lo condusse a Roma. Simeone fu poi riconsacrato *sub conditione* da S. Roberto Bellarmino. Egli ottenne che il monastero di Marča, nel quale intendeva risiedere, fosse elevato al rango di Badia e gli fosse dato in commenda. Con Breve del 21 novembre 1611, Simeone era costituito vescovo

143.

Roma, 21 . V . 1630.

Impossibilitas promulgandi Decretum S. Concilii Tridentini de matrimoniis clandestinis; petitur informatio Metropolitae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 70v, nr. 26.

CONG. 123 — Die 21 Mai 1630 (f. 63v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt 8 Cardinales, videlicet Capponius, Borgia, Ubaldinus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, Barberinus, et Trivultius, et R.mi DD. Torniellus et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Ill.mo D. Card. S. Sixti literas Card. S. Crucis de Brevibus Sinodos ruthenas, et clandestina matrimonia concernentibus consignatis Episcopo Haliciensis,¹¹⁰ et de scriptura eiusdem Episcopi contra impossibilem publicationem Decreti Sac. Concilii Trident. de matrimonio, praesertim ob Monachos, a quibus non expedit auferre potestatem celebrandi matrimonia in facie Ecclesiae, Sac. Congregatio censuit, expectandum esse responsum Metropolitae Russiae, ut cum maiori fundamento possit diffiniri huiusmodi articulus publicationis dicti Decreti de matrimonio.

144.

Roma, 21 . V . 1630.

Referuntur literae Nuntii de receptione librorum Gergani, et Cyrilli.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 71, nr. 27.

Maii 21.

Ill.mus C. Dard. S. Sixti retulit literas Card. S. Crucis, in quibus significabat recepisse librum Zachariae Gergani cum adnotationibus errorum eius, et Cyrilli, illumque quamprimum missurum ad Metropolitam Russiae.¹¹¹

145.

Roma, 21 . V . 1630.

De augmento numeri Alumnorum ruthenorum in Collegio Graecorum de Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 71, nr. 30.

Maii 21.

Referente eodem Ill.mo D. Card. Barberino, Sanctissimus considerans profectum Collegii Graeci valde exiguum esse, et plerosque Alumnos fieri infensissimos Sedis Rom. hostes, admonuit Ill.mum Card. Barberinum, ut maiorem numerum Ruthenorum unitorum in d. Collegium recipi curet.

dei Rasciani cattolici di rito bizantino sparsi per l'Ungheria, la Slavonia e la Croazia, e ricevette anche un diploma dell'arciduca di Austria Ferdinando (1612). Canonicamente, a norma del canone 9 del IV Concilio Lateranense del 1215, Simeone era vicario per il popolo di rito orientale del vescovo latino di Zagabria.

Dai primordi della sua istituzione, la Propaganda fece visitare quelli Uscocchi dal ieromonaco ruteno Metodio Terletskyj » (p. 126-8). Simeon supranominatus obiit anno 1630.

¹¹⁰ Raphaëli Korsak.

¹¹¹ Cfr. supra, n. 133, et 134, nota 102.

146.

Roma, 15 . VI . 1630.

*Emendatio et impressio Liturgiae in lingua illyrica.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 75v, nr. 3.

CONG. 124 — Die 15 Iunii 1630 (f. 75).

Fuit Congregatio de Prop. Fide, in Palatio Ill.mi D. Card. Capponii, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Caetanus, Sancti Sixti, et Trivultius, et R.mi D.ni Torniellus, et Assessor S. Offitii.

Jussit emendari liturgias Graecorum in linguam illyricam translatas, easque characteribus S. Cyrilli imprimi pro Sacerdotibus illyricae linguae qui eorum penuria laborant.

147.

Roma, 15 . VI . 1630.

*Indulgentia plenaria pro ecclesia cathedrali Volodimiriensi.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 79, nr. 28.

Jun. 15.

Referente eodem Emin.no D. Card. S. Sixti Sac. Congregatio inclinavit ad gratiam indulgentiae plenariae pro ecclesiae cathedrali Vlodomiriensi Ruthenorum unithorum in omnibus festis B. Virginis, et huiusmodi negotium iussit remitti ad Sac. Congregationem Indulgentiarum.

148.

Roma, 9 . VII . 1630.

*Inquisitio de possibilitate conferendi titulum archiepiscopalem in partibus infidelium pro Meletio Smotryckyj.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 95, nr. 10.

CONG. 126 — Die 9 Iulii 1630 (f. 92).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Capponius, Borgia, Ubaldinus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, Barberinus, et Trivultius, et R.mi DD. Torniellus, et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Ubaldino instantiam Metropolitae Russiae pro titulo archiepiscopali in partibus infidelium conferendo Meletio Archiepiscopo Polocensi nuncupato, Rutheno unito, et nuper a Schismate converso ad catholicam fidem, et simul testimonium D. Cardinalis Sanctacrucii de praefati Meletii..., moribus e continuatione in fide catholica, S.mus iussit (f. 95v) perquiri a R.mis DD. Datario, Cariophylo, et Maraldo, et a D. Petro Arcudio exempla, ex quibus constet Romanos Pontifices aliquoties Graecos fecisse Episcopos, vel Archiepiscopos titulares in partibus infidelium ordinatos, vel ordinandos ritu graeco.

149.

Roma, 9 . VII . 1630.

*Iterum negotium captivorum ruthenorum Constantinopoli examinatur in Congregatione.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 99rv, nr. 19.

Jul. 9.

Referente R.mo D. Torniello litteras Vicarii Patriarchalis Constantinop. et processum ab eo formatum contra 3 Fratres Min. Convent., Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Quoad punctum captivorum Ruthenorum, et Mengrellorum, qui ascendunt ad numerum 40 m., an videlicet illis facultas concedenda sit, ut possint confiteri per interpretem ob defectum sacerdotum callentium eorum linguas, Sac. Congregatio censuit huiusmodi negotium... examinandum per R.mos PP. Magistrum Sac. Palatii, et Oregium, S. D. N. Theologum, et admodum R. D. Alexandrum Boccabellam, et admodum RR. Patres Abbatem Hilarionem Cisterciensem, et Patrem (f.99v.) Horatium Justinianum.

2. Quoad Missionem Vallachiae Min. Convent., quae ob defectum Superioris non bene procedit, praesertim in materia morum et disciplinae regularis, Sac. Congregatio mandavit scribi Generali Ordinis, ut pro sua prudentia provideat.

3. Quoad processum contra dictos Fratres Venetos, Sac. Congregatio censuit illum esse diligentius examinandum per Eminentissimum D. Card. S. Sixti, et eundem R.mum D. Torniellum, et Secretarium.

150.

Roma, 5 . VIII . 1630.

*S. Congregatio committit Nuntio Poloniae, ut a Metropolitae Kioviensi expeteret exemplar litterarum Cyrilli ad Marcum Antonium, Archiep. Spalatensem, et ut Romam transmitteretur.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 112v-113, nr. 29.

CONG. 127 — Die Augusti 1630 (f. 105v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.ni D. Card. Capponii, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Ludovisius, Caetanus, S. Sixti, Barberinus, et Trivultius, et R.mi DD. Torniellus, et Assessor S. Offitii.

Referente Em.mo D. Card. Sixti literas Metropolitae Russiae, datas Dubnae die 18 Februarii, S. Congregatio iussit comendari diligentias illius in promotione S. Unionis eique signare litterarum ad Cyrillum scriptarum exemplar non fuisse transmissum sicut nec exemplar litterarum Cyrilli ad Marcum Antonium de Dominis, olim Archiepiscopum Spalatensem, et simul rogari, ut huiusmodi exemplaria et praesertim hoc ultimum in originali, si fieri poterit, Nuntio Poloniae tradi curet, (f. 113) qui illa pro maiori securitate mittet ad Nuntium Germaniae cum mandato, ut ea ad Sac. Congregationem transmittat.¹¹²

¹¹² Cfr. supra, nr. 134, nota 102, et nr. 144, nota 111.

151.

Roma, 5 . VIII . 1630.

Episcopum Haliciensem et res Ruthenorum novo Nuntio commendari S. Congregatio statuit.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 113, nr. 32.

Referente eodem Em.no D. Card. S. Sixti literas Episcopi Haliciensis, Sac. Congregatio mandavit comendare Episcopos et negotia Ruthenorum unitorum, et praesentim Metropolitanam, Episcopum Haliciensem, et Archiepiscopum Meletium R.mo Vice Comiti,¹¹³ destinato Nuntio in Polonia.

152.

Roma, 6 . IX . 1630.

Epistula Meletii Smotryckij in Archivo Arcis reponitur et media conversionis non Unitorum, a Meletio proposita, Nuntio Apost. Varsaviensi transmittuntur Regi communicanda.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 128v, nr. 19.

CONG. 129 — Die 6 Sept. 1630 (f. 124).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, Barberinus, Trivultius, et R.mi DD. Torniellus, et Assessor S. Officii.

Referente Em.mo D. C. S. Sixti literas Meletii,¹¹⁴ Archiepiscopi Polocensis, nuncupati, ad S. D. N., Sac. Congregatio in primis mandavit praedictas literas melioribus characteribus transcribi, et ad eas annotari, quis, et qualis sit dictus Meletius, et cum annotatione praedicta reponi in Castro S. Angeli.

2. Media proposita a Meletio pro Schismate Ruthenorum profligando significari Nuntio Poloniae, ut ea Regi communicet, eiusque sententiam circa illa, eorumque executionem diligenter ad Sac. Congregationem perscribat, ut ab ea circa ipsa praecisius mandatum obtinere possit.

¹¹³ Novus Nuntius Apostolicus Varsaviae erat Honoratus Visconti (Vicecomes), Archiepiscopus Larissenus (15.VI.1630 - 12.IV.1635). Temporibus vivebat difficillimis, praesertim post mortem Sigismundi III (1632), quando in Comitibus electionis Vladislai IV Haeretici et non Uniti diversas obtinuerunt concessionem in damnum Catholicorum. Nuntius tamen fortiter pro re catholica agebat. Post suum e Polonia discessum optimam scripsit « *relationem* » de tempore suae nuntiaturae, sub data 15.VII.1636. A Vladislao IV ad dignitatem cardinalitiam Urbano VIII praesentatus illam non obtinuit ob dissensum inter Vladislau IV et Curiam Romanam. (Cfr. *Encyklopedyja Powszechna*, vol. XXVI, p. 226-234).

¹¹⁴ Agitur de epistula data in Monasterio Dermanensi in Volhynia die 16.II.1630, ut scribit ipse Smotryckij: « *Data in Volhynia, Provincia Ducatus Rossiae, Regni Poloniae incorporata...* ». Cfr. A. THEINER, *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, p. 383-387, nr. 328.

153.

Roma, 6 . IX . 1630.

Examinatur fragmentum litterarum Cyrilli Constantinopolitani, transmissum a Metropolitana Kioviensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 128v-129, nr. 20.

Sept. 6.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti fragmentum litterarum Cyrilli Patriarchae Constantinop. ad Marcum Antonium de Dominis Archiep. Spalaten. in commendatione illius (f. 129) libri de Repub. Ecclesiastica, Sacra Congregatio mandavit scribi Metropolitanae Russiae, a quo dictum fragmentum ad Sac. Congregationem fuit missum, ut significet an illud sit manu propria Cyrilli scriptum, an vero ex originali transcriptum, et si poterit, illud authenticum reddat suo et aliorum iuramento

154.

Roma, 6 . IX . 1630.

Requiritur a S. Congregatione altera copia authentica scripturae non Unitorum ad Patriarcham Cyrillum de intentione uniendi se Ecclesiae Catholicae Romanae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 129v, nr. 22.

Sept. 6.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti copiam litterarum a Schismaticis ruthenis scriptarum ad Patriarcham Cyrillum Constantinop., in quibus, post relatas, et comprobatas diffinitiones Sac. Concilii Florentini de Unione Graecorum cum S. R. E., petunt ab eo licentiam se uniendi cum eadem Ecclesia, cum protestatione quod etiam licentia non obtenta, Unionem facere volunt, Sac. Congregatio mandavit scribi Metropolitanae Russiae, ut aliam earumdem litterarum copiam authenticam Romam mittat, quia cum sint dogmaticae et optime digestae imprimi poterunt tam latine quam graece, et disseminari inter Schismaticos orientales cum non mediocri fructu.

155.

Roma, 1 . X . 1630.

Responsum negativum Episcopo Luceoriensi, postulanti facultatem recipiendi Ruthenos non Unitos ad Ritum Latinum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 7, fol. 137v-138, nr. 21.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 215-216, nota 85.

CONG. 130 — Die prima Octobris 1630 (f. 133).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi D. Card. Borgiae, cui interfuerunt decem Cardinales, videlicet ipsemet Borgia, Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, Pamphilius, pro prima vice, Barberinus, et Trivultius, et R.mi Domini Franciscus Raymundus, Protonotarius, pariter pro prima vice, Torniellus, et Victricius, Assessor S. Officii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Ubaldino instantiam Episcopi latini Luceorisis¹¹⁵ in Polonia pro licentia recipiendi Ruthenos schismaticos ad ritum latinum, Sac. Congregatio ob gravissimas causas illas, ob quas transitum Ruthenorum, ad ritum latinum prohibuit die 7 Februarii 1624, censuit rescribendum esse (f. 138) praefato Episcopo, ut nomine tam suo quam Sac. Congr. roget, et hortetur praefatos Ruthenos schismaticos, qui ad latinum ritum transire cupiunt, ad suscipiendam catholicam fidem in ritu Ruthenorum unitorum, ne suorum fratrum Ruthenorum, et aliorum Graecorum Schismaticorum conversionem, et unionem cum S. R. E. per eorum intemptivum transitum ad ritum latinum impediri contingat, et maxime hoc tempore, in quo diversi per Sac. Congregationem super Unione Schismaticorum, non sine spe faelicissimi eventus, habentur tractatus.

156.

Roma, 21 . XI . 1630.

De impedimentis Unionis Ruthenorum nota alicuius Alberti, Ord. Min. Conventualium Poloniae; S. Congregatio exquirat opinionem Card. Sanctae Crucis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 158v, nr. 13.

CONG. 131 — Die 21 Nov. 1630 (f. 156).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi D. Card. Borgiae, cui interfuerunt sex Cardinelas, videlicet ipsemet Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Caetanus, S. Sixti, Pamphylius, et Trivultius, et R.mi DD. Raymundus, et Tornielus.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Caetano notas fratris Adalberti Poloni Ord. Min. Conven. circa Ruthenos, videlicet de Xmis solvendis a novis coloniis, et eccleriarum aedificatione praetermissa ne illae solvantur, de sex impedimentis Unionis Ruthenorum schismaticorum, videlicet de gravaminibus, quae ecclesiastici eorum patiuntur in contributionibus, in privatis servitiis, laicis Dominis praestandis, exclusione a Tribunalibus, in bonorum ecclesiasticorum usurpatione, quae fit a Latinis, et tandem de suspitione ne cogantur ad latinismum, sicque uxoribus carere necesse sit, Sac. Congregatio iussit agi cum Emin.mo D. Card. Sanctae Crucis, ut ab eo sciat quid in plerisque articulorum praedictorum effecerit cum Rege, vel quid fieri possit, maxime circa remedia ad favorem Ruthenorum ab eodem petere proposita.

157.

Roma, 21 . XI . 1630.

De aliqua Missa layca in Russia introducta et de abusu indulgentiarum exquiratur opinio Card. S. Crucis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 158v-159, nr. 14.

Nov. 21

Referente eodem Emin.mo D. Card. Caetano ex eisdem fratris Adalberti notis de Missae, ut ferant laycae usu a quodam Jesuita (f. 159) introducto in Russia, quo laycus praeter consecrationem secretas orationes et reliqua omnia ex Missali popu-

¹¹⁵ Achacius Grochocki, idem qui sub nr. 86, nota 64, qui e Peremyšl translatus est ad Sedem Luceoriensem (1628-1633).

lis praesentibus recitat, et de alio Jesuita qui praedicatione eiusdem indulgentiae remissionis tertiae partis peccatorum, quam habet Societas Jesu indulgentiis plenariis praeiudicat, hortando populos ad illam suam ter capiendam, ut habeant plenariam; Item de Inquisitore hac occasione in Russiam deputando, ut paulatim illic huiusmodi Tribunal introducat. Sac. Congregatio iussit agi de praedictis cum eodem Emin.mo Sanctae Crucis, et cum Patre Nicolao, Agente Metropolitae.

158.

Roma, 22 . XI . 1630.

Querela Metropolitae Rutskyj de occupatione bonorum deque remedio, ut huic abusu remediatar.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 168rv, nr. 18.

CONG. 132 — Die 22 Nov. 1630 (f. 162v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt X Cardinales, videlicet Borgia, Ubaldinus, Bentivolus, Ludovisus, S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, Pamphylius, Barberinus, et Trivultius, et R.mi Domini Raymundus, Cornelius, et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti querelas Metropol. Russiae (f. 168v) de bonis ecclesiasticis Ruthenorum unitorum, quae per Latinos variis modis ecclesiis et Ecclesiasticis eorum eripiuntur, eiusque instantiam, ut huic modo provideretur per extensionem Paulinae Constitutionis ad bona praefata, et per institutionem aliquorum Tribunalistorum, ut vocant, ex Ruthenis unitis, Sac. Congregatio mandavit agi cum Emin.mo D. Card. Sanctae Crucis, ut significet, quid in huiusmodi negotiis egerit, alias ei commissis dum erat Nuntius Poloniae, et circa ea suam etiam aperiat sententiam.

159.

Roma, 22 . XI . 1630.

Indulgentia plenaria pro ecclesia cathedrali Volodimiriensi conceditur ad annos 20.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 168v, nr. 19.

Nov. 22.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, concedendam esse indulgentiam plenariam ecclesiae cathedrali Vlodimirensi Ruthenorum unitorum in omnibus, et singulis festis B.mae Virginis ad annos 20. Eodem die etc.

160.

Roma, 22 . XI . 1630.

De assignatione alicuius ecclesiae pro Ruthenis in Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 168v, nr. 20.

Nov. 22.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitae Russiae, ut Ruthenis unitis aliqua in Urbe ecclesia concederetur loco illius S. Laurentii, alias illis concessae, quae ab aliis fuit occupata, Sac. Congregatio mandavit agi cum Emin.mo Ginetto, ut si fieri poterit Oratoris desiderio satisfiat.

161.

Roma, 22 . XI . 1630.

De assignatione capellae pro Ruthenis Varsaviae negotium remittitur ad Card. S. Crucis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 168v-169, nr. 21.

Nov. 22.

Referente eodem Emin.mo Card. S. Sixti iustantiam Metropolitae Russiae (f. 169), ut Ruthenis unitis a Rege Poloniae, et ab Episcopo Plociensi¹¹⁶ impetraretur Capella nuncupata de sepulturis Magnatum Moscoviae in Varsavia, Sac. Congregatio mandavit agi cum Card. S. Crucis, ut sententiam suam circa hanc instantiam dicat.

162.

Roma, 22 . XI . 1630.

De novis annatibus assignandis pro manutentione residentiarum et agentium Varsaviae et Romae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 169, nr. 22.

Nov. 22.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam eiusdem Metropolitae Russiae, ut pro manutenendis residentiis suorum Agentium in Urbe, et in Varsavia illi concederentur Annatae super Episcopatibus, et Abbatibus Ruthenorum unitorum, Sac. Congregatio mandavit agi cum Emin.mo D. Card. Sancta Crucis¹¹⁷ pro habenda eius sententia.

163.

Roma, 22 . XI . 1630.

De sanatione Processus Beatificationis S. Josaphat datur sententia negativa cum iniunctione, ut testes denuo audiantur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 169v-170, nr. 24.

Nov. 22.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam Agentis Metrop. Russiae, ut signaretur sanatoria processus a R.mo D. Corsio confecti in causa piae mem.

¹¹⁶ Stanislaus Lubienski (1627-1640), translatus e Luceoria (1622-1627).

¹¹⁷ Quasi semper exquiruntur informationes Card. Sanctae Crucis, quia antea erat Nuntius Apostolicus Varsaviae, et bene circumstantias huius Regni cognoscebat (1627-1630). Creatus est cardinalis die 19.XI.1629, instante Rege Poloniae Sigismundo III. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. III, p. 714, 718.

Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, Rutheni uniti, ne Auditores Rotae illum reiiciant sub praetextu defectus spiritualis facultatis S. D. N., quam ultra generalem in dicto Prot.rio necessariam fuisse dicent, Sanctissimus noluit dictam sanatoriam signare, sed mandavit repeti testes a praefato R.mo Corsio examinatos, vel in Curia, si in ea extiterint, per eundem Corsium, vel in aliis civitatibus, ubi reperientur, per (f. 170) deputandos in remissoriali expedienda.

164.

Roma, 22 . XI . 1630.

Instantia Metropolitae pro confirmatione alumnatum in Collegiis Germaniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 170, nr. 25.

Nov. 22.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitae Russiae, ut loca Alumnis ruthenis concessa in Collegiis Pontificiis Germaniae ad eorum favorem confirmarentur, quia Rectores eorum universaliter praefatos Alumnos nolle amplius recipere, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio Germaniae, ut cum Rectoribus Colleg. Viennensis, et Olomucensis etc. agat, ab eisque intelligat ob quam causam praefatos Alumnos in posterum recipere recuset.

165.

Roma, 22 . XI . 1630.

Relatio de miraculo Kioviae, quo puer concionatorem mendacii redarguit in ecclesia

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 178rv, nr. 36.

Nov. 22.

Referente R.mo D. Raymundo miraculum, quod contigit prima Dominica quadragesimae 1629 in Chiovia, ubi dum congregati Rutheni schismatici ad concionem, ut in ea excommunicarentur Uniti, et in spiritu Meletius Archiepiscopus Polocensis nuncupatus, concionatoreque Schismatico in multis Unitos (f. 178v) carpente, ac maledicente, puer in media multitudine alta voce exclamavit: Tu mentiris; qua voce audita concionator obmutuit, factaque diligentia per Schismaticos, quis ita clamaverit, inventus est ille puer cuiusdam sectatoris Pseudometropolitae, qui audacter dixit: ego fui, qui exclamavi, et interrogatus a quo ita fuerit edoctus, respondit: a nemine, Sac. Congregatio censuit Metropolitae Russiae scribendum esse, ut, si fieri poterit, de hoc miraculo Processum authenticum conficiat.

166.

Roma, 23 . XII . 1630.

De nova assignatione alicuius ecclesiae pro Ruthenis in Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 188, nr. 3.

CONG. 133 — Die 23 Dec. 1630 (f. 187v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi D. Card. Borgiae, cui interfuerunt septem Card., videlicet ipsemet Borgia, Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Caetanus, Pamphylius, et Trivultius, et R.mi Domini Raymundus. et Torniellius.

Sac. Congregatio volens providere Ruthenos unitos de aliqua ecclesia in Urbe, mandavit capi informationem de illa, quam prope ecclesiam Sanctorum 40. habebant Augustiniani, et si ea visa fuerit pro praefatis Ruthenis opportuna, nomine Sac. Congregationis memoriale exhibeatur Archiconfraternitati Confalonis, quia Eminentissimus D. Card. Barberinus, illius Protector, negotium iuvabit.

167.

Roma, 2 . II . 1631.

De erectione Collegii pro pueris Turcis a Cosacis in captivitate ductis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 7, nr. 13.

CONG. 134 — Die 2 Februarii 1631 (f. 6).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi D. Cardinalis Capponii, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Caetanus, S. Sixti, Pamphylius, et Trivultius, et R.mus D. Raymundus.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti de pueris Turcis, qui capiuntur et occiduntur a Cosachis, quod pro illis posset fieri Collegium in Urbe Camenecii in Russia, iuxta monitum Patris Alberti Dembolecki, Poloni, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio Poloniae pro informatione.

168.

Roma, 3 . II . 1631.

De variis petitionibus Metropolitanæ Kioviensis: applicatio quorundam fundorum pro monasteriis et Schola Vilmensi, nec non de applicatione Bibliothecæ Ep. Chelmensis Theodori.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 11v-12, nr. 6.

CONG. 135 — Die 3 Februarii 1631 (f. 11).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, Sancti Sixti, Pamphylius, Ginettus, pro prima vice, fuerat enim ante paucos dies a Sanctitate Sua in hanc Congregationem adscriptus, et Trivultius, et R.mi Domini Raymundus, et Torniellus.

Referente E.mo D. Card. Ubaldino petitiones Metropolitanæ Russiae, videlicet: 1. ut applicatio fundorum quarundam domorum, ab eo disiectarum, quae suae Mensae erant, ab eo facta ad duo monasteria, alterum virorum, alterum mulierum auctoritate Apost. confirmaretur.

2. Ut pagus quidam Archimandriae Zidicensis, applicatus de consensu Regis Poloniae scholae Unitorum Vilmensi¹¹⁸ ab Hipatio Metropolita, eius praedecessore, uniretur Seminario (f. 12) in Russia erigendo de mandato S. Congregationis pro Ruthenis unitis.

3. Ut Bibliotheca referta voluminibus Sanctorum Patrum, quam Theodorus, Episcopus Chelmensis¹¹⁹ legavit Scholae Vlodimirensi, applicaretur praefato Collegio erigendo, attento, quod dicta Bibliotheca praefatae scholae, in qua praeter Grammaticam nihil aliud docetur, mansit inutilis, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio, ut necessariis informationibus assumptis de praedictis, et praesertim circa scholam Vilmensem, ne fortasse utilius esset eam manutenere circa Mensam Metropolitanæ, ne nimis depauperetur, comunicatoque negotio cum Rege sententiam suam circa praedictas Metropolitanæ petitiones significet.

169.

Roma, 3 . II . 1631.

Meletio Smotryckij assignatur titulus Archiep. Hieropolitani in partibus infidelium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 18v, nr. 25.

Febr. 3.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. S. Sixti Decretum Sac. Congregationis rerum Concistorialium, in quo fuit resolutum, dandum esse Meletio Smotricio, Rutheno unito, titulum aliquem episcopalem in Patriarchatu Antiocheno, in partibus Regni Persarum subiectis, et simul referente reperire sub dicto Patriarchatu Hieropolim, Urbem Cyrristicae regionis, titulo archiepiscopali insignitam, illoque posse honorari Meletium, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, dictum Meletium titulo praedicto insigniri posse. Eodem die Sanctissimus etc.

170.

Roma, 25 . II . 1631.

Responsa S. Congregationis ad petitiones Metropolitanæ Kioviensis: de annatis pro substatione Agentium, de Capella Nobilium Varsaviae et de extensione Bullae Paulinae in occupantes bona ecclesiastica.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 28v-29, nr. 24.

CONG. 136 — Die 25 Februarii 1631 (f. 22v).

Fuit Congregatio de Propaganda Fide, in Palatio Emin.mi D. Card. Capponii, cui interfuerunt 7 Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Caetanus, S. Sixti, Pamphylius, et Trivultius, et R.mi DD. Torniellus, et Assessor S. Offitii.

¹¹⁸ De hac schola cfr. R. HOLOWACKYJ, *De Seminario Vilmensi SS. Trinitatis, annis 1601-1621*, Romae 1950 (Dissertatio).

¹¹⁹ Theodorus Meleško, nominatus Episcopus Chelmensis, qui ipsa die suae consecrationis vita functus est (cfr. I. STEBELSKI, *op. cit.*: *Przydatek...*, (p. 161)).

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti petitiones Metropolitae Russiae de annatis super Episcopatibus pro manutentione Agentium in Curia, et in Varsavia, de Capella Magnatum in eadem Urbe Varsavia, de extensione censurarum contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum Ruthenorum unitorum, et de Ruthenis inter Tribunalistas constituendis, et simul responsa, et monita Emin.mi D. Cardinalis (f. 29) Sanctae Crucii ad dictas petitiones, Sac. Congregatio quoad Annatas mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut agat cum Magno Cancellario, ne Rex dissentiat aut se opponat, si Metropolitae aliquam contributionem super Episcopatibus vacantibus imponere voluerit ad effectum, de quo supra.

Quoad Capellam censuit melius esse, ut Metropolitae obtentis contributionibus cum illis aliquam erigat in Varsavia ecclesiam, cum domo pro suis Ruthenis, et pro Agente. Quoad bona ecclesiastica, quia certissimum est, quod censurae Sac. Canonum, et Constitutionum Pontificiorum ligant omnes, qui usurparunt, et usurpant bona ecclesiastica Ruthenorum unitorum, iussit scribi Nuntio Poloniae, ut agat cum Magno Cancellario ad removenda impedimenta, quae ex parte Regis haberi possunt in notificatione praefatarum censurarum in Regno Poloniae, quod etiam bona ecclesiastica Ruthenorum unitorum compraeherent.

Quod denique attinet ad Tribunalistas, S. Congregatio censuit ad opportuniora tempora hoc negotium esse differendum.

171.

Roma, 25 . II . 1631.

Monita Alberti, Conventualis Poloni, de « missa laycorum » etc. transmittuntur ad Nuntium Poloniae pro informatione.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 29rv, nr. 25.

Febr. 25.

Referente eodem E.mo D. Card. S. Sixti monita Fratris Alberti, Poloni, Min. Convent., circa impedimenta conversionis Ruthenorum (f. 29v) schismaticorum, et circa quandam Missam laycam a quodam Jesuita in Polonia introductam, et alia de quibus in decretis 12, et 13 editis die 21 9bris 1630, et responsiones Card. S. Crucii, Sac. Congregatio mandavit dicta monita ad Nuntium Poloniae transmitti, ut super illis se informet, et referat.

172.

Roma, 27 . III . 1631.

Praecipitur Rectori Collegii Olomucensis, ut recipiat Alumnos ruthenos iuxta Decreta alias edita.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 35, nr. 1.

CONG. 137 — Die 27 Martii 1631 (f. 35).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi D. Card. Capponii, cui interfuerunt 7 Card., videlicet ipsemet D. Card. Capponius, Bentivolus, Caetanus, Sancti Sixti, Pamphilius, Ginettus, et Trivultius, et Rev.mi Domini Raymundus, Torniellus, et Assessor Sancti Offitii.

In ea 1. Referente Emin.mo Domino Card. Capponio literas Nuntii Germaniae de locis Ruthenorum Alumnorum in Collegio Viennensi, et Olomuciensi, Sac. Congregatio mandavit per eundem Nuntium Rectori Collegii Olomuciensis praecipere, ut Alumnos, quos mittet Metropolitae Russiae, in dicto Collegio recipiat iuxta Decreta alias edicta, quorum copia, una cum aliis Decretis in Visitatione dicti Collegii anno 1624 facta promulgatis, transmittitur.

173.

Roma, 27 . III . 1631.

Statuitur, ut Metropolitae Kioviensis mittat saltem duos monachos ad Schismaticos Hungariae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 37v, nr. 13.

Mart. 27.

Referente Emin.mo D. Card. S. Sixti ex relatione data a Domino Simone Mathocovich de magno fructu, qui colligeretur in Ungaria sub Turcis si ad Schismaticos ibi degentes in maximo numero fieret missio monachorum ruthenorum unitorum, Sac. Congregatio censuit scribendum esse Metropolitae Russiae, ut duos saltem ex suis monachis ad praedictas partes mittat, eosque dirigat ad praedictum D. Simonem in Albam Graecam, quia ipse illos introducet ad dictos Schismaticos.

174.

Roma, 7 . V . 1631.

Iterum de assignatione alicuius ecclesiae pro Ruthenis in Urbe in S. Congregatione agitur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 57v-58, nr. 1.

CONG. 140 — Die 7 Maii 1631 (f. 57v).

Fuit Congregatio coram Sanctissimo in Quirinali, cui interfuerunt decem Cardinales, videlicet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Ludovisus, Sancti Honuphrii, Caetanus, Pamphilius, Ginettus, Barberinus, et Trivultius, et R.mi Raymundus, et Torniellus.

In ea 1. Referente Emin.mo Domino Card. Capponio,¹²⁰ Sac. Congregatio stetit in Decretis, ut Ruthenis unitis detur ecclesia in Urbe, et Emin.mo D. Card. Ginettus Secretarium monuit, ut Agentem (f. 58) Metropolitae Russiae ad Eminentiam Suam mittat, quia Decretum Sac. Congregationis exequitur.

175.

Roma, 7 . V . 1631.

Duo Alumni recipi debent in Collegio Pragensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 58, nr. 5.

¹²⁰ Card. Aloysius Capponi, cfr. nota 94.

Maii 7.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Capponio literas Nuncii Germaniae, et Patris Georgii Jesuitae, Rectoris Collegii Pontificii Pragensis, de Alumnis ruthenis unitis, Sac. Congregatio mandavit eidem Nuntio scribi, ut pro alia vice recipere faciat duos Alumnos in dicto Collegio, non obstante Bulla S. D. N. Urbani VIII super reformatione eiusdem Collegii, cui Sanctitas sua pro dicta vice dumtaxat derogavit.

176.

Roma, 7 . V . 1631.

Dubia Ep. Vilnensis de celebratione Missarum sollemnium a sacerdotibus ruthenis in ecclesiis Latinorum transmittuntur ad examen peritorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 62, nr. 25.

Maii 7.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti infrascripta duo dubia ab Episcopo Vilnensi latino proposita, videlicet:

1. An Presbyteri ritus graeci Ecclesiae Latinae uniti possint in ecclesiis ritus romani, irrequisito Episcopo, seu eius in spiritualibus Vicario Generali missas cum suis solemnitatibus et cantu celebrare.

2. An Episcopus, seu eius Vicarius licentiam praefatam absque necessitate concedere possit, et debeat, Sac. Congregatio iussit, illa transmitti ad R.mos M.rum Sac. Palatii, et Assessorem Sancti Officii, ut ea cum aliis Theologis ab eis vocandis examinent, et resolutionem referant.

177.

Roma, 4 . VII . 1631.

Litterae cuiusdam Archimandritae rutheni uniti examinantur, quibus retulit de modo docendi et conversandi haeretico Meletii Constantinopolitani.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 89, nr. 28.

CONG. 142 - Die 4 Iulii 1631 (f. 83).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Capponii, cui interfuerunt 7 Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Caetanus, Pamphylus, Barberinus, et Trivultius, et R.mi Domini Raymundus, Toraniellus, et Assessor Sancti Officii.

Referente eodem Rev.mo Domino Assessore copiam literarum cuiusdam Hieremiae Liscatici, Archimandritae rutheni uniti, datarum 29 . 9bris 1630, in quibus Alumnus ruthenis Collegii Graeci Urbis significabat colloquium Constantinopoli habitum cum Pseudopat. Cyrillo, qui tria tantum esse sacramenta asserit eundemque Cyrillum dum celebrabat Oratori Hollandorum obviam ivisse, patriarchalibus ornamentis indutum, Sac. Congregatio iussit perquiri originale dictarum literarum, ut transmitti possit ad Metropolitanam pro recognitione praedictarum literarum et pro examine dicti Archimandritae.

178.

Roma, 4 . VII . 1631.

De impossibilitate construendi Collegium pro pueris Turcis captivis in civitate Kamenec, ob defectum foundationis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 89v, nr. 33.

Jul. 4.

Ex literis Nuntii Poloniae retuli, quod Seminarium pro pueris Turcis a Cosachis habendis in Cammenicio construi non potest, cum redditus ad eos sustentandos non possint haberi, nec fructus spirituales, quos Relator promittit.

179.

Roma, 5 . VII . 1631.

De Apostolica approbatione Decreti de reductione monachorum in unam Congregationem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 92, nr. 10.

CONG. 143 - Die 5 Iulii 1631 (f. 90).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt 9 Cardinales, videlicet Capponius, Ubaldinus, S. Honuphrii, Caetanus, Sancti Sixti, Pamphylus, Barberinus, Ginettus, et Trivultius, et RR.mi. DD. Raymundus, Toraniellus, et Assessor S. Officii.

Referente Emin.mo Domino Card. S. Sixti, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, concedendam esse per Breve monachis Sanctis Basilii ruthenis unitis Apostolicam confirmationem Decreti ab ea editi die 4 Octobris 1624. Eodem die etc.

180.

Roma, 5 . VII . 1631.

Obiectiones R. Korsak contra decisiones in materia matrimoniorum clandestinorum ad congregationem particularem remittuntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 92, nr. 11.

Jul. 5.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti literas Metropolitanae Russiae, et obiectiones Episcopi Haliciensis contra resolutionem Sac. Congregationis in materia matrimoniorum clandestinorum, Sanctissimus iussit illas examinari a Congregatione particulari super dictis matrimoniis alias deputata, cui addidit Eminentissimum D. Card. Pamphylum.

181.

Roma, 5 . VII . 1631.

Instantia Metropolitanae pro beatificatione Archiep. Polocensis et de reformatione Brevis facultatum excipiendi testes a Protonotario S. Congregationis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 92rv, nr. 12.

Jul. 5.

Referente eodem Emin.mo D. Card. literas Nuntii Poloniae continentis instantiam Metropolitanæ Russiæ pro beatificatione piae mem. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, et similiter oppositiones, quas Rota Romana fecit ad Processum a Rev.mo Domino Laurentio Corsio, Protonotario Apostolico Sac. Congregationis, in Urbe confectum (f. 92v) vigore Brevis facultatum Protonotario eiusdem Sac. Congregationis concessorum, S.D.N., post declarationem intentionis suae in adscribendo Protonotario Apost. in eadem Sac. Congregatione, mandavit Decretum alias editum pro reformatione praefati Brevis mitti per manus Emin.rum Patrum, ut novum Breve iuxta S. Sanctitatis intentionem expediri possit. Cui Decreto B. S. dixit duo addi posse: 1º, ut Protonot. Congregationis ad maiorem auctoritatem Processuum sive per testes, sive per scripturas ab eo faciendorum occurrentes casus in ipsa Congregatione referat, ab eaque Decretum pro examine testium, vel receptione scripturarum petat; 2º, ut examen testium, et receptio scripturarum fiat citato fiscali pro causis Beatificationum et Canonizationum deputato, aliisque observatis ex praescripto Sac. Congregationis Rituum servandis.

182.

Roma, 5. VII. 1631.

Positiva resolutio dubiorum Ep. Vilnensis de celebratione Missarum graecarum in ecclesiis Latinorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 92v-93, nr. 13.

Jul. 5.

Referente eodem Emi.mo Domino Card. S. Sixti responsum Mag. Sac. Palatii ad dubia proposita ab Episcopo Vilnensi latino,¹²¹ videlicet: An Presbiteri ritus graeci Ecclesiae Latinae uniti possint in ecclesiis ritus romani, irrequisito Episcopo, seu eius in spiritualibus Vicario Generali, Missas cum suis solemnitatibus, et cantu celebrare;

2. An Episcopus, seu eius Vicarius licentiam praefatam absque necessitate concedere possit, et debeat.

Visum est: de 1) non licere, de 2) posse, etiam absque necessitate si aliqua spiritualis utilitas probabiliter speretur. Sac. Congregatio illud probavit.

183.

Roma, 5. VII. 1631.

Indulgentiae pro ecclesia Vilnensi Ruthenorum conceduntur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 93, nr. 14.

Jul. 5.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. S. Sixti, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, visitantibus ecclesiam cathedralem Vilnensem Ruthenorum uni-

¹²¹ Episcopus Vilnensis hoc anno erat iam Abrahamus Wojna (1630-1649), qui Eustachio Wołłowicz in sede Episcopali successit (obiit 9.I.1630). Agitur de hoc eodem Suffraganeo Vilnensi, qui litem sat longam (1619-1623) cum Metropolitana Kioviensi, Josepho Velamin Rutskyj, de praecedentia habuit.

torum concedendam esse indulgentiam plenariam in festis Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis B. V. Eodem die Sanctissimus gratiam concessit.

184.

Roma, 5. VII. 1631.

De ablatione clausulae in Bulla coadiutoriae R. Korsak, de vacatione Ecclesiae Haliciensis, Coadiuto vita functo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 93, nr. 15.

Jul. 5.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti instantiam Agentis Metropolitanæ Russiæ, et literas Nuntii Poloniae de Bullis coadiutoriae ipsius Russiæ Metropolitanæ expeditis pro fratre Raphaelo Episcopo Haliciensi, rutheno unito, cum clausula ordinaria, ut decedente Coadiuto vacet Ecclesia Haliciensis, Sac. Congregatio censuit, si Sanct.mo placuerit, delendam esse dictam clausulam a praedictis Bullis, vel novas sine illa esse conficiendas, aut alio modo providendum, ne praedicta Ecclesia Haliciensis per mortem Coadiuti vacet, quia semper unita fuit cum Metropolitana Russiæ, et ex eius pinguioribus redditibus Metropolitanæ pro tempore sustentantur.

Eodem die Sanctissimus D. N. iussit agi cum Rev.mis Datario, et Maraldo, ut provideant iuxta petita, vel per expeditionem in forma, cui prius vel alio modo, sine dispendio Coadiuti, et Coadiutoris iuxta privilegia Ruthenorum unitorum.

185.

Roma, 5. VII. 1631.

Querela R. Korsak de ablatione monasterii ab Episcopo Luceoriensi latino in Volhina, qua de re informatio Nuntii expeditur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 93rv, nr. 16.

Jul. 5.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Sancti Sixti literas Episcopi Haliciensis, in quibus conquerebatur, quod opera Suffrag. latini Luceoriensis fuerit Ruthenis unitis ablatum in Volinia monasterium, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuncio pro informatione.

186.

Roma, 5. VII. 1631.

Declaratio nullitatis testamenti Ep. Volodimiriensis, expetita informatione Nuntii Var-saviensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 93v, nr. 17.

Jul. 5.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti instantiam Metropolitae Russiae, ut testamentum Episcopi Vlodimirensis rutheni uniti¹²² nullum declararet, cum ex monacho Sancti Basilii professo fuerit ad illam Ecclesiam promotus, Sac. Congregatio inclinavit pro nullitate, ob votum paupertatis, quod monachi rutheni emittunt; verum noluit, ut praedictum testamentum declaretur nullum, nisi prius audita Nuntii Poloniae sententia, ad quem iussit scribi pro informatione, et praecipue, ut inquirat, an ex declaratione nullitatis praedicti testamenti possint scandala, vel inconvenientia aliqua exoriri, maxime propter haeredes et legatarios praefati Episcopi Vlodimirensis.

187.

Roma, 29. VII. 1631.

Examinantur difficultates Regis Poloniae contra media Unionis a Meletio Smotryckij adducta, nec non insistitur in observatione Decreti de « non transitu » ad Riturum Latinum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 103v-104, nr. 22.

CONG. 144 - Die 29 Iulii 1631 (f. 98v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Capponii, cui interfuerunt octo Cardinales videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus S. Honuphrii, Caetanus, S. Sixti, Pamphylus, et Ginettus, et R. D.ni Torielli, et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti, quae Rex Poloniae respondit ad media a Meletio, Archiepiscopo Polocensi rutheno unito, nunc vero Archiepiscopo Hieropolitano, proposita pro Sanctae Unionis Ruthenorum propagatione, Sac. Congregatio, auditis difficultatibus a praefato Rege allegatis, ob quas non est facile eiicere Episcopos, et popos schismaticos ab Episcopatibus et Parochiis, auditaque simul sententia Regis perseverantis in oppugnando Decreto de prohibito transitu Ruthenorum unitorum (f. 104) ad latinum ritum, Sac. Congregatio quoad difficultates circa eiectionem schismaticorum Episcoporum, et poporum nihil rescripsit. Quo vero ad transitum Ruthenorum ad ritum latinum, censuit non esse a Decreto alias facto recedendum, et quia Rex impedivit, et impedit illius publicationem mandavit Nuntio Poloniae scribi, ut cum Provincialibus, praesertim Soc. Jesu, officia aliis Nunciis ordinata pendet, videlicet, ut illi confessarios suarum Religionum admoneant ex parte S. D. N., et S. Congregationis, ut abstineant a reductione Ruthenorum unitorum ad ritum latinum.

¹²² Ep. Volodimirensis tunc temporis erat Joachimus Morochovskij (1613-1631), qui in saeculo vocabatur Helias, et qui simul cum Joanne Josepho Rutsckij Romae studiis in Collegio Graecorum vacavit (usque ad an. 1603). In Patriam reversus, post breve vitae saecularis curriculum, anno 1612 Ordinem Basilianorum ingressus est, et iam anno 1613 nominatus est Episcopus Volodimirensis. Nota Chronicae Collegi Graecorum de Urbe habet de eo: « Elia Morochovio da Leopoli in Ruscia, fu d'indole ottima, studiò Filosofia et Teologia, poi parti dal Collegio, essendo andato alla Patria, dove al presente vive cattolicamente, defendendo la suprema autorità Pontificia, et insegnando i dogmi cattolici. E' stato in Collegio otto anni. Fu fatto Vescovo di Volodomira. Morto » (fol. 33rv). Hucusque in Coll. Graeco eius effigies depicta conservatur.

188.

Roma, 26. VIII. 1631.

Relatio litterarum Nuntii de annatibus pro sustentatione Agentium Metropolitae, nec non de occupatione bonorum ecclesiasticorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 115v-116, nr. 29.

CONG. 145 - Die 26 Augusti 1631 (f. 108)

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Capponii, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet ipsemet Capponius, Ubaldinus, Bentivolus, Sancti Honuprii, Caetanus, S. Sixti, Pamphylus, Barberinus, et Ginettus, et Rev.mi Domini Raymundus, et Torielli.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Sancti Sixti literas (f. 116) Nuntii Poloniae, continentis responsum ad negotia bonorum ecclesiasticorum Ruthenorum unitorum quae usurpantur a saecularibus et annatarum super Episcopatibus ruthenis vacantibus, seu contributionum faciendarum ab Episcopis ruthenis pro sustentandis Agentibus Ruthenorum praefatorum in Curia Romana et regis Poloniae, Sac. Congregatio nihil rescripsit. Quo vero ad 2dum, expectare oportet quid ulterius egerit Nuntius.

189.

Roma, 9. IX. 1631.

De translatione librorum Vilna in Seminarium noviter erectum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 120rv, nr. 6.

CONG. 146 - Die 9 Sept. 1631 (f. 118v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Bentivolus, S. Honuprii, Caetanus, S. Sixti, Pamphylus, Barberinus, et Ginettus, et RR. DD. Raymundus, Torielli, et Assessor S. Offitii.

Referente Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti literas Nuntii Poloniae de libris Ruthenorum relictis scholae Wilnensi eorumdem Ruthenorum, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, Metropolitae Russiae concedendam esse facultatem libros Sanctorum Patrum in ruthenicam linguam translatos apud dictam scholam Wilnensem existentes transferendi ad Seminarium, cum ab eo, ac Episcopis ruthenis (f. 120v) in Russia fuerit erectum, non obstante etc. Eodem die etc.

190.

Roma, 11. XI. 1631.

Res Ruthenorum Nuntio protegendae in Regni Comitibus et alias commendantur, ad normam adnotationum P. Alberti, Conventualis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 134, nr. 13.

SMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 212, nota 73, ubi etiam nr. 38, et 42 nostrae collectionis.

CONG. 147 - Die 11 Nov. 1631 (f. 129).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Ubaldini, cui interfue-

runt tres tantum Cardinales, videlicet ipsemet Ubaldinus, Sancti Sixti, et Pamphylus, et R. mus Assessor S. Offitii.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. S. Sixti literas Nuncii Poloniae cum responsionibus Regis ad media proposita a Fratре Alberto, Polono, Min. Convent., pro reducendis Ruthenis schismaticis ad Sanctam cum R. Ecclesia Unionem, Sac. Congregatio diligentias Nuntii commendavit, eique scribi iussit, ut Ruthenorum unitorum defensionem suscipiat in Dietis, et ante illas cum Nobilibus in ea intervenientibus agat ut eorum Ecclesiastici tamquam exempti a contributionibus, vulgo Pobor dictis, liberentur, iuxta dicti Patris Alberti notam, et ubi poterit eorum res, et negocia promoveat, ut Schismatici animadvertentes Sedis Apostolicae ministros pro Ruthenorum causis laborare, ad Sanctam Unionem excitentur.

191.

Roma, 5. XII. 1631.

De Decreto inhibitionis aedificationis aliarum ecclesiarum in pago Zyrovyci.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 154, nr. 14.

CONG. 149 - Die 5 Dec. 1631 (f. 149).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Ubaldinus, Caetanus, Spada, S. Sixti, Pamphylus, Barberinus, et Ginnettus, et R. mi Domini Azzolinus, Raymundus, et Assessor Sancti Offitii.

Referente Emin. mo D. Card. Sancti Sixti Decretum die 24 7bris 1627 coram Sanctissimo editum de inhibitorialibus a Nuncio Poloniae Metropolitanae Russiae concedendis, ne inconsulta Sede Apostolica in pago Zuroviciae eiusque districtu novae domus, sive conventus, aut hospitia per religiosos cuiusvis Instituti, vel Ordinis erigantur, construantur aut aedificentur, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuncio iuxta praedicti Decreti tenorem, addita monitione, ut praefatas literas concedat, si cognoverit id expedire, et non subesse periculum alicuius scandali, aut inconvenientis subsequuturi.

192.

Roma, 5. XII. 1631.

Petitio Ep. Haliciensis, ut possint Rutheni Missam latinam in lingua ruthena celebrare, in S. Congregatione examinatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 154-155, nr. 16.

Dec. 5.

Referente eodem Emin. mo Domino Card Sancti Sixti instantiam Fratris Raphaelis (f. 154v), Episcopi Haliciensis rutheni uniti, ut licentia celebrandi latino ritu cum missali slavonico, nuper impresso, in ecclesia miraculosae imaginis B. Vergin. de Zyrovicia duobus sacerdotibus ruthenis unitis concederetur, ut concurrentes in magno numero ad eam Latinos Sac. Communionem latino ritu reficere possent, S. D. N. ad Congregationem de Missali Illyrico remisit huiusmodi negotium examinandum; fuit tamen a Patribus primo consideratum quod non convenit petitioni Episcopi Haliciensis annuere, ne Schismatici rutheni ab Unione cum S. R. E. avertantur, videntes permitti transitum Ruthenorum unitorum ad latinum ritum.

2. Quod possunt Latini concurrentes ad dictam ecclesiam communicare per Capellanos latinos celebrantes in aliqua Capella eiusdem ecclesiae, et altari latino ritu erecto.

3. Quod casu, quo gratia concedenda videretur, consideretur an Russiae habeant privilegium circa celebrationem Missae in lingua slavona, et ritu latino, nam Joannes Papa id Moravis tantum concessisse videtur.

4. Denique quod eodem casu concessionis gratiae monachi, et sacerdotes, quibus petita licentia concederetur, non amplius (f. 155) celebrarent ritu graeco.

193.

Roma, 5. XII. 1631.

De recommendatione D. Nicolai Ruskowski Regi Poloniae, ut pro eius benevolentia erga Rithum Ruthenum a Rege aliquo beneficio donaretur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 155, nr. 17.

Dec. 5.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. Sancti Sixti instantiam Episcopi Haliciensis, Rutheni uniti, pro literis ad Nuntium Poloniae ad favorem D. Nicolai Ruscoski, Nobilis poloni, qui plurimum Ruthenis unitis favet, in quibus illi commendetur dictus D. Nicolaus, ut adveniente vacatione alicuius beneficii de Jurepat. Regio ipsius D. Nicolai meritis respondentis, illum ab eius Maestate de eo procurari curet, Sac. Congregatio petitioni Oratoris annuit.

194.

Roma, 5. XII. 1631.

Instantia et responsum S. Congregationis in negotio Beatificationis Archiep. Polocensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 155, nr. 18.

Dec. 5.

Referente eodem Emin. mo D. Card. Sancti Sixti literas F. Raphaelis, Episcopi Haliciensis, Rutheni uniti, in quibus sollicitabat Beatificationem servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, Rutheni pariter uniti, ob defensionem prioratus S. R. E. a Schismaticis interfecti, S. D. N. ad inveniendum modum, quo ad praedictam Beatificationem deveniri possit, non obstante defectu iurisdictionis Protonotario Sac. Congregationis de Propaganda Fide opposito, deputavit Eminentissimos Dominos Caetanum, Pamphylum et Ginettum, ac R. mos Dominos Tigrinum, Datarium, Maraldum, etiam Cerrum.

195.

Roma, 5. XII. 1631.

Instantiae Ep. Haliciensis in negotio administrationis ecclesiae Volodimiriensis, erigend Seminarium, et Brevis de matrimoniis clandestinis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 155rv, nr. 19.

Dec. 5.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti instantiam Fr. Raphaelis, Episcopi Haliciensis, Rutheni uniti, ut administratio Ecclesiae Vlodomirensis, quam obtinuit Metropolita Russiae a Rege, illi per aliquot annos confirmaretur, quia cum redditibus illius perficeret duo monasteria monachorum, item eriget Seminarium Ruthenorum, et Hospitium Romae fundabit, Sac. Congregatio remisit huiusmodi negotium ad Congregationem de Matrimoniis Clandestinis Ruthenorum. Inclinabat Sanctitas Sua ad gratiam, ita tamen, ut Breve Nuncio Poloniae mitteretur cum admonitione, ut illud Metropolitae traderet, si communicato cum Rege negotio nullam fieri ab eo videret oppositionem, et in dicto Brevi expediendo caute provederetur, ne administratio a Rege Metropolitae concessa per Sedem Apostolicam videretur approbari.

196.

Roma, 10 . XII . 1631.

Congregatio particularis in causa beatificationis Servi Dei Josaphat et sanationis Processus super eius vita et morte.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 161-162, nr. 34 (e CONG. 149).

Die 10 Decembris 1631.

Fuit Congregatio particularis in causa Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, Rutheni uniti, in Palatio Emin.mi D. Card. Caetani, cui interfuerunt idemmet D. Card. Caetanus, et Card. Pamphilius, et Ginettus, R.mi Domini Tigrinius, Episcopus Assisii, Maraldus, et Cerrus; R.mus Datarius, qui etiam fuerat intimatus, ob impedimentum non potuit interesse.

In ea recitatis a R.mo Tigrino, uti Secretario Sac. Congregationis Rituum, libello supplici a Procuratore dictae causae S.mo D. N. porrecto, in quo petebatur sanari defectum iurisdictionis, qui R.mo Domino Laurentio Corsio, Protonotario Sac. Congregationis de Prop. Fide processus (f. 161v) in praedicta causa compilatori ab Auditoribus Rotae obiciebatur, et simul commissione dicti defectus sanatoria eidem S.mo D. N. data, et tandem Brevi expedito pro R.mo D. Petro Sanesio, eiusdem Sac. Congregationis primo Protonotario, una cum Decreto in praecedenti Congregatione de Prop. Fide a Sanctitate Sua in praefata causa edito, post longam disputationem, quia nonnulli ex Patribus stante declaratione intentionis Sanctitatis Suae in adscribendo Protonotario Apostolico, in dicta Sac. Congregatione de Prop. Fide, existimabant processum praedictum non indigere sanatoria, sed sufficere quod Sanctissimus in alio Brevi praedictam suam intentionem clarius exprimeret, quam in dicto Brevi, expedito pro R.mo Pietro Sanesio exprimitur. Alii vero dicebant dictum processum esse omnino nullum ex defectu iurisdictionis, sanatoriamque petitam nullo modo esse concedendam.

1. Quia huiusmodi sanatoria non datur, ubi de periculo animarum agitur. 2. Quia materia Canonizationis Sanctorum est gravissima, et Sanctitas Sua in ea de recenti tot, tantasque diligentias fieri iussit, etiam quoad causas pendentes. 3. Quia Breve Protonotarii videtur personale, scilicet pro solo R.mo Sanesio. (f. 162) 4. Quia processus praedictus sine spirituali S. D. N. commissione factus, videtur sine scientia Sedis Apostolicae compilatus. 5. Quia non expedit factum Protonotarii Corsii habere ratum propter exemplum, quod silicet in re gravissima inicitur S.mus simplicis Pro-

tonotarii fidei et auctoritati. 6. Denique, quia per repetitionem testium Nuncio Poloniae, aut alteri Episcopo in Russia committendam potest canonice provideri.

Tandem convenerunt omnes, ut R.mus Cerrus statum huiusmodi negotii cum difficultatibus praedictis referret S. D. N., ac Sanctitati Suae proponeret medium repetitionis testium examinatorum per praefatum R.mum Corsium, vel aliorum qui in primo processu fuerunt in Russia examinati, et, ne dictus Agens gravetur novis expensis, posse Sac. Congregationem de Prop. Fide scuta 100 illi decernere in expeditione novi processus, ac copiis, summarisque illius impendenda.

Die 13 Xbris 1631.

R.mus Dominus Tigrinus, supradictus, retulit S. D. N. sententiam huius particularis Congregationis approbasse, et mandasse, ut interim sex scuta menstrua solvantur dicto Agenti.

197.

Roma, 23 . XII . 1631.

De prorogatione temporis iubilaei penes ecclesiam Zyrovicensem acquirendi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 169, nr. 20.

CONG. 150 — Die 23 Dec. 1631 (f. 162v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Ubaldini, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet ipsemet Ubaldinus, S. Honuphrii, Spada, Pamphilius, et Ginettus, et R.mi Domini Azzolinus, Raymundus, et Victricius.

Instante Agente Metropolitae Russiae pro prorogatione temporis ad iubilaeum universale hoc anno publicatum consequendum, ut in Sancta Maria de Zyrovicia possit a Ruthenis facilius consequi, Sac. Congregatio, ad relationem R.mi Domini Raymundi, iussit adiri R.mum Maraldum, qui a S.mo hanc gratiam exquirat.

198.

Roma, 23 . XII . 1631.

De iniusta petitione Marescalli Ducatus Lithuaniae quoad bona monasterii Pecerenensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 7, fol. 171rv, nr. 31.

Dec. 23.

Instante Agente Metropolitae Russiae pro « nihil transeat » super confirmatione, quam petit Marescallus Ducatus Lithuaniae expediri super assignatione quorundam bonorum monasterii Pecerenensis in Russia, quam ipse Marescallus fecit Augustinianis, attento quod monasterium praedictum ad Ruthenos pertinet, et simul petente, ut per Nuntium Poloniae D. Marescallus moneretur ad restituenda dicta bona Ruthenis, Sac. Congregatio (f. 171v), ad relationem eiusdem R.mi D. ni Assessoris, utrique petitioni annuit, et « nihil transeat » iussit dari R.mis Datario, et Maraldo.

199.

Roma, 26 . I . 1632.

Ut Episcopis Ruthenis unitis permittatur conficere testamenta.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 5, nr. 10.

CONG. 151 — Die 26 Ianuarii 1632 (f. 2v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Card. Ubaldini, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet ipsemet Ubaldinus, Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, S. Sixti, Pamphilius, et Ginettus, et R.mi Domini Azzolinus, Torniellus, et Assessor Sancti Offitii.

Idem Emin.mus Dominus Card. Sancti Sixti ex literis Nuntii Poloniae retulit non expedire, ut Episcopis unitis prohibeatur activa testamenti factio, quia eorum propinqui facile desererent Unionem, et ad Schisma reverterentur.

200.

Roma, 13 . II . 1632.

Confirmantur Decreta congregationum particularium de data 7 . IX . 1631, et 26 . I . 1632 de matrimoniis clandestinis Ruthenorum et de « non transitu » ad Riturum Latinum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 17-18v, nr. 1.

CONG. 153 — Die 13 Februarii 1632 (f. 17).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, Spada, Pamphilius, Barberinus, et Ginettus, et R.mi Domini Raymundus, et Assessor Sancti Offitii.

Referente Emin.mo Domino Card. Ubaldino Decretum particularis congregationis circa matrimonia clandestina Ruthenorum unitorum, editum die 5 7bris, et probatum in Congregatione Generali die 26 Ianuarii 1632, S.mus D. N. illud confirmavit, et Nuntium Poloniae iuxta (17v) illius tenorem instrui mandavit, ad eumque simul cum duobus Brevibus expediendis Decretum de prohibito transitu Ruthenorum unitorum ad ritum latinum in authenticam formam redactum transmitti, ut per illud Metropolitana, caeterique Rutheni uniti affectum Sac. Congregationis erga eorum ritum intelligere, ac cognoscere valeat. Decretum autem, de quo supra fit mentio, est quod sequitur.

Die 5 . 7bris 1631, et die 26 Ianuarii 1632.

Fuit Congr. particularis super matrimoniis clandestinis Ruthenorum unitorum in Palatio Eminentissimi Domini Ubaldini, cui interfuerunt quatuor Cardd., videlicet ipsemet Ubaldinus, Sancti Sixti, Pamphilius, et Ginettus, et R.mus Dominus Paulutius.

In ea, relatis literis Episcopi Haliciensis, Rutheni uniti, ac Metropolitanae Russiae responsivis ad literas Sac. Congregationis de Prop. Fide in materia praefatorum matrimoniorum, ad eundem Metropolitanam, Nunciumque Apostolicum datas, Emin.mi Patres:

1. Censuerunt insistendum esse, ut Breve illud, in quo fit mentio Sac. Conc.

Trid. in singulis Parochiis publicetur, iuxta formam a praefato Concilio traditam, et si id obtineri non poterit, aliud (f. 18) Breve, in quo Conc. praefati mentio omittitur eodem modo publicetur.

2. Censuerunt praeceptum in virtute Sanctae Obedientiae, quod in utroque Brevis ultra praescriptum Trid. Conc., et Decretorum Sac. Congregationum Conc., et de Prop. Fide positum fuit, ab eisdem Brevibus expungi posse, cum sufficiat poena nullitatis in eisdem Brevibus inserta.

3. Circa Parochos dixerunt nihil esse in Brevibus praefatis immutandum, licet ab antiquo matrimonia per monachos, et non per Popos, seu Parochos seculares apud Ruthenos celebrari consueverint, ob duas rationes, 1) quia Episcopi rutheni in Synodalibus suis Constitutionibus de hac materia editis nullam faciunt mentionem monachorum sed tantum Parochorum; 2) quia praefati Episcopi petunt, quod illis in eisdem Brevibus conceditur per clausulam: de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, potestas in vigore illius certos monachos ad matrimonia celebranda deputare, ea tamen cautela adhibita, ne deputatio privative fiat quoad Popos, seu Parochos saeculares.

4. Episcopis praedictis declaranda esse quae sint de substantia matrimonii, et iuxta Conc. Trid. diffinitionem annullent eius contractus, quia in praedictis suis Constitutionibus nullitatis poenam ad casus, in quibus non est imposita, estenderunt.

(f. 18v) 5. Eisdem Episcopos monendos esse de infrascriptis: 1) non sufficere Brevis publicationem in Concilio Provinciali Dioecesisque Synodis, sed omnino requiri, ut in singulis Parochiis Breve ipsum publicetur iuxta Trid. Conc. praescriptum; 2) ut per monachos ad matrimonia celebranda deputatos confici curent scripturas authenticas cum nominibus testium, qui matrimonio interfuerint, in Archivis monasteriorum, et cathedralium ad matrimoniorum probationem conservandas.

6. Jusserunt Patres, ut ad D. Nuncium Poloniae transmittantur copiae informationis circa matrimonia clandestina Ruthenorum unitorum et responsionis Episcopi Haliciensis, quae fuerunt missae per manus cum peculiari instructione de iis, quae in hac Congregatione fuerunt resoluta, ut iuxta mentem ipsius Congregationis de Brevium praedictorum emendatorum publicatione cum eodem Episcopo Haliciensi agere valeat.

7. Et postremo, gratissimum fuit, quod in fine literarum praedicti Episcopi Haliciensis continebatur, videlicet, nulla fuisse vigore praedictarum Constitutionum Synodalium irritata matrimonia clandestina, et consequenter maximam, quae habebatur in hoc negotio difficultatem evanescere, ac omnino cessare.

201.

Roma, 13 . II . 1632.

Congregatio particularis examinat petitionem Ep. Haliciensis de administratione Ecclesiae Volodimiriensis Metropolitanae Kioviensi per aliquot annos concedenda.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 19-21v, nr. 3.

Febr. 13.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Ubaldino Decreta particularis congregationis, habitae die 22 Ianuarii proximi praeteriti, circa instantiam Episcopi Haliciensis pro administratione Ecclesiae Vlodomirensis Ruthenorum unitorum Metropolitanae Russiae concedenda, S.mus illa confirmavit (f. 19v) et approbavit et circa modum expediendi huiusmodi gratiam Congr. 1. censuit narrandam esse concessionem administrationis praefatae eidem Metropolitanae a Rege factam, addita clausula:

sicut asseritur, et clausula: de praedictis certiorati per Nuncium nostrum animadvertentes concessionem huiusmodi Ruthenorum Unioni, eius propagationi fore utilem, et proficuum motu proprio etc.; 2. Agendum esse hac de re cum R. mis Datario, et Maraldo, ut rectius, et iuxta stylum Curiae expeditio fieri possit. 3. Mittendum esse Nuncio Poloniae Breve administrationis cum copia Decretorum praedictae congregationis particularis, ut facilius cum Rege de huiusmodi negotio agere valeat, curaque, ut huiusmodi concessionem acquiescat. Decreta autem particularis Congregationis, de quibus supra fit mentio sunt quae sequuntur.

Fuit Congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Palatio Emin. mi Domini Card. Ubaldini, cui interfuerunt tres Cardinales, videlicet, ipsemet Ubaldinus, Sancti Sixti, et Pamphilius, et R. mi Domini Maraldus, et Paulutius.

In ea: 1. proposita instantia Episcopi Haliciensis, Rutheni uniti, pro administratione Ecclesiae Vlodomirensis eorumdem Ruthenorum, Metropolitanae Russiae per aliquot annos concedenda, ut cum illius redditibus (f. 20) Seminarium Ruthenorum in Russia erigi, Hospitium pro Ruthenis unitis Romae construi, et quo monasteria monachorum ab eodem Metropolita inchoata perfici possint, Congregatio diviso huiusmodi negotio in duos articulos, an scilicet petita administratio praefato Metropolitanae sit concedenda et quomodo sit concedenda, circa primum censuit, si S. mo placuerit, administrationem petitam praefato Metropolitanae ad quinquennium concedi posse; 1. ob tres supra recensitas rationes, videlicet, erectionis Seminarii, constructionis Hospitii in Urbe, et perfectionis inchoatorum monasterium; 2. ob tenuitatem reddituum Kioviensis metropolis, propter quam praefati Metropolita et Episcopus Haliciensis, eius Coadiutor, cum difficultate possunt decenter sustentari; 3. denique ne in huiusmodi administrationibus concedendis solus Rex Poloniae sine Apost. Sedis auctoritate se ingerat, prout alias de hac eadem Ecclesia cum Metropolita Hippatio fecit, et nunc cum moderno Metropolita. Nec huic gratiae opponi potest, quod Vlodomirensis Ecclesia, proprio Pastore per quinquennium caritura, non mediocri in spiritualibus, et temporalibus patietur detrimentum, quia imprimis utilitas totius Ecclesiae Ruthenae ob praefatum Seminarium et alia, de quibus supra, praeponderant particulari utilitati praefatae Ecclesiae Vlodomirensis. Deinde (f. 20v) haec eadem Ecclesia ex eodem Seminario erigendo non modicum recipiet commodum. Denique Metropolita Russiae, qui Chioviae residere non potest ob Cosachos Schismaticos in Vlodomirensi Ecclesia manens, illi proficiet magis, quam proprius Episcopus, cum inter Ruthenos ecclesiasticos non sit facile reperire virum Metropolitanae similem in doctrina, moribus rerumque ecclesiasticarum peritia; et Metropolitana Ecclesia ob ipsius Metropolitanae absentiam non patietur detrimentum, quia Episcopus Haliciensis, Coadiutor, sufficientissime vices Metropolitanae supplere poterit. Nec pariter officit huiusmodi concessionis exemplum, quo via plures simul retinendi Episcopatus Metropolitanis aperiri videtur, tum quia, ut supra dictum est, huiusmodi administrationes alias Rex concessit, et non expedit, ut sola ipsius auctoritate concedantur, tum quia huiusmodi concessit ad tempus limitatum, et cum causis supra memoratis excludet Metropolitanos a perpetuis administrationibus et a temporalibus, si praefatae causae deficiant, quas optimum erit praefato Coadiutori notificare, ut si huiusmodi administrationem post Metropolitanae mortem petere voluerit, ab ea excludi facilius possit, si expedire videbitur. Non obstat (f. 21) denique quod huiusmodi exemplo Rex Poloniae Episcopatum latinorum administrationem Latinis concedere aut pro illis petere tentabit; primo, quia in illis huiusmodi causae non vigeant; 2. cum Episcopi latini sint senatores in Polonia non expedit Regi, ut votorum, quae Ecclesiastici in publicis habent Comitibus, numerum minuatur.

2. Circa articulum 2um: quando administratio sit concedenda, Congregatio 1^o dixit: in Brevi expediendo causas praefatas particulares non esse exprimendas, sed generaliter administrationem praefatam a Sanctitate Sua moderno Metropolitanae concedendam esse ad quinquennium, pro utilitate Ecclesiae Vlodomirensis, et pro bono Unionis Ruthenorum, illiusque propagationis necessitatibus; 2^o, expediendam esse huiusmodi administrationem eodem modo, quo expeditur a Curia Romana Archiepiscopatus Chioviensis, salvis iuribus Sedis Apostolicae, ac Regis Poloniae, si quae ille habet, pro quorum iurium cognitione videndae erunt Constitutio Clem. VIII super Unione Ruthenorum, provisio Metropolitanae moderni, et Coadiutoria pro Episcopo Haliciensi expedita et denique literae Regiae, quae ad Metropolitanum dantur in provisione Episcopatum Ruthenorum unitorum.

5. Referente Emin. mo Domino Card. Ubaldino Decreta particularis Congregationis (f. 21v) habitae super matrimoniis clandestinis Ruthenorum unitorum die 3. 7bris 1631, Congregatio mandavit ex eis deleri versiculum 3um quinti Decreti, et Decretum 7um, reliqua vero abbreviari, ut facilius possint in Congregatione coram S. mo habenda referri.

Fuit emendata Cong. partic., ut supra n. 1^o.

202.

Roma, 13 . II . 1632.

Breve commendatitium ad novum Episcopum Vilmensem, ut Ecclesiam Unitam protegat.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 27, nr. 21.

Febr. 13.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. S. Sixti, Sac. Congregatio censuit, si S. mo placuerit, scribendum esse Breve novo Episcopo Vilmensi,¹²³ in quo ei comendantur res, et negotia Ruthenorum unitorum, et praesertim Metropolitanae Russiae, eiusque Episcoporum et Praelatorum, ac Monachorum, eundem hortando, ut illos ubi et quando poterit iuvet, Unionemque eorum protegat, ac propagari curet. Eodem die etc.

203.

Roma, 13 . II . 1632.

De annatis Episcopatum et de « nihil transeat » in materia bonorum Smolenscensium in favorem PP. Soc. Jesu.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 27, nr. 22.

Febr. 13.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. Sancti Sixti quosdam articulos ex literis Metropolitanae Russiae, ad eius Agentem datis, Sac. Congregatio: 1. mandavit scribi Nuncio Poloniae ut officia pro annatis Episcopatum Ruthenorum unitorum obtinendis cum Rege prosequatur.

¹²³ Episcopus Vilmensis erat Abrahamus Wojna; cfr. supra notas 16, 58.

2. Iussit dari nihil transeat R. mis Datario, et Maraldo ad impediendam, inaudito Metropolitae Agente, confirmationem applicationis bonorum Ruthenorum unitorum Smolenscensium, factae a Rege Patribus Soc. Jesu in Ducatu Severiae.

204.

Roma, 13 . II . 1632.

Petitur informatio de mala administratione Eccl. Peremysliensis et de possibilitate Coadiutoriae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 27, nr. 23.

Febr. 13.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. S. Sixti pessimum Ecclesiae Premisliensis Ruthenorum unitorum statum, ob ignaviam, malamque moderni (f. 27v) Episcopi rutheni uniti administrationem, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuncio Poloniae, ut super narratis in memoriali, dato a Canonico latino Premisliensi, informationes assumat, et si ea vera esse comperit, cum Rege agat de Coadiutore, vel simplici vel cum futura successione praefato Episcopo assignando, et de singulis suo tempore rescribat.¹²⁴

205.

Roma, 3 . IV . 1632.

Instantia Metropolitae Kioviensis de bonis non Unitorum a Saecularibus occupatis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 55, nr. 18.

CONG. 156. — Die 3 Aprilis 1632 (f. 50v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, Spada, S. Sixti, Pamphylus, Barberinus, et Ginettus, et R. mi Domini Raymundus, Torniellus, et Assessor Sancti Offitii.

Referente Emin. Domino Card. Sancti Sixti literas Metropolitae Russiae de Magnatibus catholicis, qui retinent, vel occupant bona ecclesiastica Schismaticorum, nec ea Unitis reddere volunt, solo illo praetextu, quod cum fuerint Schismaticorum ad Unitos non pertinent, Sac. Congregatio iussit scribi Nuncio Poloniae pro informatione, et ut sententiam suam significet.

206.

Roma, 3 . IV . 1632.

De applicatione villae Torokanensis ad Seminarium in Russia erigendum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 55, nr. 19.

¹²⁴ Episcopus Peremysliensis hoc anno 1632 erat adhuc Athanasius Krupeckij (1610-1652), qui multa perpeti debuit ab Episcopo Peremysliensi schismatico. Non est mirum si plurimos habuit inimicos, et numerosiores qui eum calumniabant.

Apr. 3.

Referente eodem Eminen. mo Domino Card. Sancti Sixti literas Metropolitae Russiae de applicatione villae Turocani,¹²⁵ spectantem ad Archimandritam Zidicensem,¹²⁶ ad Collegium in Russia erigendum (f. 55v), S. mus D. N. mandavit huiusmodi negotium examinari per R. mos Dominos Datarium, Maraldum, Paulutium, et Torniellum.

207.

Roma, 3 . IV . 1632.

Relatio Metropolitae Kioviensis de morte Episcopi Valachorum Montis Feletrii.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 55v, nr. 20.

Apr. 3.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. Sancti Sixti literas Metropolitae Russiae de morte Episcopi Vallachorum, seu Uscocorum montis Feletrii, Sac. Congregatio mandavit informationes assumi a R. mo Tonco, Episcopo Bosnensi, de obitu dicti Episcopi, et de persona idonea in eius locum substituenda.

208.

Roma, 3 . IV . 1632.

Examinatur transactio Metropolitae de administratione Ecclesiae Volodimiriensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 55v, nr. 21.

Apr. 3.

Referente eodem Emin. mo Domino Cardinali Sancti Sixti literas Metropolitae Russiae et transactionem ab eo factam cum Archimandrita Zidicensi super administratione Ecclesiae Vlodomiriensis pro se ad triennium, ac pensione 600 florenorum pro eius Coadiutore, cuius confirmationem dictus Metropolitae petebat, Sac. Congregatio iussit negotium huiusmodi examinari in congregatione particulari de matrimoniis clandestinis Ruthenorum unitorum.

209.

Roma, 3 . IV . 1632.

De commutatione testamenti Theodori, Magistri Volodimiriensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 56, nr. 23.

Apr. 3.

Referente eodem Emin. mo D. Card. Sancti Sixti literas Metropolitae Russiae de testamento Theodori, Scholae Vlodomirensis Magistri, eiusque commutatione facta

¹²⁵ Torokanie. Fundum applicatum iam a Metropolitae Hypatio Seminario in Russia a Petro Arcudio erigendo. Saec. XVIII monasterium OSBM.

¹²⁶ Archimandria Zidičinsensis, dioecesis Luceoriensis, in Volhinia, prope civitatem Luck (1 m.). Prima notitia de hoc monasterio habetur iam anno 1227, sub titulo S. Nicolai. Anno 1650 Archimandria a Cosacis occupata est, sed iam anno 1668 iterum Unitis restituta. Anno 1631 Archimandrita erat Josephus Mokosij-Bakoveckij.

a dicto Metropolita de consensu consanguineorum dicti Theodori, quibus, et Ministris dictae ecclesiae Vlodomiriensi legaverat duo millia florenorum, Sac. Congregatio mandavit negotium huiusmodi R.mo Datario comunicari, illiusque sententiam exquiri, Nuncioque Poloniae scribi, ut Metropolitam admoneat ac de consensu, qui a Ministris ecclesiae praedictae exquiri, et obtineri debet, ut facilius a S.mo D. N. commutationis dicti testamenti ab eo factae confirmatio impetrari possit.

210.

Roma, 31 . V . 1632.

Petitio Metropolitanae Kioviensis pro Decreto de testamentis Episcoporum ruthenorum remittitur ad Nuntium Poloniae, ut eam in Synodo Provinciali proponere curet.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 68v-69, nr. 14.

CONG. 158 — Die 31 Maii 1632 (f. 65v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Bentivoli, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet Bentivolus, Caetanus, Spada, S. Sixti, Pamphylius, et Barberinus, et R.mi Domini Azzolinus, et Tornielus.

Referente Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti instantiam Metropolitae Russiae, ut Decretum Sac. Congregationis circa testamenta Episcoporum ruthenorum unitorum in Russia publicaretur, Emin.mi Patres iusserunt Nuntium Poloniae commoneri, ut cum Metropolita agat (f. 69), si possit illud de eorumdem Episcoporum consensu in Synodo proponi, ac probari, quia postea Decreti Synodalis confirmatio a Sanctissimo D. N. peti poterit.

211.

Roma, 31 . V . 1632.

• *Compositio litis Metropolitae Kioviensis cum Chodkiewicz nec non spes convertendi duos Palatinatus in S. C. refertur.*

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 69, nr. 16.

Maii 31.

Idem Eminentissimus Dominus Cardinalis Sancti Sixti retulit tres literas Nuntii Poloniae et unam Metropolitae Russiae, in quibus significabantur: 1. qualitates Joannis Patriarchae Armenorum, eiusque professio fidei in manibus Archiepiscopi Leopoliensis emissa,¹²⁷ ac iter proxime per eum suscipiendum ad Urbem;

2. Compositio longissimae, et dispendiosae litis, quam Metropolita habebat super monasterio Suprasliensi cum Domino Cotchevicz;¹²⁸

3. Spes conversionis a Schismate ad Catholicam Fidem duorum Palatinatum.

¹²⁷ Archiep. Leopoliensis tunc temporis erat Joannes Próchnicki, ad hanc Sedem a Dioecesi Camenecensi translatus (1607-1614; 1614-1633).

¹²⁸ Monasterium Suprasliense fundatum fuit anno 1509 ab Alexandro Chodkevyc (cfr. *Akty jugo-zapadnoj Rossiji*, vol. I, p. 40-42, nr. 53). Temporibus Metropolitae Rutskyj res agebatur de reformatione eiusdem monasterii et aggregatione ad Congregationem SS.mae Trinitatis. Ob oppositionem Chodkeviciorum remansit tamen extra hanc Congregationem, vel saltem tenui nexu eidem coniungebatur.

212.

Roma, 24 . VII . 1632.

De bonis ecclesiasticis Latinis non concedendis, ad Nuntium Poloniae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 88v, nr. 16.

CONG. 161 — Die 24 Iulii 1632 (f. 84v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bentivolus, Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Sancti Sixti, Barberinus, Ginettus, et Cardinalis Antonius, et R.mi Domini Tornielus, et Raymundus.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti literas Nuntii Poloniae de bonis ecclesiasticis, quae a Ruthenis schismaticis recuperantur, non concedendis Latinis, Sac. Congregatio mandavit eidem Nuntio scribi, ut cum novo Rege, cum creatus fuerit, agat iuxta mentem Eminentissimorum Patrum in aliis literis ei significatam.

213.

Roma, 17 . VIII . 1632.

Relatio de articulis Schismaticorum in damnum Unitorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 96v-97, nr. 19.

CONG. 162 — Die 17 Augusti 1632 (f. 90).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Card. Bentivoli, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet ipsemet Bentivolus, Spada, Sancti Sixti, Pamphylius, et Card. Antonius, et R.mi Domini Raymundus, et Tornielus.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti literas Nuntii Poloniae de articulis datis ab Haereticis, et Schismaticis (f.97) in praeiudicium Catholicae Religionis, et Ruthenorum unitorum cum protestatione, quod non venient ad electionem Regis, nisi eorum petitionibus per Comitia Regni satisfiat, Sac. Congregatio iussit huiusmodi gravissimum negotium iterum referre coram S.mo. Inclinabat tamen, ut mitterentur ad Nuntium omnes scripturae, quae probant haereses Cyrilli Patriarchae Constantinopolitani, quia Nuntius praedictus in eisdem literis significabat Censuram R.mi Cariophyli in professionem fidei eiusdem Cyrilli, et literas Secretarii de eisdem haeresibus valde commovisse Schismaticos; ita ut dissidia inter eos exorta saltem mitigent urgentiam eorum circa articulorum praedictorum resolutionem.

214.

Roma, 28 . VIII . 1632.

Congregatio particularis examinat articulos Schismaticorum in damnum Unitorum et instructionem Nuntio in cifra transmittere iubet.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 98v-100.

Die 28 Augusti 1632.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Palatio Emin.mi Domini Card. Sancti Sixti, cui interfuerunt cum Eminentia Sua DD. Cardinales Pamphylius et Ginettus, et R.mus Boccabella, Assessor Sancti Offitii.

In ea: 1. recitatis literis Nuntii Poloniae, et articulis ad favorem Schismaticorum a Principe Vladislao nunc Rege Svetiae nuncupato, et a Metropolita Chioviensi unito subscriptis, Congregatio censuit praefatos articulos a S.mo D. N. irritos et nullos, nulliusque roboris, et momenti per suum Decretum vel Breve sub data huius diei declarandos esse cum omnibus (f. 99) inde secutis, et forsitan secuturis, non obstantibus quocumque assensu, et subscriptione, etiam iuramento firmatis, vel in futurum firmandis a quocumque etiam si Regia, vel Pontificali praefulgeat dignitate, cum clausula: si quid sive scienter, sive ignoranter in contrarium fuerit attentatum, cum manifeste sint in praedictum Catholicam Religionis, et Ecclesiarum Catholicarum, et personarum ecclesiasticarum unitarum et ad favorem Schismatis, et contra Canones Sac. Conciliorum et Decreta Pontificum.

2. Pro nunc respondendum esse Nuncio Poloniae iuxta formam infrascriptae minutae per cifram transcribendae, et ab Eminentissimo Domino Card. Barberino sub-signandae.

Littera a Mons. Nuntio di Polonia in Cifra.

Ho ricevuta la lettera di V. S. di 22 del passato colle scritture de Rutheni uniti, intorno alle quali si faranno le debite considerationi, et a suo tempo ella sarà avvisata di tutto ciò, che bisognerà. Trattando V. S. invigili, e veda di far come da se tutte quelle diligenze, che pareranno alla sua prudenza, acciò non si facciano pregiudicii alla Religione (f.99v) Cattolica, et all'Unione de sudetti Rutheni, e quando pure da gl'Eretici, e Scismatici colla loro violenza si procurino, e faccino ella non consenta in alcun modo anzi con destra maniera espressamente gl'impugni, e dissenta, e seguita che sarà l'elezione del nuovo Re, farà ogni possibile diligenza, e cogl'uffici proprii, e con quelle di persone, che colla loro pietà, et autorità potranno agiutarla, acciò la Maestà Sua non confermi in modo alcuno articoli contro la Religione Cattolica, e l'Unione sovradetta, o almeno impedisca, o differisca per quanto potrà l'esecutione di essi, ponendo in consideratione a Sua Maestà quanto il Re Sigismundo III di gloriosa memoria habbia operato in servizio della medesima Religione, et Unione, il qual si com'era in tant'altre virtù imitabile, così in questa della pietà più particolarmente deve esser seguitato, soggiogendo ella quel più, che alla stessa sua prudenza parerà efficace, et opportuno.

Nella sovradetta maniera è paruto a Signori Cardinali potersi scrivere al Nuntio, quando egli intervenga all'elezione (f. 100) del Re; quando poi non v'intervenisse stiano doversi scriverli che faccia le sovradette diligenze, e dichiarazioni colla Maestà Sua e coll'Arcivescovo di Gnesna, et con altri, che egli stimerà di proposito.

215.

Roma, 9 . IX . 1632.

Congregatio particularis de transactione inter Metropolitam Kioviensem et Archimandritam Zydcynensem de administratione Ecclesiae Volodimiriensis, nec non de applicatione bonorum Torokanensium novo Seminario erigendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 108-110.

Die 9 Septembris 1632.

Fuit congregatio particularis in Palatio Emin.mi Domini Cardinalis Sancti Sixti super duobus negotiis Ruthenorum unitorum, cui interfuerunt cum Eminentia Sua D. Card. Pamphilius, et Rev.mi Domini Datarius, Maraldus, et Paulutius.

(f.109) In ea: 1. proposito negotio transactionis in ita Varsaviae die 30 Januarii 1632 a Metropolita Russiae cum D. Josepho Archimandrita Zidicenensi, in qua, salvo Sanctae Sedis Apost. beneplacito, convenerunt, ut administratio Episcopatus Vlodomiriensis Ruthenorum unitorum vacantis per obitum Patris Joachimi, illius ultimi possessoris, paenes praefatum Metropolitam iuxta privilegium Regium, ut dicitur, maneret per triennium eoque finito iuxta Regiam, ut asseritur, praesentationem dictus Josephus Archimandrita Episcopus Vlodomiriensis consecraretur, ac Episcopatus possessionem caperet, et vita sua durante pensionem annuam 600 florenorum polonorum Patri Raphaeli, Episcopo Haliciensi, eiusdem Metropolitae cum futura successione Coadiutori, persolveret, et cum quibusdam aliis pactis circa certa bona eiusdem Episcopatus, et Archimandritiae locata, et locanda, sicut, et prout latius constat ex praefata transactione rogata dicta die per Alexandrum Barnabeum Notarium, et Cancellarium R.mi Archiepiscopi Larissenii,¹²⁹ Nuntii pro S. D. N., et Sancta Sede Apostolica in Polonia, et ab eodem Nuntio legalitate munita, Congregatio censuit, si S.mo placuerit, praedictam transactionem iuxta petitionem (f.109v) praefatorum Metropolitae et Archimandritae esse auctoritate Apostolica confirmandam cum tribus cautelis: 1) Ut non inseratur in Brevis tenor praedictae transactionis, sed solum ponantur summam, quae in ea exprimuntur de administratione triennali, et de pensione solvenda praefato Episcopo Haliciensi, Coadiutori. 2) Ut fiat mentio de consensu Regis Poloniae quoad praedictam administrationem cum clausula solita, ut asseritur. 3) Ut Breve expediatur sub data paulo ante mortem Regis Sigismundi 3i, quae contigit de mense Aprilis die 30, hoc eodem anno 1632, ad eludenda, evitandaque praedicta, quae circa dictam Archimandritiam Zidicensem Rutheni schismatici Ruthenis unitis intulerunt in Interregno eiusdem Regis Sigismundi.

2. Proposito negotio de villa Troceni de iuribus et pertinentiis praefatae Archimandritiae Zidicenensis, quae ab Hippatio Metropolita totius Russiae,¹³⁰ moderni Metropolitae antecessore, ante 30 annos destinata fuerat pro dote Collegii Ruthenorum unitorum erigendi, duobus (f.110) postremis Archimandritis¹³¹ scripto consentientibus, eiusque redditus interim applicati fuerunt monasterio Vilnensi monachorum Sancti Basilii, eorumdem Ruthenorum, in quo iuvenes, tam in inferioribus, quam altioribus studiis instruebantur,¹³² Congregatio censuit, si S.mo placuerit, villam praedictam iuxta moderni Metropolitae instantiam esse auctoritate Apostolica applicandam Collegio Minscensi per eundem Metropolitam erigendo, pro instruendis in eo adolescentibus ruthenis et moscovitis, idque previa narratione, quod dicta villa fuerat pro Collegio erigendo destinata a praefato Hippatio et quod duo Archimandritae postremi tempore praedicti Hippatii, eiusdemque moderni Metropolitae scripto consenserunt, et cum cautela, de qua supra, ut data Brevis fiat paulo ante mortem praedicti Regis ob eandem rationem

¹²⁹ Archiepiscopus Larissenus, Nuntius Poloniae, anno 1630-1635 erat Honoratus Visconti (Vicecomes).

¹³⁰ Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis et Berestensis, (1591-1613), postea (1600-1613) Metropolita Kioviensis totiusque Russiae; auctor principalis et anima Unionis Berestensis an. 1595-1596, et Legatus Hierarchiae Ruthenae Romam, autumno an. 1595, una cum Ep. Luceoriensi Cyrillo Terleckyj.

¹³¹ Archimandritae Zidicenses: 1621-1625. Nicodemus Mokosij-Sybinskyj, qui anno 1625 a Metropolita Rutskyj depositus fuit et Suprasliam se contulit, ubi anno 1645 vita functus est; 1627-1632 - Josephus Mokosij-Bakoveckyj, nominatus hoc anno Episcopus Volodimiriensis.

¹³² Cfr. hac de re dissertationem R. P. ROMANI HOLOWACKYJ, *De Seminario Vilnensi SS. Trinitatis* 1601-1621, Romae 1950.

216.

Roma, 24 . IX . 1632.

Probantur Decreta congregationis particularis de transactione super administratione Volodimiriensi et de applicatione villae Torokanensis Seminario erigendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 126rv, nr. 12.

CONG. 165 - Die 24 Sept. 1632 (f. 122v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bentivolus, S. Honuphrii, Spada, S. Sixti, Pamphylius, Barberinus, Ginettus, et Card. Antonius, et R.mi Domini Raymundus, Tornius, et Boccabella.

Referente Emi.mo Domino Card. S. Sixti Decreta particularis congregationis, habitae circa transactionem initam inter R.mum D. Josephum totius Russiae Metropolitanam, et D. Josephum Archimandritam Zidicinensem, super Episcopatus Vlodomiriensis administratione et pensione super eodem imponenda ad favorem Episcopi Haliciensis, et circa villam Turrocani de iuribus Archimandritiae Zidicinensis pro Collegio Ruthenorum erigendo destinata, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, Decreta praefata esse confirmanda, et Brevia (f. 126v) necessaria super illis esse expedienda, cum cautelis, de quibus in dictis Decretis habetur. Eodem die S.mus D. N. sententiam S. C. probavit.

217.

Roma, 16 . XI . 1632.

Sollicitatur Beatificatio Servi Dei Josaphat apud Auditores Rotae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 140, nr. 9.

CONG. 167 - Die 16 Nov. 1632 (f. 138).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Card. Bentivoli, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet ipsemet Bentivolus, Spada, Sancti Sixti, Pamphylius, et Cardinalis Antonius, et R.mus D. Boccabella.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Sancti Sixti instantiam Agentis Metropolitanae Russiae, ut in nomine Sac. Congregationis apud Auditores Rotae sollicitaretur negotium Beatificationis piae mem. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis rutheni uniti, Eminentissimi Patres Oratoris petitioni annuerunt iusseruntque Secretario, ut huiusmodi negotium eisdem Auditoribus serio suo nomine commendet.

218.

Roma, 18 . XII . 1632.

Congregatio particularis examinat articulos Schismaticorum in Comitibus Regni Poloniae in damnum Unionis praesentatos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 154v-156v.

Die 18 Decembris 1632.

Fuit congregatio particularis de mandato Sanctissimi super negotiis Haereticorum, et Schismaticorum Poloniae in Palatio Emin.mi Domini Card. Sancti Sixti, cui

interfuerunt cum Eminentia Sua Domini Cardinales Pamphylius, et Ginettus, et R.mi Oregius, et Boccabella.

(f. 155) In ea 1.: Recitatis duabus scripturis articulorum, a Schismaticis ruthenis exhibitorum Ruthenis unitis, altera capita decem continente, a Rege Svetiae tantum subscripta, altera vero, capitum 15, a Ruthenis unitis per Schismaticorum potentiam, et violentiam acceptata, Congregatio post singulorum articulorum peculiare examen, et maturam super eis habitam deliberationem, in primis censuit illos esse partim contra Catholicam Religionem Schismaticam, ac Haeresi faventes, partim contra libertatem, et immunitatem ecclesiasticam, et partim contra privilegia ecclesiarum, et praesertim contra illa, quae Sygismundus 3, g. m., per viam legis, et mandatorum Ecclesiasticis, et Saecularibus personis catholicis, eorumque ecclesiis concessit, et ut tales damnandos esse, ac cassandos, et annullandos, non obstante iuramento, si quod super eorum observatione praestitum fuerit a Praelatis ruthenis unitis, ac ab aliis de corpore Unionis.

Deinde censuit per instructionem admonendum esse Nuntium Poloniae, ut illos aboleri, et de Capitularibus, seu actis Dietae, seu Comitiorum, si fieri poterit, tolli vel deleri, aut (f. 155v) eorum executionem impediri, seu suspendi, vel denique differri omnibus modis curet, tam per se, quam per alios Catholicos, sive ecclesiasticos, sive saeculares, quos hac in re ipsius conatus iuvare, ac ad finem debitum perducere posse cognoverit.

Item novum Regem Poloniae commonendum esse censuit, rationibus, et exemplis Sygismundi, eius Patris, adhibitis, tam per Breve, quam per Nuntium de articulorum praedictorum qualitate, ac de pessimis eorum consequentiis, tam contra politicum Regni statum, si executioni demandentur, et de infirmitate, ac invaliditate rationum, et exemplorum, quae Rex praedictus in contrarium adduxit, et demum censuit, perquirendum esse in Biblioteca Vaticana, vel in Registris praecessorum Pontificum, an extant aliqua scripturae circa motus Schismaticorum, et Haereticorum, si qui fuerunt, ut credibile est, in praecedenti electione Regis Sygismundi defuncti.

2. Relata scriptura sex articulorum ab Haereticis exhibitorum Praelatis, et Palatinis ritus latini, et ab eis subscripta (f. 156) cum clausula: salvis iuribus Ecclesiae Catholicae Romanae, et ab Episcopo Plociae¹³³ cum hac additione: et Dioecesis meae, Congregatio pariter censuit, articulos praefatos esse contra Religionem Catholicam; et aperte favere Haereticis, eorumque sinagogis, et exercitiis, ac proinde annullandos, et cassandos esse, non obstante iuramento, ut supra, caeteraque esse facienda, quae supra de Schismaticis scripta sunt.

3. Circa praedictas resolutiones quaesitum fuit, quomodo illae essent practicandae, et post diversas super huiusmodi questione considerationes placuit Congregationi 1. ut suavi modo, et sine dictarum resolutionum publicatione tractaretur cum Rege, ne irritatus quaerat defendere, ac etiam exequi ab eo gesta in praefatis materiis, ne Schismatici, et Haeretici magis commoveantur, Regemque magis ad executionem praedictorum articulorum impellant; 2. placuit, ut Praelatis, et aliis, qui articulis consenserunt, resolutiones praedictae notificentur, et commoneantur ne executioni eorum consentiant, sed, si potuerint, se opponant, nullitate promissionis, ac aliis, rationibus, quae non desunt nec deerunt attentae, articulorum praedictorum iniustitia et impietate oppositis.

(f. 156v) 4. Fuit quaesitum, quid agendum, si Rex executionem saltem suspen-

¹³³ Episcopus Plocensis anno 1632/33 erat Stanislaus Lubienski (1627-1640), antea Episcopus Luceoriensis (1622-1627), subcancellarius Poloniae ab an. 1624, et Abbas Tynecensis (cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. III, p. 651, 666).

dere, aut differre nollet, vel non possit, et Patribus circa hoc visum fuit, ut per protestationes per Nuntium, et Praelatos tam latini quam graeci ritus faciendas resolutiones praedictae publicentur, et notificentur, ne Sedes Apostolica per suum Ministrum, si expresse non contradicat, tacite consensisse tam perniciosus articulis videatur, et ne Praelati praedicti tacendo praecludant sibi viam ad iura sua pristina repetenda alio opportunitiori tempore.

5. Demum fuit quaesitum, quid agendum sit, si antequam ad Poloniae Nuntium resolutiones praedictae perveniant articuli praefati fuerint executioni demandati, et circa hoc Patribus visum est, non posse aliquid certi decerni, antequam habeantur a Nuncio aliae informationes de statu rerum, ac de Regis dispositione.

219.

Roma, 23 . XII . 1632.

Congregatio particularis super articulis Schismaticorum Poloniae in damnum Unitorum; emendatur instructio pro Nuntio Poloniae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 156v-157v.

Die 23 Decembris 1632.

Fuit congregatio particularis super Capitulis Haereticorum, et Schismaticorum Poloniae, in Palatio Emin.mi Domini Card. S. Sixti, cui interfuerunt (f. 157) cum Eminentia sua DD. Cardd. Pamphylus, et Ginettus, et R.mi Domini Oregius, et Boccabella.

In ea: 1. Recitatis iterum praedictis Capitulis, et deinde literis pro Nuntio Poloniae a Secretario compilatis iuxta Decretum praecedentis congregationis particularis, super hac eadem materia habitae, Patres dixerunt praedictas literas reformandas esse, quia reprehensionem Praelatorum latinorum, et Unitorum continent graviolem, quam hisce temporibus expediat, iusseruntque alias ad eundem Nuntium literas, humanioribus verbis conceptas, dari, et alias ad Archiepiscopum Gnesnensem,¹³⁴ et Metropolitanam Russiae, loco epistolae ad praedictum Nuntium, quae cum dicta repraesensione composita praedictis Praelatis ostendenda, et simul ad novum Card. Poloniae scribi¹³⁵, ut Nuntium, et Praelatos praedictos iuaret in obtinenda a Rege capitulorum praedictorum retractatione, vel saltem in impedienda vel differenda eorum executione, et demum censuerunt scribendum esse Breve ad Regem Poloniae, in quo S.mus de eadem re Maiestatem Suam moneret, et rogaret.

2. Recitata Instructione pro dicto Nuntio Poloniae, emendavit in aliquibus locis, ut habetur in lib. causarum huius anni, et in libro instructionum.

¹³⁴ Joannes Wężyk (1626-1638), qui tempore huius Interregni erat simul de iure Interrex Poloniae.

¹³⁵ Agitur de Episcopo Cracoviensi, Joanne Alberto, filio Sigismundi III, Regis Poloniae, qui die 20.XII.1632 creatus est Cardinalis, sed iam die 16.XII.1634 ex hac vita ad meliorem migravit (cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 715).

220.

Roma, 23 . I . 1633.

Pro missione Capuccinorum in Moscovia utiles considerantur informationes Metropolitanae Kioviensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 174v, 176, nr. 7.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 84, nr. 6/49.

CONG. 172 — Die XXIII Januarii 1633 (f. 174v).

Fuit congregatio Vaticano coram S.mo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Ubaldinus, Bentivolus, Sancti Honuphrii, Spada, Pamphylus, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et R.mi Domini Raymundus, et Torniellus.

Referente eodem Eminentissimo Domino Cardinali Bentivolo conventionem initam inter Regem Xnum, et Magnum Moscoviae Ducem, ut possint Mercatores Galli habere secum sacerdotes catholicos catholicumque exercitium secretum in ea Provincia, Sacra Congregatio mandavit scribi Patri Josepho Parisiensi Capuccino, ut cogitet de Missionem aliquorum Capuccinorum in dictam Provinciam cum mercatoribus Gallis, qui ad eam negotii causa se transferent, nam peculiaris Instructio Missionarii dari poterit ex relationibus, quae de Moscovitis a Ruthenis unitis in Sacra Congregatione habentur, illique cum Metropolitana dictorum Ruthenorum poterunt communicationem habere, et ab ipso de pluribus ad illam Missionem spectantibus in dies informari, etc..

221.

Roma, 2 . II . 1633.

Tres congregationes particulares in negotio articularum in damnum Unitorum, diebus 2, 4, et 5 Februarii.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 182v-183v.

ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 94, nr. 5/57.

Die. 2 . 4. et 5^a Febr. 1633.

Fuerunt tres congregationes particulares super negotiis Ruthenorum schismaticorum, in quarum 1^a interfuerunt coram Emin.mo Domino Cardinali Sancti Sixti R.mi (f. 183) DD. Oregius, et Boccabella, in aliis vero duabus, in Palatio Emin.mi Domini Card. Spadae habitis, interfuerunt idem D. Card. Spada, quem S.mus D. N. in locum Domini Card. Pamphylus, infirmitate detenti, substituit et Emin.mi Domini Card. Sancti Sixti, et Ginettus, et praefati R.mi Domini Oregius, et Boccabella.

In istis tribus congregationibus recitatis 1m: literis Regis Poloniae, in quibus rursus petebat confirmari capitula concordiae inter Ruthenos unitos, et Schismaticos initae, quae in aliis congregationibus particularibus, ut iuri Divino, et humano contraria expresse fuerunt damnata, instabat, ut, si capitula praedicta confirmatio digna non viderentur, Nuntio committeretur, ut alio modo rem componeret, ne Schismatici unirentur cum Moscovitis, qui iam invaserunt Poloniam, ac totum Regnum, ac Religionem Catholicam perderent, et deinde recitatis etiam literis Nuntii, in quibus plenius Regis mentem significans, eius nomine requirebat, ut saltem aliquod responsum eius M.ti daretur, quo posset tempus protrahere, et Dietam suae coronationis absque

capitulorum praedictorum executione transigere, Patres unanimiter censuerunt non recedendum ab iis, quae in alia particulari congregatione fuerunt resoluta, et praesertim ab (f. 183v) Instructione ad Nuntium transmissa, quia capitula praefata, ut iuri Divino et humano adversa, probari non poterant, nec idcirco arbitrio Nuntii committi, ut alio modo rem componeret. Dixerunt tamen, quia per ea, quae Nuntius significavit, Rex optima mentis esse dignoscebatur, binas posse dari M. ti Suae literas, in quarum altera libere scriberetur iuxta praedictam Instructionem, in altera vero diceretur negotium ob ea, quae ipse Rex ultimis suis literis addidit: maturius esse considerandum per congregationem particularem Dominorum Cardinalium, et Theologorum, ac Canonistarum seu Doctorum, ac prudentium virorum; ac huiusmodi literas mittendas esse ad Nuntium cum alia Instructione, in qua admoneatur, ut si quidem primas resolutiones communicaverit illaeque publicae iam factae sint, vel fieri possint, primas tantum Regi reddat literas, si vero adhuc non fuerint comunicatae nec publicari possint, 2am tradat, ut illis Rex uti possit ad protrahendum tempus, usque ad Dietae coronationis dissolutionem.

222.

Roma, 14 . II . 1633.

Relatio P. Joannis Damasceni, Dominicanus, de statu Ordinis in Russia et religionis in genere.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 184rv, nr. 2.

CONG. 173 - Die 14 Februarii 1633 (f. 183v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet Ubaldinus, Bentivolus, Sancti Honuphrii, Spada, Barberinus, et Antonius, et R.mi Domini Raymundus, et Torniellus.

Retulit Emin. mus Dominus Card. Ubaldinus scripturam Magistri Patris Joannis Damasceni, Prioris Leopoliensis Ord. Praedicatorum, in qua continentur compendiose infrascripta, videlicet: 1. Status Conventuum, quos praedictus Ordo habet in Russia.

2. Ipsius Russiae status ecclesiasticus, et spiritualis.

3. Conversiones diversorum Schismaticorum, ac Haeticorum a Fratibus dictorum Conventuum factae.

4. Multitudo Maleficarum, et Veneficarum.

5. Et postremo, necessitas (f. 184v) Officii Sanctae Inquisitionis in illis partibus, et lectionis controversiarum.

223.

Roma, 28 . II . 1633.

Decem negotia Ep. Haliciensis et responsum S. Congregationis de Prop. Fide.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 201rv, nr. 33.

CONG. 174 - Die 28 Februarii 1633 (f. 193v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin. mi Domini Card. Burghesii, qui a S. mo D. N. in Sac. Congregatione de Propaganda Fide fuit adscriptus, cui interfuerunt Car-

dinales, videlicet Burghesius, pro prima vice, Ubaldinus, Bentivolus, Caetanus, Spada, Pamphilius, Barberinus, Ginettus, et Card. Antonius, et R.mi Domini Raymundus, et Torniellus.

Referente eodem Emin. mo Domino Card. Ginetto literas Episcopi Haliciensis, in quibus 1. continentur, quae pro erectione Collegii Ruthenorum in Minsco facta sunt, et quae fecerunt in Volinia Schismatici in praeiudicium Catholicorum.

2. Restitutio monasterii Terciensis facta Unitis, quod nunc pro eremo monachis servit.

3. Continuatio devotionis erga Servum Dei Josaphat, Archiepiscopum Polocensem, et miraculorum multiplicatio ad eius sepulturam.

4. Synodus 100 Parochorum habita in Minsco, et conversio 4 Parochorum schismaticorum ad catholicam fidem.

5. Quod cum a Rege Episcopatum Pinscensem obtinuerit, supplicat pro Brevi commendatio ad Ducem Albertum Radivil,¹³⁶ illius civitatis Capitaneum.

6. Commendat Archiepiscopum Leopoliensem Armenorum,¹³⁷ qui Roman venit.

7. Quod Meletius Archiepiscopus¹³⁸ in monasterio Dermanensi scribit contra Schismaticos.

8. Quod Schismatici dicunt professionem fidei, quae sub nomine Cyrilli est evulgata, non esse ab eo factam, sed ab eius inimicis confectam, ut ipse Cyrillus suis literis testatur.

9. Cupit scire quare sit ad Metropolitam transmissum Decretum de prohibito (f. 204v) transitu Ruthenorum ad ritum latinum.

10. Quod Metropolita subiungebat sua manu circa difficultates, quae patiuntur Rutheni uniti a Schismaticis in Comitibus, seu Dieta.

Sac. Congregatio iussit: 1. commendari diligentiam dicti Episcopi Haliciensis in significandis gestis per eum in visitatione ecclesiarum Ruthenorum unitorum; 2. Loco Brevis decrevit literas commendatitias petitas ad praedictum Ducem Albertum; 3. Circa professionem Cyrilli iussit eidem Episcopo scribi, ut diligentiam adhibeat curetque habere literas quas scripsit ipse Cyrillus ad Ruthenos schismaticos negando dictam professionem esse suam, et idem scribi Patri Angelo Sonino, Missionario in Vallachiam, ut similes curet habere literas Cyrilli ad Episcopos Vallachiae, et Moldaviae schismaticos datas, in quibus pariter negat praedictam professionem esse suam, ut si illas vel earum copias collationatas habere poterunt easdem Roman mittant; 4. et postremo, quoad Schismaticorum violentias in Dieta Eminentissimus Dominus Cardinalis Ginettus dixit iam fuisse provisum.

¹³⁶ Fortasse agitur de Albrechto Stanislaw Radziwiłł; nat. 1595, anno 1618 Subcancellarius Magni Ducatus Lithuaniae, ab anno vero 1622 Cancellarius, socius itinerum Vladislai IV (1625-6) et executor testamenti Regis Sigismundi III; multum adlaboravit pro defensione Ecclesiae Unitae; scripsit opera etiam ascetica et historica (cfr. *Enc. Powszechna*, vol. XXI, p. 897-899).

¹³⁷ Archiepiscopus Armenorum Leopoli anno 1633 erat Nicolaus Torosowicz (1626-1681). Cfr. G. PETRÓWICZ, *L'Unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede* (1626-1686), Roma 1950.

¹³⁸ Meletius nempe Smotryckij, de quo ex. gr. sub nr. 152, nota 114, et sub nr. 187, nota 123.

224.

Roma, 12 . IV . 1633.

Consulantur relationes P. Methodii Terleckyj de statu Ecclesiae Valachorum Montis Feletrii.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 216v-217, nr. 18.

CONG. 175 - Die 12 Aprilis 1633 (f. 212).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt decem Cardinales, videlicet Ubaldinus, Bentivolus, S. Honuphrii, Caetanus, Spada, S. Sixti, Pamphylus, Barberinus, Ginettus, et Cardinalis Antonius, et R.mi Domini Raymundus, Torielli, et novus Assessor S. Offitii.

Referente eodem Eminentissimo Domino Card. Sancti Honuphrii literas Episcopi Bosnensis de statu Vallachorum Montis Feletrii, et de Simone eorum Episcopo, ob senectutem, et infirmitatem non valente eos gubernare, et denique de Episcopo Lippae, in Transilvania, ritus (f. 217) graeci, qui posset dari dicto Simoni in coadiutorem, Sac. Congregatio iussit reassumi relationes de statu dictorum Vallachorum, quas Pater Methodius, Ruthenus unitus reliquit, et de huiusmodi negotio iterum agi in Congregatione Cardinalium.¹³⁹

225.

Roma, 11 . V . 1633.

Viaticum et libri pro P. Nicephoro, Alumno Collegii Graecorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 226, nr. 15.

CONG. 176 - Die 11 Maii 1633 (f. 223).

Fuit Congregatio in Palatio Emin.mi Domini Card. Bentivoli, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet ipsemet Bentivolus, Spada, Pamphylus, Ginettus, et Card. Antonius, et R.mi Domini Raymundus, et Torielli.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Pamphylus instantiam Patris Nicephori,¹⁴⁰ Rutheni uniti, Alumni Collegii Graeci, pro aliquo subsidio, ut possit in patriam reverti, et pro libris in Typographia Sac. Congregationis impressis contra Schismaticos, Eminentissimi Patres quoad libros affirmative, quoad subsidium negative responderunt.

226.

Roma, 13 . VI . 1633.

Candidatura P. Nicephori ad Episcopatum Montis Felletrii. Exquiritur sententia Nuntii Germaniae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 236rv, nr. 3.
ŠMURLO E., *Le Saint-Siège...*, Appendix, p. 85, nr. 7/50.

¹³⁹ Methodius Terleckyj, Episcopus Chelmensis (1629-1649), annis vero 1629-1630 Missionarius Sacrae Congregationis in Montem Felletrii. - Cfr. hac de re, quae habentur supra sub nr. 142, nota 109, et alibi.

¹⁴⁰ P. Nicephorus Losovskyj (Nicolaus), Basilianus, filius Stanislai et Leonorae Ossinschi, Polocensis, admissus in Collegio Graecorum die 1.XII.1627, aetate 19 an.; studuit in Collegio Logicae, et Philosophiae per annos tres, et Theologiae per annum unum. In Patriam reversus iam anno 1636 factus est Episcopus Luceoriensis. Obiit anno 1650.

CONG. 178 - Die 13 Junii 1633 (f.235).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Ubaldinus, Bentivolus, Sancti Honuphrii, Spada, Sancti Sixti, Pamphylus, Ginettus, et Cardinalis Antonius, et R.mi Domini Raymundus, et Torielli.

Referente eodem Emin.mo Domino Card. Ubaldino Decretum praecedentis congregationis circa provisionem pro Vallachis Montis Felletrii, mediante promotione Patris Nicephori, Rutheni uniti,¹⁴¹ ad episcopalem dignitatem, et illius deputatione in Coadiutorem Episcopi Simonis, senio, et infirmitate confecti, Sac. Congregatio iussit Nuntio Germaniae scribi, ut de hoc negotio agat cum Imperatore eiusque sententiam exquirat, praesertim circa huiusmodi provisionis executionem, et impedimenta, quae possent occurrere, et (f. 236v) modum ea removendi, ut suum possit sortiri effectum.

227.

Roma, 19 . VII . 1633.

Instantia Archiep. Polocensis pro dispensatione alicuius Joannis Chisel.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 273v, nr. 18.

CONG. 180 - Die 19 Julii 1633 (f. 267v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bentivolus, Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Sancti Sixti, Pamphylus, Ginettus, et Cardinalis Antonius, et R.mi Domini Raymundus, Torielli, et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Eminentissimo Domino Cardinali Sancti Sixti instantiam Archiepiscopi Polocensis rutheni uniti pro dispensatione matrimoniali pro Joanne Chisel, Sac. Congregatio huiusmodi negotium remisit ad Sanctum Officium.

228.

Roma, 30 . IX . 1633.

P. Nicephorus adprobatur ab Imperatore Austriae ut candidatus ad Episcopatum Montis Felletrii.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 309v-310, nr. 10.

CONG. 184 - Die 30 Sept. 1633 (f. 307).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet Bentivolus, S. Honuphrii, Spada, S. Sixti, Pamphylus, Ginettus, et Antonius, et RR.mi Domini Raymundus, Torielli, Petrus Benessa tamquam Secretarius Principum, pro prima vice, et D. Assessor S. Offitii.

Referente Em.mo D. Cardinali S. Sixti literas Nuntii Germaniae, in quibus significabat Imperatorem¹⁴² probasse, ut pro Vallachis Montis Felletrii constitueretur Episcopus Pater Nicephorus, Ruthenus unitus, Sac. Congregatio iussit eidem Nuntio

¹⁴¹ Cfr. supra, nr. 225, nota 140.

¹⁴² Imperator Austriae anno 1633 erat Ferdinandus II (1619-1637). De hoc negotio cfr. nr. 225, nota 140, et notam. 141.

rescribi, ut huiusmodi negotii expeditionem sollicitet, quia, ut ex literis quae a Zagabria habentur, periculum est, ne Schismaticus Episcopus in gubernationem Vallachorum se intromittat.

229.

Roma, 30 . IX . 1633.

Exspectatur adventus Ep. Haliciensis ad Urbem, informationis et consultationis causa.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 310rv, nr. 12.

Sept. 30.

Referente Emin.mo D. Cardinali S. Sixti litteras Nuntii Poloniae de adventu R.mi Pinski,¹⁴³ Coadiutoris Metropolitae (f. 310v) Russiae ad Urbem ad defendendam causam, quam habent Rutheni uniti, uti volunt contra dd. Schmaticos, simul cum rationibus eorumdem Schmaticorum et responsionibus ad eas, ut, antequam Orator Obedientiae¹⁴⁴ quem Rex Poloniae mittit ad Pontificem huc perveniat, Emin.mi Patres et Sanctitas Sua de praedictis rationibus et responsionibus plene sint informati. 2^o Huiusmodi litteras mitti ad Nuntium Germaniae, ut eas dicto Episcopo, si illuc pervenerit, reddat, illumque ut iter ad Urbem accelleret, commoneat, et si adhuc in Polonia extiterit eas ad illum mittat, et per suas litteras ipsum ut supra admoneat. 3^o Censuit eundem Episcopum esse bene tractandum, ut Sedi Apostolicae bene affinitur Unionemque Ruthenorum sustineat, ac propaget.

230.

Roma, 5 . XII . 1633.

Congregatio particularis ample considerat articulos Schmaticorum quos Rex Poloniae eiusque Legatus Ossolinski probatos esse vult. Rationibus pro et contra valutatis decisio ad aliam congregationem particularem remissa fuit.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 325-328v.

Die 5 Decembris 1633.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Palatio Emin.mi D. Cardinalis Spadae, cui interfuerunt cum Eminentia Sua Emin.mi DD. Cardinales S. Sixti, et Barberinus, et R.mus D. Boccabella, Rotae Auditor, abfuit Emin.mus D. Cardinalis Ginettus, infirmitate praepeditus.

¹⁴³ Raphaëlis Korsak, Coadiutoris Metropolitae Kioviensis, Episcopi Haliciensis (1627-1632), qui post mortem Gregorii Michałowicz obtinuit Sedem Pincensem (1632-1637), quam cum sua successione in Metropolia Kioviensi (februario 1637) tradidit Pachomio Oranskyj (1637-1653).

¹⁴⁴ Georgius Ossolinski; nat. 1595, studuit extra confinia Poloniae; postea exercebatur in diversis officiis Regni temporibus Sigismundi III, claruit sermone et eloquentia; post mortem Sigismundi III et electionem Vladislai IV missus est Romam, ut Pontificem persuaderet de necessitate concessionum pro non Unitis et Haereticis (sic dicta Pacificatio Religionis Graecae an. 1632-1633) et obedientiam nomine Regis praestaret. Pompa externa totum fere mundum obstupuit, splendorem ad summum usque gradum evolvens; nihil tamen in re principaliori obtinuit. Sedes Apostolica iam bene informata fuit ab Episcopo Pincensi, Raphaële Korsak, qui Ducem Ossolinski Romae praevenit, quam ob rem post suum in Patriam reditum a Rege huius rei fuit reprobatus (cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 719-720).

In ea primo fuit proposita instantia Serenissimi Regis Poloniae, ex instructione data Excellentissimo D. Ossolinscho, eius Maiestatis Oratori, ad obedientiam Summo Pontifici praestandam misso, per eundem Oratorem verbo tantum signata, in qua praefatus Rex petebat a Sede Apostolica confirmari puncta pacificationis inter Ruthenos unitos (f. 325v) et schmaticos, Varsaviae contradicentibus Unitis, et aliis Catholicis Regni Poloniae firmata, et Diploma Regium pro confirmatione, et executione omnium in dictis punctis contentorum, Cracoviae in Comitibus Coronationis expeditum, vel si id fieri non posset vel deberet, saltem per convenientiam, aut alio modo eorum executio permetteretur ad evitandum maius malum, quod toti Reipublicae et Regno Poloniae imminet, si promissa in punctis praedictis et in Diplomate Regio confirmata Schmaticis non observarentur, maxime cum pro dictis punctis iuramentum promissorium Regis intervenerit, et in executione promissionis iuratae dictum Diploma emanaverit.

2. Fuerunt recitatae protestationes Ordinum Regni, et Magni Cancellarii contra dicta puncta, et Diploma, in quibus continebatur, quod punctis praedictis, et Diplomati nollunt consentire, nisi Sedis Apostolicae expressus accedat assensus, et similiter protestationes Unitorum sub eadem forma, addita ad eandem Sedem Apostolicam appellatione.

3. Fuit recitata quaedam scriptura, in qua continebantur damna gravissima, quae in spiritualibus, et temporalibus Unioni, et Unitis per dicta puncta, et Diploma inferebantur (f. 326), ex quibus consequenter etiam Sedis Apost. iuribus magnum fieret praedictum.

4. Fuerunt a Patribus super praedictis scripturis, et aliis pro huiusmodi negotiis exhibitis factae nonnullae considerationes, et inprimis: quod in aliis 4or congregationibus particularibus super hac materia, anno praesenti, et praecedenti habitis, resolutum, quod praedicta puncta non solum non sunt confirmanda, aut per formam permissionis tolleranda, sed cassanda, et revocanda, quia Religioni Catholicae praeiudicium gravissimum inferunt, et Schisma fovent, ac illud propagandi occasionem praebent; scriptumque fuit Nuntio Poloniae, ut huiusmodi resolutionem Regi, Archiepiscopo Gnesnensi, et aliis Regni proceribus notificaret, curaretque contra puncta praedicta protestari, ut in data ad eam Instructione latius habetur.

Deinde consideratum fuit, quod puncta praedicta non fuerunt lecta neque in Senatorio, neque in Equestri Ordine, ut habetur in 3a protestatione Ordinum Magni Ducatus Lithuaniae contra eadem puncta, et licet fuerunt in Actis Varsaviensibus inserta, ut praedicta protestatio ad eadem puncta ab Unitis facta continet, nihilominus apparet ex 2a protestatione (f. 326v) Ordinum Regni Poloniae, quod in Comitibus Varsaviensibus non fuerunt lecta per extensum, sed tantum relative, ad media scilicet a Rege excogitata pro pacificatione Ruthenorum, quod dicti Ordines expresse dicunt se non vidisse, ut patet ex protestatione prima Ordinum, et Unitorum contra Regium Diploma.

3. Quod circa bona Ecclesiastica Layci nullam habent dispositionem iuxta Synodum Romanam sub Symacho Papa, et propterea iura municipalia, quae afferuntur ex adverso, etiam si iurata sint, illaque Reges observare cum iuramento permittant, nihil omnino valent, et proinde ad negotiorum huiusmodi resolutionem allegari non possunt, maxime cum habeantur alia iura, seu privilegia Regum ad favorem Catholicorum, et Unitorum in Comitibus Lublini anno 1569 emanata, et licet D. Orator ad haec Comitibus notat, quod cum Statuta eorum non fuerunt executioni demandata circa Unionem Magni Ducatus Lithuaniae, non debent consequenter effectum habere in eis contenta ad favorem Unitorum, dum excludunt omnem Graecam Religionem S. R. E. non unitam. Illi tamen solide responderi potest quod quamvis quae statum (f. 327) temporalem concernebant corruerint, quia populi, et Reges ea vel expresse per legem vel

tacite per desuetudinem abrogare poterant, ea nihilominus quae respiciant Catholicam Religionem, et Ecclesiasticos in suo robore semper manent, nec secundum Canones possunt amplius a concedente revocari, aut tolli.

Et licet rursus idem D. Orator urgeat super Statuto Sygismundi 3tiii, quod dicit esse ad favorem non Unitorum propter verba: merae Religionis Graecae, responderi nihilominus potest, quod ultra nullitatis vitium illud non fuit unquam per Regem ipsum executioni demandatum; praeterea est ambiguus verbis conceptum, ita ut interpretari possit ad favorem Unitorum; nam non Uniti antiquum ritum non observant, sed novum, id est schismaticum, quem ritum dictum statutum excludit, per illa verba: secundum antiquos ritus.

4. Fuit consideratum Diploma Regium, et protestationes Ordinum, ac Unitorum, et Magni Cancellarii, et quia Diploma continet idem, quod saepius citata puncta, Eminentissimi Patres dixerunt, easdem habere difficultates, quae puncta praedicta et propterea iure fuisse contra illud protestatum. Nec verbum « permittimus » in eo positum salvare potest Regem (f. 327v) per doctrinam illam, quod ad evitandum maius malum potest permitti minus, quia Diploma superius expresse confirmat illa, quae Schisma conservant et propagant; praeterea, an doctrina illa Theologorum in casu nostro practicanda sit, non constat, habetque multas alias difficultates, maxime propter curam animarum, quae per Diploma conceditur Episcopis schismaticis.

5. Fuit consideratum, quod puncta, et Diploma ultra quod offendunt Religionem Catholicam, et favent Schismati (haec etiam addita sunt a Secretario usque ad num. 6) continent etiam manifestam iniustitiam; quia Episcopatus, ecclesias, et bona ecclesiastica ab Unitis possessoribus triennialibus, et ultra auferunt, illosque ac illas tribuunt Schismaticis; nec valet dicere quod erant prius Schismaticorum, quia negatur, nam Metropolita Russiae et sex eius Episcopi ante Unionem cum Sede Apostolica erant Schismatici, et habebant suas Ecclesias earumque bona, quae per factam Unionem non amiserunt, ultra quod secundum Jus Canonicum Schismatici, qui post Concilium Florentinum sunt etiam Haeretici, quia Articulos in eo diffinitos negant, amiserunt omnia bona ecclesiastica eaque facta sunt Ecclesiae Catholicae.

(f. 328) 6. Quod Sed. Apost. nihil positive facere debet ad confirmationem aut permissionem dictionum punctorum, et Diplomatis, sicut alias fuit resolutum in negotio Vallis Tellinae in pluribus congregationibus, et tamen in eo non agebatur de re spiritali, et Ecclesia, ut in casu nostro, sed de solo dominio temporali, neque eadem Sedes sub silentio rem praeterire; nam cum ad eandem Sedem appellatum fuerit ab Unitis, ab eisdemque ac ab aliis protestatum quod non consentiunt, nisi expresse habeatur ab ipsa Sede consensus, necesse est repugnare, et contradicere, ne silentium praesumptam confirmationem, aut tollerantiam inducat, et si repugnantiae et conditioni non fuerit paritum curare, ut contra illa, eorumque executionem iterum protestetur vel a Catholicis latinis, vel ab Unitis, vel a Nuntio, vel ab omnibus simul.

7. Fuit ab uno ex Emin. mis propositum, quod posset Oratori Regio significari Sed. Apostolicam non debere neque confirmare, neque connivere aut permittere, sed repugnare, et contradicere; posse tamen huiusmodi contradictionem differre quousque magis opportuna Regi occasio, puncta, et Diploma revocandi, offeratur. Idem tamen Emin. mus Pater per dictas protestationes ab hac sententia recessit, et cum aliis convenit.

(f. 328v) Post huiusmodi considerationes Patres noluerunt finalem eorum sententiam in huiusmodi gravissimis negotiis proferre, maxime quia praedictus D. Orator instantiam Regis in scriptis non proposuit, nec ex parte eiusdem Regis datae fuerunt scripto aliquae informationes, sed dixerunt aliam habendam esse congregationem, et perquirendas esse quasdam scripturas Cardinalis Comendoni, quas R. mum D. Paulu-

cium habere dixerunt, ut videatur quid factum fuerit per Sedem Apostolicam tempore edicti Passaviensis.

231.

Roma, 16 . XII . 1633.

Relatio de libris aliisque scripturis Meletii Smotryckij.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 336, nr. 24.

CONG. 186 - Die 16 Dec. 1633 (f. 328v).

Fuit congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet Bentivolus, Sancti Honuphrii, Spada, Sancti Sixti, Pamphilius, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et RR. mi DD. ni Raymundus, Tornielus, Benessa, et Assessor Sancti Offitii.

Referente Emin. mo Domino Cardinali Barberino de libris Meletii, Archiepiscopi Polocensis nuncupati, contra Graecos schismaticos ex polonica lingua in latinam translatis, et de litteris eiusdem Meletii ad Patriarcham Cyrillum Constantinop. pro defensione (f. 326v) Catholicae Fidei, Sac. Congregatio nihil rescripsit.

232.

Roma, 22 . XII . 1633.

Audito P. Valeriano, Capuccino, de articulis et capitulis contra Unitos datur a S. Congregatione responsum negativum, cum admonitione Regis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 344v-345v.

Die 22 Decembris 1633.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum in Palatio Emin. mi Cardinalis Spadae, cui interfuerunt 4or Cardinales, videlicet ipsemet Spada, Sancti Sixti, Barberinus, et Ginettus, et R. mi DD. Boccabella, Magister Sac. Palatii, Paulutius, Benessa, et admodum RR. PP. Abbas Hilarion, et Frater Theodorus Capuccinus.

In ea primo, relatis scripturis datis pro parte Regis Poloniae, placuit Emin. mis Dominis Cardinalibus, ut super illis audiretur Pater Valerianus, Capuccinus, qui in congregatione introductus primum dictas scripturas perlegit, deinde super ipsis brevem habuit discursum, quo ostendere conatus est, quod multa, quae in Capitulis, et Diplomate Regio pro non Unitis continentur probari poterant a Sede Apostolica per viam permissionis ad evitandum maius malum, quod Regno, et Reipub. Poloniae imminabat, si fides iurata Regis Schismaticis non servaretur.

2. Dimisso Patre Valeriano, fuerunt diligenter examinata praedicta Capitula et Regium Diploma, in primis a praefatis R. mis Praelatis, et ad RR. PP., deinde a Dominis Cardinalibus, et licet ob negotiorum gravitatem, et difficultates, quae se offerebant in concipienda responsione, quae Regi Poloniae danda ad praefata negotia, non potuerint diffiniri, tamen visi sunt Patres omnes quoad doctrinam in infrascriptis conclusionibus convenire, videlicet.

1. Capitula et Diploma Regium nullo modo confirmanda esse, quia multa continent contra fidem, religionem et iustitiam.

2. Nec esse per viam permissionis probanda: 1^o, quia nonnulla in eis conceduntur Schismaticis, quae ut intrinsece (f. 345v) mala et Jure naturali prohibita permitti non possunt; 2^o, quia non constat de pretensa imminetia maioris mali, ob quam sint permittenda; 3^o, quia in eis sunt nonnulla, quae sine positiva concessione non possunt permitti Schismaticis.

Quo vero ad directionem prudentialem, seu praxim huius doctrinae, Patrum maior pars dixit, Sedem Apostolicam non debere in huiusmodi negotiis uti silentio, vel dissimulatione, sed contradicere, monereque Regem de peccato, quod commisit, et committet, si male promissa observaverit, et si opus fuerit etiam protestari; et de modo contradicendi, monendi, ac protestandi habendam esse aliam congregationem, et ad huiusmodi effectum videndas esse litteras, quae Rex, et Nuntius Poloniae de huiusmodi negotiis scripserunt, et Decreta alias super eis edita, ac litteras et instructiones ad eundem Nuntium missas.

3. Et postremo, Sac. Congregatio commisit Magistro Sac. Palatii, ut Oratorem Regis Poloniae, qui crastina die discessurus erat conveniret, eique significaret praefata negotia non potuisse determinari, tum ob eorum gravitatem, tum ob novas scripturas a Patre Valeriano pro parte Regis exhibitas, quae egent maturiori consideratione.

233.

Roma, 30 . XII . 1633.

Colloquium penes Magistrum Sacri Palatii de articulis Schismaticorum Regni Poloniae, Ruthenis unitis damnosis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 8, fol. 345v-347.

Die 30 Decembris 1633.

Cum Pater Valerianus, Capuccinus, instetisset apud Eminentissimum Dominum Card. Barberinum, ut iterum super negotiis Ruthenorum audiretur in praesentia Episcopi Theodosiae, Suffraganei Archiepiscopi (f. 346) Gnesnensis, et D. Roncaglii, Secretarii Oratoris Regis Poloniae, et Theologorum ad huiusmodi negotia examinanda deputatorum, D. Card. praedictus indixit colloquium pro hac die apud R. Mum Magistrum Sac. Palatii, cui prenominati Pater, Episcopus et Secretarius interfuerunt, una cum praefato Magistro, et RR. PP. Boccabella, et Paulutio.

In ea primo, praedictus Pater Valerianus dixit non arbitrari Summum Pontificem in huiusmodi negotiis processurum ut Iudicem, quia necessarius esset processus, quo Rex in longum nimis protraheretur, sed ut Pastorem, qui salutem animarum ex officio quaerere debet, et proinde non posse huiusmodi negotia expediri, nisi nonnulla supponantur in facto pro veris.

In primis, igitur, rogavit supponi vera esse puncta pacificationis, et Diploma Regis super praefatis negotiis emanata.

2. Imminentiam periculorum Regno, et Reip. Poloniae iuxta assertionem Regis, ac totius Reip. 3. Leges eiusdem Regni et Reip. et praesertim illa Sygismundi Augusti, secundum quam iurant Reges Poloniae manutenere, et conservare Privilegia Religionis tam Romanae, quam Graecae et illam (f. 346v) Henrici 3ii, secundum quam iidem Reges iurant ad favorem Graecorum et denique illam Sygismundi 3ii, secundum quam modernus Rex iuravit dare Nobilibus ruthenis merae Religionis Graecae dignitates, et bona ecclesiastica iuxta ipsorum foundationes.

Post huiusmodi suppositiones rogavit idem Pater Valerianus, ut disputarentur tres quaestiones, quae tanguntur in eius scriptura considerationum universalium, n. X signata.

2. Punctualiter fuerunt diligenter examinatae praedictae suppositiones, et nonnulla ab eis dependentia, et post longam disputationem convenerunt omnes in infrascriptis, videlicet.

Supponendam esse historiam praedictorum punctorum et Regii Diplomatis; Historiam imminentium periculorum; Protestationes factas contra praedicta puncta, et Diploma Ordinum Reip., Cancellarii Lithuaniae, et Unitorum cum clausula, quod non consentiunt punctis, et Diplomati, nisi assensio Sed. Apost. accedat.

3. Convenerunt, ut notarentur illa verba legis Sygismundi Augusti: Religionis tam Romanae (f. 347) quam Graecae, et illa legis Sygismundi 3ii, latae anno 1607: mere Religionis Graecae.

4. Quia praeter verba ex generali sua significatione comprehendunt Unitos, cum sint Religionis Graecae, formata fuit communi consensu infrascripta conclusio, videlicet ex iuramento a Rege praestito, et praesertim super observatione legis Sygismundi 3ii: ipsum Regem non teneri dare Episcopatus graecos magis Unitis quam Schismaticis, nec e contra.

Idem censendum esse de lege, seu iuramento Henrici 3ii, a Rep. praescripto.

5. Et postremo, iniuctum fuit Patri Valeriano, ut notaret quae secundum eius sententiam in praedictis punctis, et Diplomate sunt emendanda, et ea, quae permitti possunt Schismaticis, et quae nullo modo eis concedenda, aut permittenda sunt.

234.

Roma, 27 . I . 1634.

Discussio de Diplomate Regis Poloniae approbante articulos Schismaticorum, Unitis damnosos. Diploma huiusmodi reicitur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 11-12v.

Die 27 Ianuarii 1634.

Fuit congregatio particularis Theologorum, et Canonistarum super negotiis Ruthenorum in Aedibus R. mi D. Boccabellae, cui interfuerunt ipsemet D. Boccabella, et R. mi DD. Magister Sac. Palatii, et Paulutius, et admodum RR. PP. Abbas Hilariion, et Pater Theodorus, Capuccinus.

In ea, primo, introductus Pater Valerianus de Diplomate a se composito late disseruit, ostenditque per illud puncta pacificationis in pluribus moderari, Regiumque Diploma ita reformari, ut permissionem et non concessionem contineat, et demum postulavit singulis praefati Diplomati a se compositi capitibus responderi, ut cum Rege Poloniae agere, illumque ad acquiescendum sententiae Congregationis inducere possit.

2. Dimisso Patre Valeriano repetita fuerunt, quae die (f. 11v) 30 Decembris proxime praeteriti firmata fuere, et placuit Patribus, ut illa corrigerentur in duobus locis, videlicet, ut ubi de Henrici 3ii iuramento agitur, dicatur, quod secundum illud Reges Poloniae iurant manutenere pacem inter dissidentes de Religione Christiana, et, ubi de vi iuramenti eorundem Regum tractatur, conclusit ibi acta expuncto verbo: praesertim, reformatur in hunc qui sequitur modum.

Ex vi iuramenti a Rege Poloniae praefati super observatione legum Sygismundi Augusti, et Sygismundi 3ii, eundem Regem non teneri Episcopatus graecos dare Unitis magis quam Schismaticis, et e contra, idemque censendum esse de iuramento Henrici 3, a Repub. praescripto.

3. Deventum fuit ad examen praedicti Diplomatis a dicto P. Valeriano compositi, et postquam Patres sua de illo protulerunt vota in duobus convenerunt, nemine eorum discrepante, videlicet, Diploma praefatum, sicut et Regium, probari non posse, et in alia congregatione singula capita illius esse diligentius examinanda, et ad ea peculiariter respondendum. Et quia pro prima conclusione fuerunt a Patribus plures rationes adductae, nonnullas eorum annotare libuit, ut si opus fuerit, in (f. 12) Congregatione Cardinalium expendi possint.

1. Itaque Diploma praedictum probari non potest, quia inter ipsum ac puncta Regiumque Diploma, iis exceptis quae de Podlachia, et de nonnullis monasteriis, et non praeiudicando Episcopis ruthenis unitis viventibus dicuntur, non videntur esse aliqua differentia essentialis, sed verbalis tantum, videlicet per verbum « permittimus », quod in praedicto casu sine actibus positivis contra religionem, ac iustitiam praticari non poterit.

2. In aliquibus capitibus, ut in eis in quibus Resp. obligatur solvere certos redditus Schismaticis, non potest stare praedictum verbum « permittimus » in propria significatione.

3. Rex per huiusmodi Diploma arbiter censebitur rerum spiritualium, et ecclesiasticarum contra Sac. Conciliorum, et Pontificiorum constitutionum dispositionem.

4. Rex per illud Schisma fovebit, quod impedire tenetur.

5. Ex usu, et moribus Reip. Poloniae Diploma praedictum perpetuum habiturum est effectum; et tamen ob imminentiam periculorum, quae cessare poterit, probari petitur, eoque casu nullam vim habere deberet.

6. In casu nostro non probatur maius malum, nec enim (f. 12v) assertioni partis petentis in re tam gravi standum est, iuxta Sac. Canones, sed conficiendus esset super eo Processus.

7. Maius malum est, quod Papa probet praedictum Diploma, quam illud, quod imminere dicitur, nam nullum exemplum experiri poterit in tota Ecclesiastica Historia, quod Pontifices similia concesserint, aut permiserint, immo plura contraria exempla in illa observare licet, quibus probatur, ne unam quidem ecclesiam, etiam turbulentissimis temporibus, acque etiam cum Ecclesia Romana a Principibus opprimeretur, Romanos Pontifices, imo et Episcopos particularium Ecclesiarum voluisse cedere, aut permittere Haereticis.

8. Et postremo, in praedicto Diplomate plura continentur inconcessibilia, et indispensabilia, ut liberum exercitium Schismatis, concessio iurisdictionis episcopalis et curae pastoralis Schismaticis, et alia plura, quae in futura congregatione particulari diligentius examinabuntur.

235.

Roma, 13 . II . 1634.

Examinatur professio fidei Cyrilli, Patr. Costantinopolitani, transmissa Archiep. Leopoliensi Latinorum, quae Nuntio Poloniae recognoscenda transmittitur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 25v-26v, nr. 5.

Febr. 13.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Bentivolo litteras professionis fidei, quas Cyrillus Patriarcha Constantinop. reliquit Archiepiscopo Leopoliensi latino, non rutheno, dum erat magnus Archimandrita Alexandrinae Sedis ac eiusdem Sedis, et Constantinopolitanae Exarchus in eo Regno, Sac. Congregatio, animadvertens illas esse oppositas professioni fidei, quae sub Cyrilli nomine circumfertur, in eis nonnulla contineri ad Apostolicae Sedis praeminentiam, ac primatum contra communem Schismaticorum sensum (f. 26) spectantia, et denique confirmationem eiusdem Cyrilli, quod nulla sit differentia inter Occidentalem, et Orientalem Ecclesiam apud viros doctos, 1º, mandavit eorum copiam Sancto Officio tradi, ut illius Patres dignentur considerare, an praefatas litteras imprimenda expediat cum dicta professione fidei Cyrilli, ut apud Graecos, et praesertim Ruthenos schismaticos constare possit de inconstantia eiusdem Cyrilli in re gravissima, qualis est fides, et apud Haereticos septentrionales, qui eam propter praefatam professionem tenere fidem Orientalis Ecclesiae iactant, de falsitate eiusdem professionis, vel a Cyrillo editae, vel ab ipsis Haereticis sub Cyrilli nomine evulgatae; 2º, iussit copiam aliam transmitti ad Nuntium Poloniae, ut post assumptas necessarias informationes, an praeterea litteras, quae ab Archiepiscopo Leopoliensi, quae originaliter exhiberi poterunt, ut recognoscantur a multis Ruthenis, qui fuerunt Constantinopoli, et viderunt Cyrillum scribere, habentque apud se plures illius litteras, expediat imprimere cum dicta Professione Fidei, ut sparsae per Ruthenos schismaticos eorum animi a Cyrilli obedientia avvertantur, et ad Sanctam Unionem aliciantur, praesertim quod ea, quae in eis habentur de Primatu Apostolicae Sedis, et de indifferentia inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam penes doctiores, qui, (f. 26v) ut Cyrillus sit, sciunt quomodo conciliari possunt controversiae inter utramque Ecclesiam, bonumque sensum in spiritu Christi elicere.

236.

Roma, 6 . III . 1634.

Congregatio particularis de punctis « pacificationis » et violentiis Schismaticorum; responsum negativum, a Nuntio Apost. Regi communicandum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 8, fol. 31rv.

Die 6 Martii 1634.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum in Aedibus R.mi D. Boccabellae, cui interfuerunt idem D. Boccabella, et RR.mi DD. Magister Sac. Palatii, et Paulutius, et admodum R. P. Theodorus, Capuccinus.

In ea, primo, relatae fuerunt binae litterae Metropolitae Russiae, in quibus primo: significabatur violentias, quas Schismatici post puncta pacificationis, et Diploma Regium super illis expeditum, fecerunt in occupatione suae ecclesiae Sanctae Sophiae, fractis foribus, ac Curiae metropolitanae Chioviensis, cum direptione eius domesticae suppellectilis.

2. Percussiones, et vulnera sacerdotibus unitis per Schismaticos illata.

3. Demum eorumdem sacerdotum concussiones, additis minis de eis in redditu interficiendis, nisi impeditos illos litterae Metropolitae Schismaticis invenirentur.

2. Actum fuit de praedictis punctis pacificationis, et de eorum reformatione a Patre Valeriano facta et circa illa Congregatio hanc conclusionem firmavit, videlicet: puncta pacificationis, prout fuerunt proposita, etiam a memorato Patre Valeriano reformata, non posse admitti, nec de illorum (f. 31v) confirmatione Apostolica petita agendum esse.

3. Et postremo tractatum fuit de responso, quod Regi Poloniae per Sedem Apostolicam dari deberet, et circa illud, quia ad doctrinam non petinet, Congregatio dixit prudentiae Eminentissimorum DD. Cardinalium, huiusmodi negotium examinandum deputatorum, remittendum esse.

237.

Roma, 13 . III . 1634.

Relatio de progresibus Hieremiae Barbarigo in Russia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 34, nr. 9.

CONG. 190 - Die 13 Martii 1634 (f. 31v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Bentivolus, S. Honuphrii, Spada, Pamphylus, Ginettus, et Antonius, et R.mi DD. Raymundus, Torniellus, et Benessa.

Referente Emin.mo D. Card. Spada litteras Hieremiae Archiepiscopi Naxiensis, Graeci, de gestis per eum in Russia ad confirmandos Ruthenos unitos, et in avvertendis Schismaticis ab obedientia Cyrilli Patriarchae Constantinopolitani, iisque ad Unionem cum S. R. E. reducendis, et de necessitate, quam habet subsidii ad sui sustentationem, Sacra Congregatio: 1º, litteras commendatitias ad Nuntium Germaniae pro Oratore decrevit, ut scilicet illum commendet Imperatori, et proceribus Curiae Imperialis.

2º, Dixit eidem Oratori concedendum esse Breve commendatitium ad Archiepiscopos, et Episcopos Poloniae, cum litteris pariter ad eundem Nuntium, quibus ei praecipiat, ut Oratorem apud Regem, et alios Curiae Regiae Proceres adiuvet.

238.

Roma, 20 . III . 1634.

Alia congregatio particularis de punctis « pacificationis » rationes praecedenter enumeratas approbat et instructionem Nuntio Poloniae scribere iubet.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 39v-40v.

Die 20 Martii 1634.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum in Palatio Emin.mi Domini Card. Spadae, cui interfuerunt 4or Cardinales, videlicet, ipsemet Card. Spada, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et R.mi D. Magister Sac. Palatii, et Paulutius, et admodum R. P. Theodorus, Capuccinus.

In ea, primo, relatis in compendio, quae in novem praecedentibus congregationibus particularibus considerata et resoluta fuere circa puncta pacificationis Schismaticorum, et diploma Regis Poloniae super illis expeditum, et primum a Patre Valeriano, Capuccino, et deinde a Patre Magistro Sac. Palatii reformatum, Eminentissimi Patres imprimis censuerunt puncta praedicta, et Diploma, non solum prout fuerunt primo proposita, sed etiam prout postea a patre Valeriano fuerunt reformata, non posse admitti, nec a Sede Apostolica confirmari.

2. Eandem Sedem in huiusmodi negotio silere, aut dissimulare non posse, sed eisdem punctis, et Diplomati super illis expedito repugnare, et contradicere debere, etiam cum protestatione, tam Nuntii, quam Catholicorum, et praesertim Praelatorum utriusque ritus, et Regni Poloniae Procerum, tum propter materiam in eis con-

tentam (f. 40), legibus Divinis, et humanis repugnantem, tum propter protestationes Ordinum, et Cancellarii Regni Poloniae, praedicta puncta, et Regium Diploma admittentium, nisi Sedes Apostolica accedat assensus.

3. Conficiendam esse Instructionem pro Nuntio Poloniae, in qua contineantur supradictae resolutiones, et modus in repugnando, et contradicendo observandus: nam et tempus, et locus, et status, ac facies rerum in Polonia a praedicto Nuntio prudenter consideranda erunt, et secundum opportunitatem repugnandum, et contradicendum, ut vel praedicta puncta, et Diploma revocentur, et de Comitibus electoralibus, et coronationis amoveantur, vel saltem eorum executio impediatur, vel differatur, aut si id fieri nequeat Sed. Apost. dignitas conservetur, ac doctrinae illius puritas salva, et illibata permaneat.

4. Huiusmodi Instructionem examinandam esse in congregatione particulari Theologorum prius (in qua etiam Diploma a Magistro Sac. Pal. reformatum rursus considerandum, et discutiendum erit) et deinde in Congregatione Cardinalium referendam.

5. Et postremo, hanc Instructionem quamprimum ad praefatum Nuntium mittendam esse, ut ea diligenter considerata possit, antequam fiat Dieta Polonica sex hebdomadarum (f. 40v), ad quam negotium praedictorum punctorum, et Diplomatis per Comitiales Constitutiones remissum fuit, aliquid rescribere, si forte mandata in eadem Instructione contenta, ob mutatam rerum faciem, vel ob alias causas non sufficere, aut res Ruthenorum unitorum in peiorem statum per ea perducere posse existimaverit.

239.

Roma, 28 . III . 1634.

Correctio et approbatio Instructionis pro Nuntio Poloniae in materia dictae « pacificationis » a congregatione particulari perficitur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 41rv.

Die 28 Martii 1634.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum in Aedibus R.mi D. Boccabellae, cui interfuerunt ipsemet D. Boccabella, et RR.mi DD. Magister Sac. Palatii, et Paulutius et admodum RR. Patres Abbas Hilarion, et Theodorus, Capuccinus.

In ea examinata diligenter Instructione circa praedicta negotia ¹⁴⁵ pro Nuntio Poloniae compilata, postquam in diversis locis a praedictis Patribus (f. 41v) emendata fuit, et ab eisdem fuit etiam probata.

240.

Roma, 4 . IV . 1634.

Facultas datur Ep. Halicensi imprimere expensis S. Congregationis Missam Pontificalem slavonicam.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 49, nr. 23.

CONG. 191 - Die 4 Aprilis 1634 (f. 43).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardi-

¹⁴⁵ Cfr. nr. praecedentem, 238.

nales, videlicet: Ubaldinus, Bentivolus, Pamphylius, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et R.mi Domini Torniellus, et Assessor Sancti Offitii.

Relata instantia R.mi Episcopi Pinscensis¹⁴⁶ rutheni uniti, ut Missa Pontificalis iuxta ritum graecum compilata, et in slavonicam linguam translata imprimeretur in Typographia S. Congregationis, Eminentissimi Patres Oratoris petitioni annuerunt, et ad praedictam Missam examinandam Patres Horatium Justinianum, et Vincentium Richardum, Theatinum, deputarunt.

241.

Roma, 5 . VI . 1634.

De receptione duorum nepotum R. Korsak in Collegio Graecorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 53v-54, nr. 20.

CONG. 192 — Die 5 Junii 1634 (f. 49v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Sancti Sixti, Pamphylius, Ginettus, et Antonius, et R.mi DD. Torniellus, et Benessa.

Referente Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam R.mi Episcopi Pinscensis, ut in Collegio Graecorum de Urbe recipiantur duo eius Nepotes,¹⁴⁷ quos secum Romam duxit, cum dispensatione a iuramento (f. 54v) Alumnis Pontificiis a Sac. Congregatione praescripto, anno 1624, et a deposito pro reddito in Russiam, et non obstante, quod unus eorum ritu latino fuerit baptizatus, Emin.mi Patres, visis rationibus propter quas praedicta petuntur, in primis inclinarunt ad gratiam, et praecipuam in eo vim fecerunt quod dictus R.mus Episcopus virtute Coadiutoriae futurus est totius Russiae Metropolitae, a quo praecipue Ruthenorum Unio pendet. Deinde iusserunt agi cum Emin.mis praefati Collegii Protectoribus,isque sensum Sac. Congregationis significari.

242.

Roma, 5 . VI . 1634.

De facultate concedenda absolvendi monachos ad Unionem venientes a voto Religionis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 54, nr. 21.

Jun. 5.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitae Russiae pro facultate absolvendi monachos schismaticos venientes ad Unionem cum S. R. E. a voto Religionis, ut possint layci manere, si non sunt in Sacris, aut ad sacerdotium idonei, ut eos possit ut sacerdotes saeculares Parochiis, praesertim ruralibus praeficere,

¹⁴⁶ Raphaëlis Korsak, qui tunc Romae commorabatur.

¹⁴⁷ Agitur de Nicolao Korsak (filio Andreae et Catharinae Niemskiadia - sic! - qui admissus fuit die 16.VII.1634, in aetate 13 annorum ad studia grammaticae an. 1; patria erat Polocensis), et de Eustachio Korsak (admisso eadem die, aetate ann. 15, filio Joannis et Christinae Beckownae - sic! - patria Novogrodensi) - Cfr. *Chronica Alumnorum Collegii Graecorum*, fol. 11v-12.

S. D. N. huiusmodi negotium eidem D. Card. S. Sixti, et Emin.mis DD. Card. Oregio, et Ginetto commisit, cum aliquibus Sancti Officii consultoribus examinandum, et postmodum referendum.

243.

Roma, 5 . VI . 1634.

Instat Metropolitae Kioviensis, ut S. Sedes declaret Episcopos ruthenos esse veros episcopos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 54, nr. 22.

Jun. 5.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitae Russiae (f. 54v), ut declaretur Episcopos ruthenos unitos esse veros episcopos, licet in eadem civitate, in qua est latinus Episcopus, sint instituti, ut tollantur scandala populorum, quibus multi insinuant eos non esse veros episcopos, quia in eadem civitate non possunt esse duo catholici Episcopi, etiam si diversi ritus existant, S. D. N. huiusmodi negotium eidem D. Card. S. Sixti, et Emin.mis DD. Card. Oregio, et Ginetto commisit, ut illud cum aliquibus Sancti Offitii consultoribus examinent, et referant.

244.

Roma, 5 . VI . 1634.

De instituendo Processu super morte et miraculo Meletii Smotryckyj.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 55, nr. 24.

Jun. 5.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti partem litterarum ex Russia ad Episcopum Pinscensem scriptarum, in quibus de Meletio, Archiepiscopo Hieropolitano, Rutheno unito,¹⁴⁸ veneno a Schismaticis propinato vita functo, et de miraculo, quod in eius morte occasione Brevis Pontificii accidit, Sac. Congregatio censuit super praedictis morte, et miraculo conficiendum esse Processum, et ut canonice per Apostolicae Sedis Nuncium, in Polonia residentem, fieri possit, cum R.mis DD. Cerro, Promotore fidei, et Ruspiloso, Sac. Congregationis Rituum Secretario, agi iussit.

245.

Roma, 4 . VII . 1634.

Examinantur duae instantiae Metrop. Kioviensis: de eo ut Episcopi rutheni declarentur veri episcopi, et de dispensatione cum monachis Basilianis venientibus ad Unionem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 67v-69v.

Die 4 Iulii 1634 (f. 67v).

Fuit Congregatio in Palatio Emin. D. Card. S. Sixti super duobus negotiis Ru-

¹⁴⁸ Agitur de Meletio Smotryckyj, in monasterio Dermanensi vita functo die 27 septembris 1633. - Cfr. S. S. SABOL, *De Meletio Smotryckyj - Polemista anticatholico*, Romae 1951, p. 14; J. SUSZA, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis...*, ed. 2, Bruxellis 1863, p. 151-163, etc.

thenorum unitorum, et super negotio Ecclesiarum Rhetiae ab Haereticis occupatarum, cui interfuerunt cum Eminentia Sua, D. Card. Ginettus et Admodum RR. PP. Horatius Iustinianum, et Abbas Hilarion, Cisterciensis.

In ea 1^o: proposita instantia Metropolitanae Russiae, ut ad sedanda scandala, et periculum animarum evitandam declararetur, Metropolitanam Russiae, et Episcopos ruthenos unitos ritus graeci esse veros Episcopos, non obstante quod in eadem civitate, in qua sunt Ep., sint etiam Antistites latini ritus, Congregatio censuit praedictos Praesules ruthenos unitos esse veros Episcopos, nam licet Concilium Nicaenum primum allegatum a S. Augustino Epistola 118, et Lateranense Generale sub Innocentio 3^o, cap. primum, in plerisque de off. ordinarii et Cadicense can. 4^o. prohibeant, ne in una civitate duo ordinentur Episcopi, etiam si in ea sint populi diversi ritus, et linguae, quod confirmat Sanctus Hieronimus ad Rusticum in cap. In Aquil. 7. q. s. et Chalc. Concilium can. XI. similiter vetat, ne duo Metropolitanam in eadem (f. 68) Provincia fiant, tamen quia huiusmodi prohibitio est de iure positivo, Papa potuit, et potest dispensative duos Episcopos in eadem civitate, et duos Metropolitanam in eadem Provincia ordinare, ut sentit Abbas in dicto Capit. quantum in plerisque num. 4^o., et de facto legitur fuisse ordinatum Episcopum S. Augustinum in civitate Hiponensi, in qua Valerius erat Episcopus; quod S. Paulinus, ad Romanum scribens, notavit in cap. non autem 7. q. s: Novo, inquit, more ita consecratus est Augustinus, ut non succederet in Cathedram, sed accederet, nam incolumi Valerio Hipponien. Ecclesiae Episcopo coeptus est Augustinus. Idque a Pontificibus Romanis practicum esse conspicitur in civitatibus, in quibus sunt populi diversi ritus, ut videmus in Insulis Maris Aegaei, in quibus plerumque latinus Episcopus, cum graeco etiam catholico residet, idque fit dispensatione saltem tacita Romani Pontificis, cum causa cognita, et consistorialiter, ut dixit Barbosa in Collectaneis ad dictum cap. quantum in plerisque sub numero 3^o, etiam latini in locis illis promoveantur Episcopi.

Idem fuit practicum, et practicum in Russia, de qua agimus, nam per conventionem cum Clem. 8., dum Rutheni in unione (f. 68v) fuerunt recepti, initam, iidem Rutheni possunt in civitatibus, in quibus solebant ante unionem habere suos Episcopos licet in illis etiam latini Episcopi ordinentur, quam conventionem probavit Paulus V per suum privilegium datum Kal. Junii 1604 dum Metropolitanae Russiae, concessit, ut, sicut solebat, suos Episcopos ordinaret, dummodo Metropolita a suis Episcopis electus confirmationem a Sede Apostolica peteret, et obtineret, et tamen scribit Paulus, quod in illis civitatibus etiam latini Episcopi per Apostolicam Sedem ordinantur. Haec licet verissima sint in iure, nihilominus supradicti Emin.mi Domini Cardinales, et memorati Patres a declaratione petita esse abstinendum censuerunt, sufficereque dixerunt, si Patri Generali Societatis Jesu praecipiat, ut suis Religiosis Polonis, a quibus tantum contraria sententia, tam in privatis colloquiis, quam in publicis concionibus disseminatur, ne de caetero id faciant, et Nuntio Poloniae similiter scribatur, ut serio Provincialem Iesuitarum de hoc moneat, eique iniungat, ut Patribus Societatis ei subiectis silentium super huiusmodi re indicat, et imponat.

2^o. Proposita alia instantia eiusdem Metropolitanae, ut (f. 69) illi concederetur facultas dispensandi cum Monachis ruthenis schismaticis ad Unionem venientibus, ut si ordinibus sacris initiati non sint, possint ad saeculum reverti, et uxorem ducere; si vero in praedictis ordinibus fuerint constituti, ut eos possit secularizare, et parochiis praesertim ruralibus praeficere; cum huiusmodi Monachi libertati Schismaticorum assueti, difficile, imo non sine aliorum speciali periculo, vitam Unitorum monachalem ducere possint. Congregatio post disputatum articulum: An votum Monachorum schi-

smaticorum esset solemne, in quo tenuit (dissentiente tamen Patre Horatio Justiniano propter extravagantem Martin. V. ad evitanda scandala) votum esse simplex, quia Superiores schismatici carent omni iurisdictione, et consequenter nequeunt accipere ad professionem, proptereaque dispensare facilius, ac Metropolitanae facultatem dispensandi concedi posse, censuit cum eodem Patre Horatio eidem Metropolitanae scribendum esse, ut in singulis casibus occurrentibus consulat Sedem Apostolicam, quae ex circumstantiis eorum, negotio diligentius examinato, petitam facultatem vel concedet, vel denegabit, prout in Domino visum (f. 69v) fuit expedire.

246.

Roma, 14 . VII . 1634.

De confirmatione aliquorum privilegiorum pro Ruthenis unitis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 70, nr. 3.

CONG. 194 — Die 14 Iulii 1634 (f. 69v).

Fuit Congregatio in Quirinali, coram Sanctissimo cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Spada, Pamphylus, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et R.mi DD. Torniellus, et Assessor Sancti Officii.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Spada instantiam Metropolitanae Russiae, ut quaedam privilegia Ruthenis unitis a Regibus Poloniae concessa, et a moderno Rege confirmata, auctoritate Apostolica roborarentur, S. D. N. ad illa examinanda deputavit eundem Emin.mum Dominum Cardinalem Spadam, et Emin.mos Dominos Cardinales Pamphylum, et Ginettum.

247.

Roma, 14 . VII . 1634.

De legitimatione prolis Joannis Horain ex Schismate conversi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 77v-78, nr. 34.

Jul. 14.

Referente eodem R.mo D. Assessore Sancti Officii instantiam Metropolitanae Russiae, ut D. Joannes Horain, Nobilis ruthenus ex Palatinatu Vilnensi, quem amputato Schismate ad fidem catholicam convertit, eiusque Fr. defunctus, ac duae sorores, et si opus fuerit et proles earum legitimerentur, non obstante, quod nati sint ex matrimonio invalido, quia eorum mater legitimo matrimonio cum alio viro iuncta, ab illo, soluto matrimonio, more Graecorum recessit, et cum eorum patre contraxit. Idemque ne Schismatici, ob conversionem dicti Joanni infensi, eundem ac eius fratrem ac sorores, eorumque proles faciant (f. 78) declarari illegitimos, et per consequens, iuxta leges Poloniae, infames, et bonis omnibus privandos, Sac. Congregatio iussit huiusmodi negotium examinare per R.m Paulutium, Patrem Horatium Justinianum, et Patrem Vincentium Richardium, Theatinum, coram Emin.mo D. Card. Pamphyllo.

248.

Roma, 4 . VIII . 1634.

Congregatio particularis super legitimatione Joannis Horain: possibilitas et convenientia examinatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 96v-98v.

Die 4 Augusti 1634.

Fuit Congregatio particularis in Palatio Emin.mi D. Card. Pamphylii super legitimatione (D.) Joannis Horain, Nobilis rutheni uniti, eiusque sororum, cui cum Eminentia Sua interfuerunt R.mus D. Paulutius, et admodum RR. PP. Horatius Justinianus, et Vincentius Richardus, Theatinus.

In ea, proposita instantia Metropolitanae Russiae, ut dictus D. Joannes eiusque sorores, nuper a Schismate ad catholicam fidem conversi, a S.mo D. N. legitimarentur, ad honores, gradus, ac dignitates, et ad bona temporalia, successionesque ad illa, non obstante quod nati sint ex 2^o matrimonio ab eorum patre contracto, post repudiatam secundum ritum, seu potius abusum Schismaticorum primam legitimam uxorem, ne Schismatici ob eorum conversionem infensi illis quaestionem status, prout minantur, moveant, et iuxta Reipublicae Poloniae leges eos infames declarari, et bonis paternis privari curent, Congregatio in primis huiusmodi (f. 97) negotium ad 3 articulos reduxit, quorum primus fuit: de potestate Papae circa huiusmodi legitimationem, maxime extra statum ecclesiasticum; 2s: de convenientia concedendi petitam legitimationem; 3s, et ultimus: de modo tenendo in illa expedienda. Deinde praedictos articulos diligenter examinavit, et ad primum respondens tres conclusiones firmavit, quarum prima fuit: Papam non posse dispensare in radice matrimonii, de quo agitur, quia impedimentum ligaminis, quod provenit ex primo matrimonio valido, est de iure divino; 2a fuit: quamvis non possit dispensari in radice huius matrimonii, nihilominus Papa, sublatis poenis a iure humano adulterinis filiis inflictis, posse per dispensationem tollere eorum maculam, eosque ad honores, gradus, et dignitates, ac ad bona temporalia, et successiones ad illa habiles reddere, ex communi Doctorum in cap. per Venerabilem, qui filii sint legitimi; 3a et postrema fuit: posse Papam huiusmodi legitimationem concedere ad effectus praedictos, etiam in teris imperii, et Regum, ex causis, quae notantur a praedictis Doctoribus, in dicto cap. per Venerabilem.

Ad 2m articulum Congregatio dixit, non solum convenire, ut in nostro casu S.mus D. N. petitam legitimationem ad memoratos effectus contra poenas a iure humano inflictas concedat, sed etiam debere; primo, quia favor Religionis Catholicae id omnino exposcit, ne scilicet Schismatici, movendo quaestionem status Oratoribus, alios Schismaticos ex huiusmodi 2dis matrimoniis formatos, qui non erunt pauci propter repudia, quae apud Graecos, ex legibus Theodosii, Valentiniani, Anastasii, Iustiniani, et Justini, ut in lege consensus in L. si constante Cod. de repudiis, et novella 117, cap. 8., et 140, cap. primo, frequentantur, ab Unione cum Sancta Romana Ecclesia avertant, et ut ex concessa legitimatione Schismatici, ut supra nati, invitentur ad dictam Unionem; 2^o, quia cum his bellorum Poloniae turbulentissimis temporibus non expediat, ut Rex Poloniae huiusmodi legitimationem concedat, ne per eam irriter Schismaticos, quorum opera nunc potissimum indiget, eosque a contributionibus pecuniarum, et militum avvertat per huiusmodi legitimationis concessionem, repudia, quae faciunt Graeci, declarabuntur esse illicita, et contra evangeli-

cam (f. 98) veritatem, eorum communi usui, et legibus imperialibus, de quibus supra, repugnantes; 3^o, quia non potest negari filios natos ex hoc matrimonio huiusmodi gratia dignos esse, ac eam illis aliquo modo deberi, ne, ut evitent infamiam et periculum amissionis bonorum, cogantur redire ad Schisma, ut a quaestione statim cessetur.

Ad 3um: De modo expediendi huiusmodi legitimationem Congr. dixit: primo, narrandum esse factum, quod scilicet Oratores nati sint ex 2^o matrimonio ab eorum patre, post repudium legitimae uxoris secundum abusum Schismaticorum, contracto, quod repudium (ut in cap. Gaudemus de divitiis dicitur) Veritas in Evangelio reprobavit, et Sac. Concilium Tridentinum can. 7. sess. 24: de matrimonio, diffinit esse contra Evangelicam, et Apostolicam Doctrinam, ut qui legitimationem visuri sunt Schismatici, intelligerint, cognoscantque eorum errorem in separandis quoad vinculum legitimis conubiis; 2^o, dixit in concedenda huiusmodi legitimatione non esse causas exprimendas, sed infrascriptam clausulam tantum, videlicet, favore fidei, ac Religionis Catholicae aliisque causis animum nostrum moventibus; 3^o, (f. 98v) legitimationem generalem concedendam esse ad gradus, honores, dignitates, et ad bona temporalia, successionesque ad illa cum clausulis solitis, et consuetis.

249.

Roma, 11 . VIII . 1634.

De approbatione diversorum privilegiorum: confirmatio foundationis monasterii Minscensis Monialium Basilianarum, donatio pro monast. Leščinensi, reformatio monast. Vilnensis, fundatio Archiep. Smolenscensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 98v-101.

Die XI Augusti 1634.

Fuit congregatio particularis super confirmatione quorundam privilegiorum Ruthenis unitis a Rege Poloniae concessorum, in Palatio Emin.mi D. Card. Spadae, cui interfuerunt cum Eminentia Sua DD. Cardinales Pamphylius, et Ginettus.

In ea 1: Relata erectione Monasterii Novogrodensis monialium unitarum, facta a R.mo F. Josepho Metropolita Russiae anno 1630, apud ecclesiam collegiatam SS. Martyrum Borisi et Hlebi nuncupatam, cum dote partim ex elemosinis et largitionibus laycorum, partim ex bonis mensae Metropolitanae, ab ipso Metropolita donatis, et simul eiusdem erectionis confirmatione per Regem Poloniae facta cum¹⁴⁹ conditione, ut moniales in Unione cum S. R. E. permaneant, obedientiam praestent Metropolitanae, et Protoarchimandritae Generali Religionis monachorum S. Basilii, et post mortem modernae Priorissae praedictae moniales Priorissam sibi eligant cum approbatione eorumdem Praelatorum, Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit (f. 99), erectionem praedictam cum iis, quae in Regia confirmatione adduntur, auctoritate Apostolica esse confirmandam cum cautelis tamen sequentibus, videlicet.

1. Ut facta narrativa, quae continentur in erectione Metropolitanae omnino mutentur, ne Apostolica Sedes approbet modum loquendi Metropolitanae, qui se sola Miseratione Divina, et non etiam Sedis Apostolicae gratia Metropolitanam Chioviensem,

¹⁴⁹ Respectiva instrumenta videnda sunt in Bullis et Brevibus Pontificis, nec non inter Scripta Josephi Velamin Rutzkyj.

et totius Russiae facit, cum tamen certum sit ex iis, quae tempore Clem. VIII in Unione Ruthenorum sancita sunt, Metropolitae Russiae confirmationem a Romanis Pontificibus obtinere debeant.

2. Ubi fit mentio de Collegiata S.S. Martyrum Borisi et Hlebi, quia in Martyrologio Romano hi Martyres non inveniuntur, addatur verbum: nuncupata, vel verba: ut detur, vel: ut asseritur, ne Romana Sedes per huiusmodi confirmationem, sine debitis solemnitatibus, et non servatis servandis, illos Martyres approbare videatur.

3. Ubi fit mentio de confirmatione Apostolica petenda, quia modus ille dicendi Metropolitae non placuit, in narrativa donatorum a Metropolita bonorum dicatur, quod erectio facta ab eo fuit sub Sedis Apostolicae beneplacito.

(f. 99v) 4. Ubi dicitur, quod monasterium erigatur ex ligno vel muro, omittantur illa verba ex ligno vel muro.

5. Ubi ponitur poena anathematis, in Conciliis Sanctorum Patrum expressa, addantur verba, et Constitutionibus Apostolicis.

6. Et postremo, ut in confirmatione Apostolica nulla fiat mentio Regis Poloniae, nec eius confirmationis, ita tamen, ut conditiones de permanendo in Unione cum Sede Apostolica, de obedientia Metropolitae, et Protoarchimandritae Generali per moniales praestanda, et de Priorissae electione, cum eorumdem Praelatorum approbatione, de quibus in dicta confirmatione dicitur, non praetermittantur.

2. - Principaliter relata Regis Poloniae donatione monasterii Lescinensis¹⁵⁰ de Jure patronatus, ut dicitur, ipsius Regis, facta monachis ruthenis unitis, post eiusdem monasterii cessionem a monialibus Metropolitae et Episcopo Pinscensi, eorum vita durante, et post illorum mortem eisdem monachis ruthenis unitis factam, adiecta per ipsum Regem sua donationi conditione, quod si monachi praedicti ab Unione cum S. R. E. descendant ad ipsum, ac eius successores Reges iuspatronatus revertatur, et simul instantia Metropolitae Russiae, ut praedicta regia donatio Apostolica auctoritate confirmaretur, Congregatio (f. 100) censuit, si S.mo placuerit, petitam confirmationem concedendam esse, et expediendam in forma commissaria, ita tamen, ut in ea iuspat. regium exprimatur cum clausula: ut asseritur, vel ad Nuntium Poloniae pro informatione scribendum esse, quia agitur de praeiudicio monialium, quae ultimo loco praedictum monasterium possidebant.

3. - Relata reformatione monasterii Vlnensis Monachorum ruthenorum Ordinis, S. Basilii unitorum, facta a praedicto Russiae Metropolita, et a Rege Poloniae confirmata, et instantia eiusdem Metropolitae, ut etiam a Sede Apostolica confirmaretur, Congregatio censuit, si S.mo placuerit, confirmationem petitam esse concedendam, sed quia agitur de praeiudicio tertii, et praesertim Confraternitatis S.mae Trinitatis, propter administrationem eiusdem Confraternitatis, cum usu bonorum eius, praedictis monachis in dicta reformatione reservatam, praefatam confirmationem in forma commissaria esse expediendam, vel scribendum esse prout supra Nuntio Poloniae pro informatione.

4. - Et postremo, relata foundatione Archiepiscopatus Smolescensis¹⁵¹, facta a Sygismundo III, Poloniae Rege, et confirmata, et ampliata a moderno Rege Vladislao IV cum conditione, ut (f. 100v) Archiepiscopi sint cum S. R. E. uniti et subditos suos

¹⁵⁰ Monasterium Basilianorum in dioecesi Pinscensi, palatinatu Berestensi, prope civitatem Pinsk.

¹⁵¹ De hoc Archiepiscopatu iam antea multum agebatur, inde ab anno 1624/25, quo anno hic Archiepiscopatus Unitis fuit restitutus, et in Archiepiscopum Leo Creuza nominatus. - Cfr. *Indicem nominum et rerum praesentis voluminis*.

cum eadem uniri satagant, et simul instantia eiusdem Metropolitae Russiae pro Apostolica confirmatione praedictae foundationis, Congregatio in primis censuit, si S.mo placuerit, confirmationem petitam esse concedendam, et similiter expediendam in forma commissaria, vel, ut supra, scribendum esse Nuntio Poloniae pro informatione, quia fundatio potest esse preiudicialis praedicto Archiepiscopatu, dum in ea quaedam bona dantur in recompensationem quorundam paludium, quae erant prius dicti Archiepiscopatus. Deinde eadem Sac. Congregatio nonnulla notavit in dicta fundatione, quae alio modo erunt in Apostolica confirmatione exprimenda, et primo, quod Rex ecclesias multas, et iurisdictionem spiritualem Archiepiscopis donat, et concedit contra Sac. Canonum dispositionem, layci vero de ecclesiis, et ecclesiastica iurisdictionem nullam facere possunt dispositionem; 2. Prohibet, ne alii possint iurisdictionem spiritualem in dicto Archiepiscopatu exercere, ut ordinare sacerdotes eosque eximere a iurisdictione archiepiscopali et alia similia, de quibus Rex, ut supra, non potest disponere; 3. Ubi Rex Poloniae promisit, se non daturum Archiepiscopatum praedictum non subiectis Sedi Apostolicae, et si ipsi non subiecti per (f. 101) falsam narrationem illum obtinuerint, privilegium Regium deffinit esse invalidum et corrigendus erit hic modus dicendi; nam Rex non dat Archiepiscopatus, sed ad eos praesentat, et similiter non bene homines ritus graeci, Schismate infecti, dicuntur non subiecti Sed. Apostolicae, nam Schismatici, et Haeretici revera propter baptismum Romanae Sedi subiecti, et proinde mutanda erunt illa verba: non subiecti, in verba: non uniti; 4. Rex declarat Archiepiscopum subiectum esse Romanae Sedi, vel Metropolitae ab ea confirmato, eumque eximit ab omnibus aliis Metropolitis, eisque ac Episcopis prohibet, ne in eius dioecesi exerceant iurisdictionem sub gravi multa, de quibus ipse Rex, ut supra dictum est, disponere non potest.

250.

Roma, 28 . VIII . 1634.

Emendatur et approbatur Decretum congregationis particularis de erectione monasterii monialium Basilianarum Minscensium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 104rv, nr. 8.

CONG. 196 — Die 28 Augusti 1634 (f. 101).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt 10 Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Caetanus, Spada, Sancti Sixti, Pamphylius, Montius, pro prima vice, Ginettus, et Antonius, et R.mi DD. Homodaues, Tornielius, et Benessa.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Spada Decreta edita in Congregatione particulari, habita coram Eminentia Sua, die XI huius, circa quaedam privilegia a Rege Poloniae ad favorem Ruthenorum unitorum expedita¹⁵², Sac. Congregatio quoad erectionem monasterii monialium Novogrodensium censuit, si S.mo placuerit, Decretum pro confirmatione dictae erectionis in dicta congregatione particulari editum probandum esse, deletis iis, quae dicuntur de S. S. Borisio, et Hlebo, et loco eorum positus uno, vel duobus confinibus cum clausula: et alios notissimos fines. Quod vero ad monasteria Lescinense, et Vlnense, et Archiepiscopatum Smolescensem, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, scribendum esse Nuntio Poloniae pro infor-

¹⁵² Cfr. nr. praecedentem, 249.

matione. Eodem die S. D. N. sententiam Sac. Congregationis probavit, et quoad erectionis monasterii monialium Novogrodensium confirmationem mandavit narrativam incohari per verba: exposuit nobis Venerabilis Frater Joseph, Metropolita Chioviensis, et totius Russiae etc. (f. 104v), et dispositivam concipi cum verbis: quare eiusdem Metropolitae supplicationibus inclinati de Venerab. Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotio propagationis fidei in universum mundum praepositorum consilio etc. Porro confines, qui exprimi poterunt in confirmatione erectionis monasterii monialium Novogrodensium sunt, quae sequuntur: iuxta ecclesiam collegiatam Novogrodensem sitam in colle ad duos puteos nuncupato, et alios suos notissimos confines.

251.

Roma, 28 . VIII . 1634.

Examinatur instantia Metropolitae Kioviensis, ut possint famuli Latini Ritus se accommodare ieiuniis Graecorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 106, nr. 14.

Aug. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Sixti instantiam Metropolitae Russiae, ut ad tollendam in domo sua, et Episcoporum suorum confusionem, et scandala dispensaretur cum eorum servis, et famulis latini ritus, ut possint se in festis, et ieiuniis accommodare cum eis, ac reliqua familia graeci ritus, S. D. N. ad examinandum huiusmodi negotium deputavit eundem Em. D. Card. S. Sixti, et Emin. Dominos Card. Montium et Ginettum, cum aliquibus qualificadoribus S. Officii, per eundem D. Card. S. Sixti eligendis.

252.

Roma, 28 . VIII . 1634.

Instat Metropolita Kioviensis, ut facultas ei concedatur creandi Notarios auctoritate Apostolica ad augmentum Unionis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 106rv, nr. 15.

Aug. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Sancti Sixti instantiam Metropolitae Russiae, ut Notariis ab eo, eiusque creatis, et creandis pro suarum Ecclesiarum usu, et necessitate (f. 106v) auctoritas Notariorum Apostolica auctoritate concederetur, ita ut in authenticandis instrumentis, ac scripturis per eos conficiendis, vel approbandis possint se ut Notarii Apost. auctoritate facti subscribere, Sac. Congregatio animadvertens Ruthenos unitos quotidie magis diversis eorum petitionibus agnoscere Romani Pontificis Primatum, et quod per instrumenta, quae Notarii praedicti Metropolitae, et Episcoporum conficiunt cum subscriptione, quod sint auctoritate Apostolica facti, posteris Ruthenorum Unio cum S. R. E. manifestabitur, censuit, si S.mo placuerit, concedendam esse eidem Metropolitae potestatem creandi auctoritate Apostolica Notarios pro usu ac necessitate Ecclesiae suae Metropolitanae et cathedralium unitarum. Eodem die S. D. N. Decretum Sac. Congregationis probavit, et iussit expediri Breve.¹⁵³

¹⁵³ Cfr. DE MARTINIS, *Iuris Pontifici de Propaganda Fide Pars Prima*, vol. I, Romae 1888, p. 166.

253.

Roma, 28 . VIII . 1634.

Decisio congregationis particularis de legitimatione Joannis Horain confirmatur cum expeditione Brevis ad Nuntium Poloniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 107v, nr. 18.

Aug. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pamphyllo congregationem particularem, habitam coram Eminentia Sua, super legitimatione D. Joannis Horain, Rutheni uniti, S. D. N., quod in praedicta congregatione fuit resolutum, probavit, iussitque expedire Breve legitimationis praedictae, illudque ad Nuntium Poloniae mitti, iniuncto ei mandato, ut antequam praefatum Breve D. Joanni tradat, cum Rege Poloniae agat, et si nullam Rex in illius executione faciat difficultatem, praefatum Breve dicto D. Joanni consignet; si vero Rex contradicat illud retineat, et de toto tractatu coram dicto Rege super hoc negotio habito Congregationem certiore faciat.

254.

Roma, 18 . IX . 1634.

Unio Armenorum Leopoliensium iuxta formulam Unionis Berestensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 128v-129, nr. 41.

CONG. 197 - Die 18 7bris 1634 (f. 116v).

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Pamphylus, Montius, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et R.mi DD. Homodaeus, et Torniellus.

Instante R.mo D. Nicolao Torosevito, Archiepiscopo Leopoliensi nationis Armenorum, pro unione sua, suaeque provinciae cum S. R. E., iuxta formam, qua Rutheni uniti in Unione cum eadem S. R. E. tempore foelicis r. (f. 129) Clementis VIII recepti fuerunt, S. D. N., ut retulit Emin.mo D. Cardinalis Antonius Sac. Congregationis de Prop. Fide Praefectus, ad huiusmodi negotium examinandum deputavit eundem D. Card. Antonium et Eminentissimos Dominos Cardinales de Cremona, Pamphylum, Verospium, Brancacium, et Oregium, et R.mum Dominum Datarium.¹⁵⁴

255.

Roma, 21 . XI . 1634.

De captivis ruthenis in Tartaria, qui iterum matrimonium contrahere cupiunt.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 135rv, nr. 3.

CONG. 198 - Die 21 Novembris 1634 (f. 134).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Caponius, S. Honuphrii, Spada, Sancti Sixti, Montius, Barberinus, et Ginettus, et R.mi DD. Homodaeus, et Torniellus.

¹⁵⁴ Cfr. G. PETROWICZ, *L'unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede*, Romae 1950.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Caponio litteras Patris Emidii Praefecti Missionis Tartariae de mulieribus Ruthenis, et Polonis captivis adolescentibus, marito ante captivitatem iunctis, et in specie de illis, quae celebrato in facie Ecclesiae matrimonio, ceptae fuerunt ante ipsius matrimonii consumationem, quae omnes instant, ut cum aliis viris matrimonium contrahere possint, cum eis impossibile sit cum primis viris amplius coniungi.

Idem de illis mulieribus exquiritur, quorum mariti (f. 135v) fiunt Turcae, quae similiter petunt licentiam contrahendi cum aliis. Sac. Congregatio dixit indissolubilia esse matrimonia legitime facta, et propterea non posse annui mulierum praedictarum petitioni.

256.

Roma, 16 . XII . 1634.

Congregatio particularis super miraculis in morte Meletii Smotryckyj; res committitur Nuntio Poloniae examinanda.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 158v-159.

Die 16 Decembris 1634.

Fuit congregatio super miraculis, quae contigere in morte Meletii, Archiepiscopi Hieropolitani rutheni uniti, apud R.mum D. Homodaeum, Pronotarium Sac. Congregationis de Prop. Fide, cui interfuerunt ipse Dominus Homodaeus, et R.mi Domini Cerrus, fidei promotor, et Rospigliosius, Secretarius Sac. Congregationis Rituum.

In ea, relatis praedictis miraculis ex litteris Metropolitanae Russiae, ac Praepositi Societatis Jesu Vilnensis, et cuiusdem monachi rutheni uniti, praefati R.mi Domini convenerunt in infrascriptis conclusionibus.

1. Non debere ex solis relationibus praedictorum neque in genere, neque in specie decerni Remissoriales, sed Nuntio Apostolicae Sedis scribendum esse, ut extraiudicialiter de praedictis miraculis se informet, et referat.

2. Habita informatione a Nuntio, ei iniungendum esse, ut Ordinarium loci comoneat, sine tamen spirituali commissione, ut sua ordinaria auctoritate Processum super praedictis (f. 159) miraculis conficiat ad Urbem transmittendum, ut cum eo a Sac. Rituum Congregatione decerni possit, an Remissoriales tam generales quam spirituales expediendae sint.

3. De huiusmodi negotio prius agendum esse in proxima Sac. Rituum Congregatione, si S.mo videbitur, ut cum ipsius Congregationis consilio, et consensu hoc negotium ut supra, vel alio modo ei bene viso dirigatur.

4. Et postremo, R.mo D. Cerro iniunctum fuit, ut de praedictis omnibus cum Sanctissimo D. N. agat, et praesertim pro habendo Sanctitatis Suae beneplacito circa communicationem huius negotii cum Sac. Rituum Congregatione, ad effectum, de quo supra, etc.

Die IX Ianuarii 1635.

Fuit facta relatio S. D. N. et Sanctitas Sua approbavit omnia resoluta in congregatione, habita coram Ill.mo et R.mo D. Homodaeo. Antonius Cerrus, Promotor Fidei.

Die XX Ianuarii 1635.

Sac. Congregatio Rituum approbavit resolutiones factas in congregatione supra dicta.

Iulius Ruspigliosius, Sac. Congregationis Rituum Secretarius.

257.

Roma, 19 . I . 1635.

Metropolita Kioviensis petit, ut res Ruthenorum Episcopis latinis Poloniae commendarentur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 170rv, nr. 26.

CONG. 200 - Die 19 Ianuarii 1635 (f. 162v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt decem Cardinales, videlicet: Caponius, S. Honuphrii, Spada, Sancti Sixti, Pamphilius, Sancta-crucius, in Congregatione a Sanctitate Sua adscriptus, pro prima vice, Montius, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et R.mi D. ni Homodaeus, Torniellus, Ceva, Principum Secretarius pro prima vice, et Assessor Sancti Officii.

Referente Emin.mo D. Card. Sancti Sixti ultimum statum Ruthenorum unitorum ex litteris Metropolitanae (f. 170) Russiae, et quae acta fuerunt in Synodo Episcoporum latinorum Poloniae pro praedictis Unitis, petitionesque Metropolitanae, ut praedictis latinis Episcopis res Ruthenorum comendantur, Sac. Congregatio iussit huiusmodi negotium in Congregatione alias pro Ruthenis unitis instituta examinari.

258.

Roma, 28 . II . 1635.

De quattuor punctis R. Korsak in instructione novi Nuntii Poloniae inserendis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 193v, nr. 27.

CONG. 201 - Die 28 Februarii 1635 (f. 185v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Caponius, Pamphilius, Montius, Ginettus, Antonius, et R.mi Domini Homodaeus, et Torniellus.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Montis instantiam R.mi D. Episcopi Pincensis rutheni uniti, ut 4r puncta in instructionibus dandis R.mo D. Philonardo, Archiepiscopo Avenionensi novo Poloniae Nuncio,¹⁵⁵ insererentur, Sac. Congregatio iussit praedicta puncta examinari in congregatione particulari pro Ruthenorum negotiis instituta.

259.

Roma, 5 . III . 1635.

Professio fidei catholicae Nicolai Torosowicz, Ep. Armeni Leopoliensis, cum participatione R. Korsak, tunc Romae commorantis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 198v-199, nr. 48.

Die 5 Martii 1635.

R.mus D. Nicolaus Torosevicius, Archiepiscopus Leopoliensis Nationis Armenorum, professionem fidei lingua polonica, interpretante R.mo D. Raphaelae Corsak,

¹⁵⁵ Marius Filonardi, Archiepiscopus Avenionensis, Nuntius in Polonia ab an. 1635 (12.IV) ad an. 1643 (2.X).

Episcopo Pincensi rutheno unito, iuxta formam iussu S. D. N. nuper editam pro Orientalibus emisit in Palatio Emin. mi D. Card. de Cremona, coram eodem D. Card., et DD. Cardinalibus Burghesio, et Antonio, praesentibus ibidem R. mis Dominis Episcopis Vercellensi, et Camerinensi, ac R. P. D. Homodaeo, aliis Praelatis, et admodum R. P. Domino Paulo Alaleono, 1^o Cerimoniarum magistro, pluribusque aliis eorundem Card., Episcoporum, et Praelatorum familiaribus, sub rogatu D. Joannis Antonii Thomasi, Sancti Officii Notarii, post quem actum memoratus Card. de Cremona luculentam habuit ad praedictum Archiepiscopum orationem, qua post commendatam eius pietatem, ac zelum erga catholicam fidem, et expositas diversas ab Armenis factas cum Sede Apostolica Uniones, et ponderatum miraculum, quod in eorum Unione sub Eugenio 3^o facta contigit, eundem Archiepiscopum hortatus est, ut in fide catholica ab eo professam (f. 199) constans permaneat, ac ita verbo, et exemplo se gerat, ut spei a S. D. N. de progressibus per eum in Armenam Nationem faciendis conceptae omnino respondeat, cui orationi, per praedictum R. mum Episcopum Pincensem lingua polonica repetitae, praefatus Archiepiscopus longa oratione, interpretante eodem Pincensi Episcopo, post gratiarum actionem respondit fidem catholicam a se iam 3^o professam, usque ad mortem, Deo iuvante, conservaturum ac pro illa, si opus fuerit, martyrium subiturum.¹⁵⁶

260.

Roma, 12 . III . 1635.

Congregatio particularis de petitione Metropolitanae Kioviensis, ut ei aliisque Episcopis facultas concederetur dispensandi familiares in Curiis inservientes ab observatione ieiuniorum Ritus Latini, rationibus consideratis negativum tulit votum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 199-201.

Die 12 Martii 1635.

Fuit congregatio super dispensatione Metropolitanae Russiae petita circa ieiunia et festa in Palatio R. mi D. Card. Sancti Sixti, cui interfuerunt cum Eminentia Sua P. Horatius Iustinianus, Abbas Hilarion, Cisterciensis, Pater Lucas Vadingus, Richardius, Theatinus.

In ea, proposita petitione praedicti Metropolitanae Russiae, ut ei concederetur facultas dispensandi cum familiaribus, et domesticis suis latinis,¹⁵⁷ ac suorum Episcoporum (f. 199v) ruthenorum unitorum, ut possint circa ieiunia, et festa vivere ritu graeco, ad evitandam incommoditatem in parandis diversis cibis pro Latinis, et Graecis, ac in servilibus operibus per praedictos Latinos praestandis, et denique ad removenda scandala, quae succedunt dum nec Latini sua, nec Graeci propria servare posse videntur ieiunia, Congregatio dixit quamvis dispensatio, seu facultas dispensandi petita concedi possit a Papa, quia modus, et determinatio temporis ieiuniorum, et festorum sunt de iure positivo secundum communem Theologorum, nihilominus non expedit, ut illa concedatur per infrascriptas rationes.

1. Quia huiusmodi facultas nihil aliud importare videtur, nisi licentiam transeundi de ritu latino ad graecum, quod est contra praxim Sancti Offitii, in qua conceditur

¹⁵⁶ Cfr. hac de re G. PETROWICZ, *op. cit.*, p. 65-72.

¹⁵⁷ Cfr. supra, nr. 251.

quidem Graecis transire ad latinum ritum, sed non e contra Latinis transire ad graecum ritum.

2. Quia cum Innocentius IV in epistola ad Legatum Cypri, ubi agit de ieiunio diei Sabbati (f. 200) in Quadragesima, dicat quod honestius, et salubrius Graeci agerent si sic toto illo tempore abstinerent, ut nec unico die institutum a se ieiunium violarent, non recte concederetur Latinis, ut ieiunium diei Sabbati in Quadragesima violent.

3. Quia licet expedire forsitan tollerare, ut Latini in locis, ubi soli Graeci degunt, se accomodarent ad ieiunia, et festa Graecorum, ut aliquando concessum fuit Missionariis, tamen in locis Latinorum, aut ubi promiscue habitant Latini, et Graeci nullo modo convenit connivere, aut tollerare, ut Latini more Graecorum vivant, quia id expresse per argumentum a contrario sensu prohibetur a Clem. VIII, dum in suis Constitutionibus pro Graecorum rituum reformatione ait: tolerandus est apud Graecos usus carniū die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, et inter eos tantum; si enim Graecis ipsis non conceditur usus carniū die Sabbati, nisi in eorum locis, et inter eos tantum, quomodo poterit (f. 200v) concedi Latinis in locis Latinis, et Graecis communibus.

4. Quia Graeci ob non receptam Calendarii Gregoriani correctionem Pascha interdum celebrant contra Concilii Nicaeni dispositionem, ut anno praeterito accidit, quod Latinis non debet permitti non solum propter tanti Concilii auctoritatem, sed etiam quod interdum eveniet, ut praecepto de communicando in Paschate, iuxta Concilium Generale sub Innocentio 3^o, minime satisfaciant, et propterea petita facultas non solum respicit ieiunia, et festa, sed etiam Sacramentorum sumptionem.

5. Quia apud Ruthenos sunt quaedam festa Sanctorum de quorum Canonizatione non constat, et ex eis nonnulli fortasse sunt, qui tempore Schismatis floruerunt, quare non debet Latinis indulgeri, ut illa festa observare possint.

6. Cum Graeci excommunicant Latinos, quia ieiunant die Sabbati, ut patet ex Can. 55 Synodi Trullanae, sive quini sextae, non videtur expedire, ut Latinis concedatur violatio ieiunii diei Sabbati, ne ipsi Graeci Ecclesiam Romanam calumnientur (f. 201) dicentes, eam per huiusmodi concessionem suam agnovisse errorem.

7. Et postremo, huiusmodi facultas non videtur concedenda sine scitu Regis Poloniae, et Episcoporum latinorum, nam ille forsitan praedictae facultatis exercitium impedit, sicut eius Pater impedivit publicationem Decreti de prohibito transitu Ruthenorum unitorum ad ritum latinum, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, et isti male audient Latinos illis subditos ab eorum iurisdictione subtrahi quoad ieiunia, et festa, et Sacramenta; ex quibus rationes Metropolitanae pro affirmativa tollerentur, nam propter negativa adducuntur et numero plures, et pondere fortiores existunt.

261.

Roma, 28 . V . 1635.

De difficultatibus Prioris Leopoliensis Dominicanorum in erectione novi conventus in confinibus Russiae et Moscoviae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 240v, nr. 13.

CONG. 204 - Die 28 Maii 1635 (f. 236v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, S. Sixti, Pamphilius, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Homodaeus, Tornielius, et Ceva.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Spada litteras Patris Joannis Damasceni, Prioris Dominicanorum Leopoliensium de Archiepiscopo Armeno Leopoliensi unito, quem commendabat, et de impedimentis, quae habet a Palatino Chioviensi in erectione Conventus in Morachua,¹⁵⁸ parte postrema Russiae, prope Tartaros, et Circassos, per quem Conventum facilis esset accessus ad convertendos Tartaros, et Circassos, Sac. Congregatio iussit scribi Nuntio Poloniae, ut post assumptas debitas informationes cum dicto Palatino vel Rege, si opus fuerit, agat pro remotione praedictorum impedimentorum.

262.

Roma, 28 . V . 1635.

Petitio J. Horain, ne Breve dispensationis ostenderetur Regi Poloniae, in congregatione particulari statutur examinanda.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 243rv, nr. 19.

Maii. 28.

Referente Emin.mo D. Cardinali S. Sixti petitionem D. Horayn, ut praeciperetur Nuntio Poloniae, ne suae legitimationis Breve Regi ostenderet, iuxta Decretum alias (f. 243v) factum, ob rationes a Metropolita Russiae adductas, S. mus D. N. iussit illam examinari in congregatione particulari, alias pro huiusmodi negotio instituta.

263.

Roma, 28 . V . 1635.

Variae petitiones Metropolitae Kioviensis examinandae statuuntur in congregatione particulari.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 243v, nr. 20.

Maii 28.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali S. Sixti 4 petitiones Metropolitae Russiae circa Latinos, qui fieri volunt Basiliani monachi ritus graeci, circa alienationem bonorum ecclesiasticorum, et Alumnos, quos ipse Metropolita misit ad Collegium Graecorum Urbis, et demum circa communicationem privilegiorum monachis Sancti Basilii Congregationis Italiae concessorum, S. D. N. iussit primam petitionem examinari in Sancto Offitio, reliquas vero in congregatione particulari, alias pro Ruthenis instituta, coram Emin.mo Spada.

264.

Roma, 20 . VI . 1635.

Iterum examinatur petitio J. Horain de non ostensione Brevis legitimationis Regi Poloniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 254, nr. 2.

Jun. 20.

Proposita iuxta S. D. N. mandatum, de quo in praecedenti congregatione, instantia

¹⁵⁸ Murachwa, vel Morachva, oppidum in Podolia, districtu Vinnycia, super flumen eiusdem nominis. - Cfr. *Encyklopedyja Powszechna*, vol. XIX, p. 71.

D. Joannis Horaym, ut praeciperetur Nuntio Poloniae, ne suum legitimationis Breve Regi ostenderet sed ei illum traderet, per rationes a R.mo Metropolita Russiae exhibitas, Congregatio censuit, si negotium est publicum, standum esse in Decretis alias factis, ut scilicet Nuntius Poloniae agat prius cum Rege de praedicto Breve, et iuxta litteras ad eum de mandato eiusdem S. D. N. datas, faciat. Si vero est occultum censuit posse per viam poenitentiarum expediri legitimationem praedicti D. Joannis eo modo, quo dictum est in congregatione particulari, habita super hoc eodem negotio; dimissis praefatis R. P. D. Paulutio, et Theologis praedictis fuit habita sequens congregatio particularis.

265.

Roma, 30 . VII . 1635.

Iterum de miraculo in morte Meletii Smotryckj S. Congregatio remittitur ad S. Congr. Rituum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 290, nr. 57.

CONG. 206 - Die 30 Iulii 1635 (f. 272v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, S. Sixti, Pamphylius, Lugdunensis, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Torielli, et Ceva.

Referente R. P. D. Homodaeo litteras Nuntii Poloniae de miraculis, quae contingere in morte b. m. Meletii Archiepiscopi Hieropolitani rutheni uniti, occasione Brevis Apostolici, quo ei archiepiscopalis titulus a S. D. N. fuerat collatus, Sanctitas Sua mandavit agi cum Promotore fidei pro Remissorialibus ad probanda praedicta miracula expediendis.

266.

Roma, 17 . VIII . 1635.

De petitionibus Metropolitae Rutskyj de bonis ecclesiasticis S. Congregatio exquirat opinionem Nuntii Poloniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 293, nr. 8.

Die 17 Augusti 1635 (f. 290v).

Fuit Congregatio particularis super diversis negotiis in Palatio Emin.mi D. Cardinalis Spadae, cui interfuerunt cum Eminentia Sua Domini Cardinales Pamphylius, et Ginettus.

Relatis quinque petitionibus Metropolitae Russiae circa facultatem alienandi bona suae Ecclesiae, et nonnulla alia ad ecclesiastica bona Ruthenorum unitorum pertinentia, de quibus in eius libellis supplicibus latius habetur, Congregatio iussit scribi ad Nuntium Poloniae pro informatione et voto.

267.

Roma, 24 . IX . 1635.

De bona dispositione Regis erga Ruthenos nec non de patriarchatu in Russia erigendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 10, fol. 318v, nr. 26.

CONG. 208 - Die 24 Septembris 1635 (f. 311v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, S. Sixti, Barberinus, Ginettus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Torielli, et Caeva.

Retulit idem Emin. mus D. Card. Sancti Sixti litteras Nuntii Poloniae, in quibus significabat: 1^o, dispositionem Regis optimam in Ruthenos unitos, et erga novum Patriarcham Constantinop.; 2^o, eundem Regem cogitasse de Patriarcha in Regno Poloniae constituendo,¹⁵⁹ sed Rutheni schismatici non consentirent, etsi Patriarcha Constantinop. esset haereticus; 3^o, eundem Regem Unionem Archiepiscopi Leopoliensis armeni non probasse, si tamen fieret Patriarcha in Persia gratam haberet praedictam Unionem.

268.

Roma, 24 . IX . 1635.

Consideratur novum mandatum procuratorium pro conficiendo Processu Beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 319-320, nr. 29.

Sept. 24.

Referente Emin. mo D. Card. Antonio, Sac. Congregatio mandatum, seu Procuratorium ab Eminentia Sua, tam suo, quam Congregationis nomine factum, cum promissione de rato in causa Beatificationis piae mem. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis rutheni uniti, sub die prima Augusti proxime praeteriti in persona R. mi D. Raphaelis, Episcopi Pincensis rutheni uniti confirmavit, approbavit, et ratificavit in omnibus, et per omnia.

Tenor vero dicti mandati, seu Procuratorii, est quod sequitur: Emin. mus D. Card. Antonius¹⁶⁰ Sac. Congregationis de Prop. Fide Praefectus, inhaerens instantiae eiusdem Sac. Congregationis S. mo D. N. factae anno 1624 die 31 Maii, ut signare dignaretur supplicationem pro conficiendis Processibus super vita, morte, et miraculis (f. 319v) Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis rutheni uniti, ob defensionem Primatus S. R. E. interfecti a Schismaticis, et similiter diversis aliis instantiis apud Auditores Sac. Rotae Romanae nomine eiusdem Sac. Congregationis factis pro expeditione favorabili causae Beatificationis praedicti Servi Dei Josaphat, sciensque a Sac. Rituum Congregatione expediendas esse novas Remissoriales de spirituali eiusdem S. D. N. mandato ad conficiendos ultiores Processus in eadem causa, auctoritate sui officii Praefecturae, scilicet eiusdem Sac. Congregationis nomine, pro qua re ratefecit, constituit, et deputavit R. mum D. Raphaellem Korsach, Pincensem Episcopum ruthenum unitum, Procuratorem spiritualem ipsius Sac. Congregationis in eadem causa ad eius nomine comparendum, dicendum, instandum, et faciendum quaecumque fuerint necessaria, et opportuna tam pro praedicti novi Processus incoha-tione, prosecutione, et terminatione, quam pro caeteris aliis usque ad finem prae-

¹⁵⁹ Cfr. D. TANCZUK, *Conamina unionistica in Ecclesia Ruthena in primo dimidio saec. XVII* (Dissert.), Romae 1939.

¹⁶⁰ Card. Antonius Barberini, ut videtur iunior, qui fuit Praefectus S. C. de Prop. Fide, annis 1631-1671; qui tamen impeditus saepe saepius in solidum substituebatur ab Antonio Barberini, seniore (1632-1646). - Cfr. G. PETROWICZ, *op. cit.*, p. 322.

dictae causae faciendis, gerendis et exequendis omni etc., et cum facultate substituendi unum, vel plures Procuratores ad praedicta omnia, facienda, gerenda, et exequenda omni etc. (f. 320) Datum Romae in aedibus solitae eius habitationis, die prima Augusti 1635.

269.

Roma, 3 . X . 1635.

De litteris remissorialibus pro conficiendo Processu de miraculo in morte Meletii Smotryckij.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 324v, nr. 1.

Die 3 Octobris 1635 (f. 324v)

Fuit Congregatio particularis apud R. P. D. Homodaeum, cui interfuerunt idem Dominus Homodaeus, et RR. PP. Antonius Cerrus, fidei Promotor, et Fachinettus, Sac. Congregationis Rituum Secretarius.

In ea, primo, actum fuit iuxta Decretum Sac. Congregationis de Prop. Fide de Remissoriali expedienda a Sac. Rituum Congregatione pro miraculis, quae contingere in morte Meletii, Archiepiscopi Hieropolitani rutheni uniti probandis,¹⁶¹ et cum lectae fuissent litterae Nuntii Poloniae super eisdem miraculis Congregatio dixit agendum esse de huiusmodi negotio in dicta Sac. Congregatione Rituum, quod ut fieri quamquam possit, iussit copiam dictarum litterarum cum prima relatione de eisdem miraculis tradi eidem R. P. D. Fachinetto, et aliam copiam dictarum litterarum R. P. D. Cerro, ut possint in dicta Sac. Congregatione Rituum de eis referri.

270.

Roma, 10 . XII . 1635.

De incorporatione Episcopatus Lippensis ad Provinciam Kioviensem, facta a Metropolita Rutskyj.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 10, fol. 356v-357, nr. 22.

CONG. 211 — Die X Xbris 1635 (f. 350).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, S. Sixti, Pamphylus, Lugdunensis, Barberinus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Torielli, et Caeva.

Referente eodem Emin. mo D. Cardinali Sancti Sixti litteras Metropolitanae Russiae, in quibus instabat, ut confirmaretur (f. 357) incorporatio Episcopatus Lippensis, Daciae Alpestris, nuncupatus Transilvaniae in Ruthenam Provinciam ab eo facta mediante Longino Lipae Episcopo cum clausula: reservato beneplacito Apostolico, S. mus D. N., considerans negotium huiusmodi gravissimum esse propter consequentias, quas secum trahere potest praedicta incorporatio, part. congregationem ad illud examinandum instituit habendam coram eodem Emin. mo D. Card. S. Sixti cum Praelatis, et Officialibus Sac. Congregationis Consistorialis, videlicet RR. PP. DD. Datario, Maraldo, Paulutio, Cerro, et Joanne Baptista Dono, Secretario, et Philippo Casono, Computista.

¹⁶¹ Cfr. supra, nr. 265 (die 30.VII.1635), nr. 256 (die 16.XII.1634) et nr. 244 (die 5. VI. 1634).

271.

Roma, 11 . II . 1636.

*De missione duorum monachorum Dominicanorum ruthenorum in Tartariam.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 27rv, nr. 40.

CONG. 213 — Die XI Februarii 1636 (f. 17v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Sancti Sixti, Pamphylus, Ginettus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Torielli.

Referente Emin.mo D. Card. Antonio Sac. Congregatio inter Missionarios Tartariae Praecopensis annumeravit Fratrem Thimoteum Makolinski, Polonum, Ordinis Praedicatorum, quoad scientiam, et mores a Generali eiusdem Ordinis approbatum, eumque P. Reginaldo Paulino dictae Missionis Praefecto (f. 27v) subiecit, eique iniunxit, ut duos Ruthenos eiusdem Ordinis alias inter Missionarios eiusdem Missionis connumeratos secum in Tartariam ducat, quibus omnibus viaticum solitum decrevit.

272.

Roma, 11 . II . 1636.

Designatio congregationis particularis ad examinandam Unionem Universalem Ruthenorum secundum propositiones Principis Sangusko.

APF, *Scritture riferite nelle Congregazioni Generali*, vol. 338, fol. 234v et 261 (manu Fr. Ingoli).

SMURLO E., *Le Saint-Siège...*, p. 252, nota 219.

Die XI Februarii 1636.

Relata post Congregationem de Propaganda Fide S.mo Domino Nostro Palatini Volhiniae significatione de dispositione Metropolitae Russiae et Episcopi Luceo-riensis, Schismaticorum, a quibus fere tota Nobilitas ruthena schismatica et Cosachi dependent, ac de modo tenendo in procuranda per ipsum et praefatos Prelatos Unionem Universali Ruthenorum schismaticorum cum Sancta Romana Ecclesia, et simul eiusdem Palatini instantia, ut secreta de huiusmodi Unione tractantur propter pericula quae imminerent praefatis Prelatis si inopportune negotiatio huiusmodi manifestaretur, Sanctitas Sua ad examinandum huiusmodi negotium deputavit Em.mos DD. Cardinales S. Sixti, Barberinum et Antonium, quibus ...et singulis secretum, quod in S. Offitio servatur, iniunxit.

(Haec adnotatio non invenitur in Actis S. C., ut videtur propter secretum; et in genere pauca tantummodo adsunt de hoc unionistico conamine Principis Sanguško).

273.

Roma, 14 . IV . 1636.

*De Alumnis ruthenis in Collegiis Brunsbergensi et Vilnensi.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 60, nr. 9.

CONG. 215 — Die 14 Aprilis 1636 (f. 58v).

Fuit Congregatio de Propaganda Fide in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Caetanus, Spada, S. Sixti, Lugdunen., Albernotius, Pamphylus, et Antonius, et RR. PP. Domini Homodaeus, et Torielli.

Referente Emin.mo D. Cardinali Caetano¹⁶² litteras Nuntii Poloniae, et notam Provincialis Jesuitarum illius Regni, continentem causas propter quas rutheni Alumni admissi fuerunt in Collegia, in quorum foundationibus non est eorum Provincia expressa, Sac. Congregatio iussit rescribi praedicto Nuntio, ut curet quoad admissionem Alumnorum in Collegio Brusbergensi et Vilnensi observari foundationes, praecipiatque Provinciali, ut pro habendis Alumnis Provinciarum in dictis foundationibus nominatarum necessarias prius faciat diligentias, quia Emin.mis Patribus non videntur difficile reperiri in tam magnis Provinciis tot Alumnos, quot sunt loca praedictis Provinciis assignata.

274.

Roma, 14 . IV . 1636.

*Laudatur Nuntius pro Capella Varsaviae in favorem Unitorum obtenta.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 65v, nr. 26.

Apr. 14.

Referente Emin.mo D. Card. Sancti Sixti litteras Nuntii Poloniae de Capella in suburbiis Varsaviae, in qua erant sepulti quidam Dux Moschoviae, et eius frater, a Rege pro unitis Ruthenis impetrata, Sac. Congregatio iussit commendari diligentiam praedicti Nuntii.

275.

Roma, 4 . VIII . 1636.

*Commendatur erectio Seminarii in Ducatu Smolenscensi pro iuvenibus Moscovitis.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 139, nr. 15.

CONG. 219 — Die 4 Augusti 1636 (f. 133).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt undecim Cardinales, videlicet: de Cremona, qui fuit vocatus ad referendum formulas facultatum Missionariorum, in diversis Congr. Particularibus coram Eminentia sua habitis, compilatas, S. Honuphrii, Caetanus, Spada, S. Sixti, Pamphylus, Albernotius, Lugdunen., Brancatius, Barberinus, et Antonius, et RR. Patres Homodaeus, et Torielli.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Sancti Sixti, Sac. Congregatio iussit novo Episcopo Smolenscensi latino¹⁶³ commendari erectionem Seminarii in eius Dioecesi pro adolescentibus Moscovitis.

¹⁶² Card. Aloysius Caetani, ex Archiepiscopo Capuano creatus Cardinalis sub Urbano VIII, die 19.I.1626. - Cfr. L. PASTOR, op. cit., vol. XIII, p. 713.

¹⁶³ Ep. Smolenscensis ab an. 1637-1649, erat Petrus Parczewski, antea Administrator eiusdem dioecesis (1630-1637), qui postea (an. 1649) translatus est ad Sedem Samogitiensem (1649-1659). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 3, p. 689, 719.

276.

Roma, 20 . XII . 1636.

*De aperienda schola Calvinistarum in civitate Kioviensi.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 216v-217.

Die 20 Decembris 1636.

Fuit congregatio particularis super negotiis Ruthenorum in Palatio Emin.mi D. Card. S. Sixti, cui interfuerunt tantum Emin.mus D. Card. Antonius.

Relato monito Episcopi Chioviensis latini¹⁶⁴ de Calvinistarum instantia, in proxima Dieta proponenda, ad obtinendam licentiam aperiendi in Chiovia scholam, et simul eius petitione, ut tanto malo provideretur, ea tamen cautela adhibita, ne cuiquam inotesceret ipsum huiusmodi monitum dedisse, Emin.mi Patres iusserunt ad litteras Nuntio Poloniae dandas, occasione mittendi ad eum Instructionem, addi generale monitum, ut si Haeretici aliquas instantias in proxima Dieta facturi erunt in praeiudicium Catholicae Religionis, aut Catholicorum, et praesertim pro scholis aperiendis, aut templis (f. 217) aedificandis, se opponat, curetque per Regem, et Ecclesiasticos Latinos, ac alios Proceres catholicos, qui Dietae praedictae intererunt, instantias praedictas omnino reiici.

277.

Roma, 11 . V . 1637.

*Relatio de morte Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj deque eius catholica protestatione.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12 fol. 286v-287, nr. 16.

CONG. 231 — Die XI Maii 1637 (f. 282v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Spada, S. Sixti, Pamphilius, Albernotius, Pallottus, Sanctacrucius, et Brancatius, et R.mus D. Torniellus.

Retulit idem Emin.mus D. Card. Sancti Sixti mortem R.mi Josephi Velamin,¹⁶⁵ Rutheni, Metropolitae totius Russiae, in unione cum Sancta Romana Ecclesia pie defuncti, cum protestatione, quod in dicta Unione mori intendebat,¹⁶⁶ sine qua nemo potest salvari (f. 287) et in eiusdem Josephi locum successisse R.mum Raphaellem Korsach, Episcopum Pincensem, in vim suae Coadiutoriae cum futura successione a S. D. N. Urbano 8^o ei concessae.

¹⁶⁴ Ut videtur Alexander Sokołowski (1636-1645). Obiit anno 1645. Antea erat Alexander II Szoldrski (1633-1636), translatus an. 1636 ad cathedram Peremysliensem (1636-1637), unde postea venit ad Sedem Poznanensem (1637-1650). Ingressus Poznaniam die 30.XI.1636; obiit die 1.IV.1650. - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 3, p. 624, 677, 681.

¹⁶⁵ Obiit in monasterio Dermanensi in Volhinia, die 5 februarii 1637.

¹⁶⁶ Eius testamentum, cfr. A. THEINER, *op. cit.*, vol. III, p. 412-413, nr. 358.

278.

Roma, 3 . VI . 1637.

*Relatio litterarum R. Korsak et Nuntii Poloniae de novo Metropolitae Kioviensi; ultorius S. Congregatio considerat petitiones novi Metropolitae hac occasione transmissas.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 298v-301v, nr. 1-3.

Die 3 Junii 1637 (f. 298v).

Fuit Congregatio particularis super diversis negotiis in Palatio Em.mi D. Card. Spadae, cui interfuerunt tantum D. Card. S. Sixti, nam Card. Pamphilius infirmitate praepeditus in ea intervenire non potuit.

In ea, primo, relatae fuerunt litterae R.mi Domini Raphaelis Korsach, novi Metropolitae totius Russiae, in quibus primo: significabat mortem R.mi Josephi Velamin Rutschi eius Praecessoris, quae contigit die 5 Februarii, proxime praeteriti, qui in ipso agone protestatus fuit, se mori in Unione cum S. R. E., sine qua nemo salvari potest, fecitque testamentum, in quo diversa monita dedit praefato R.mo Raphaeli, eius Coadiutori cum futura successione, Archiepiscopis, et Episcopis Suffraganeis, Clero, et populo.¹⁶⁷

2. Signabat adivisse Nuntium Poloniae, eique obedientiam praestitisse, et ab illo edoctum vigore suae Coadiutoriae cum futura (f. 299) successione possessionem Archiepiscopatus Chioviensis, et Metropolitanatus totius Russiae, Archiepiscopis et Episcopis, Suffraganeis, ac Rege ipso consentientibus accepit.

3. Pseudometropolita Russiae¹⁶⁸ bona Archiepiscopatus Chioviensis in Palatinatu Chioviensi existentia vi, et propria auctoritate occupasse vigore articulorum in electione Regis pro Schismaticis confectorum,¹⁶⁹ propter quam occupationem ad pauperum statum praefatus Archiepiscopatus redactus est, et licet in eisdem articulis Respublica Poloniae aequivalens promiserit, tamen id nunquam facto adimplebit.

2. — Relatae fuerunt litterae Nuntii Poloniae, in quibus significabat Episcopi Pincensis, hoc est praefati R.mi Raphaelis negotia felicem successum habuisse, quia capta possessione sui Metropolitanatus vigore praefatae Coadiutoriae, Rex illi promisit, ut Successorem in Episcopatu Pincensi¹⁷⁰ nominaret, et ut Episcopus Premisliensis ruthenus unitus, cui vigore articulorum praefatae electionis succedere debebat Schismaticus, nominaret in eo Episcopatu quem voluerit Catholicum ad exclusionem Simeonis Silvestri¹⁷¹ Pseudo Episcopi Premisliensis, contra quem Unitus protestatus fuit, quod ei per violentiam monasterium quoddam Sancti Salvatoris invaserit, eiusque bona occupaverit (f. 299v) partim pulsus Ruthenis unitis, et partim vulneratis, carcerique mancipatis, et denique idem Rex protectione et promotione Unionis promissa, eidem R.mo Raphaeli ecclesiam, quam Sygismundus 3s in Vilna aedificaverat,

¹⁶⁷ Cfr. nr. praecedentem.

¹⁶⁸ Petrus Mohyla (1631-1647), antea Archimandrita Pečerenensis, Kioviae. De ipso vide infra sub anno 1645, ubi de conaminibus Unionis Universalis Ruthenorum agitur.

¹⁶⁹ Anno 1632-1633, in Comitibus electionis et coronationis Vladislai IV.

¹⁷⁰ Nominatus fuit Pachomius Oranskyj (1637-1653).

¹⁷¹ Ut videtur, agitur de Sylvestro Hulevyč; qui tamen secundum IG. STEBELSKYJ tantummodo anno 1641 post Ep. Isaacium Boryskeyč (1620-1641) successit et multa Unitis paravit damna, immo anno 1651, post mortem Antonii Krupeckyj, Uniti (1612-1651), dioecesim hanc turbulentissimis his temporibus fere totam occupavit. - Cfr. IG. STEBELSKI, *Przydatek do Chronologii...*, p. 166-167.

post factam apud eam pro monachis ruthenis unitis habitationem, ac congruam dotem datam, concessurum pollicitus fuit.

3. Deventum fuit ad petitiones eiusdem R.mi Raphaelis, et ad primam: de Brevis ad Ducem, et Ducissam de Ostrog gratulatoriis, et gratiarum actionem continentibus, quia Ruthenis unitis ecclesiam collegiatam cum centum, et amplius Parochiis concesserunt, Emin.mi Patres censuerunt Brevia praedicta concedenda esse, si S.mo placuerit.

Ad 2am et 3tiam, de Brevis ad Regem, ad quatuor Proceres Regni Poloniae in dicta petitione nominatos, pro restitutione praedictorum bonorum Archiepiscopatus Chioviensis a Pseudometropolita occupatorum, dixerunt posse scribi ad Regem Breve creditale pro Nuntio Apostolico, datis eidem litteris, in quibus non solum ei commendantur Uniti, et eorum negotia in communi, sed etiam in particulari illi praecipiat, ut restitutionem praedictam procuret, et praefatis Proceribus negotium (f.300) huiusmodi commendet, et, si opus fuerit, ut Brevia petita ad praefatos Proceres scribantur, signaret, et demum, si restitutio praedicta obtineri nequeat, curet, ut praedictus R.mus aliquo modo servetur indamnus, nulla facta mentione de promissione aequivalentis, de qua in praedictis articulis electionis habetur, ne Sedes Apostolica illos approbare videatur.

Ad 4am, de Brevis ad Episcopum Vilmensem, ut dicto R.mo Raphaeli nomine Sanctitatis Suae claves ecclesiae iuxta antiquum morem tradat, eumque in Urbem Vilmensem introducat, Patres dixerunt Breve petatum esse concedendum, si S.mo placuerit.

Ad 5am, de obedientia praestanda per duos ex Alumnis ruthenis nomine eiusdem R.mi Raphaelis in Congregatione de Prop. Fide coram S.mo habenda, Patres idem dixerunt.

Ad 6am, de Pallio iusserunt scribi praedicto R.mo, ut mandatum speciale ad petendum illud in personam unius ex praedictis Alumnis¹⁷² conficiat, et mittat, quia fortasse Sac. Congregatio Concistorialis, ad quam transmittendus erit articulus litterarum eiusdem R.mi, eundem articulum sufficiens mandatum continere non iudicabit.

Ad 7am, de renovatione facultatum sine clausula de praeterito quoad articulum de absolutione a casibus (f. 300v) reservatis, propter magnam ab Urbe distantiam, Patres iusserunt adiri Sanctum Officium.

Ad 8vam, de ecclesia, et Hospitio pro Ruthenis in Urbe, Patres iusserunt agi cum Emin.mo D. Card. Sancti Honuphrii, qui praedicta Ruthenis unitis pluries pollicitus fuit.¹⁷³

Ad 9am, de Presbyteris ruthenis unitis, qui post sacerdotium duxerunt secundam uxorem, dispensandis, iusserunt adiri Sanctum Officium.

¹⁷² Philippus Borovyk, et Josaphat Isakovyč, quorum primus an. 1640 in patriam profectus est, alter vero ad annum fere 1650 munere Procuratoris Ecclesiae Unitae in Urbe fungebatur.

¹⁷³ Hic Cardinalis, revera, an. 1639 ecclesiam SS. Sergii et Bacchi Ruthenis concessit, quae usque ad tempora hodierna penes Ecclesiam Ruthenam permansit. Saeculo XVII-XVIII erat Sedes Procuratorum Generalium eiusdem Ecclesiae et Ordinis Basiliani in Urbe. Post mortem ultimi Procuratoris Generalis an. 1827, usque ad an. 1897, de eius possessione contendebar inter Imperatorem Rossiae, Austriae et Sanctam Sedem et postea etiam Regem Italiae. Anno 1895-897 ecclesiae et sedes in praesentem formam redacta fuit; anno tandem 1897, die 17.XII., Leo PP. XIII ibi Collegium Ruthenum creavit, qua in sede Collegium hoc usque ad an. 1932 permansit. Ab an. 1932 usque ad hodierna tempora Curia Generalis Ordinis Basiliani S.ti Josaphat sedem suam hic habet. Usque ab anno 1718 ecclesia SS. Sergii et Bacchi claret imagine miraculosa B. V. Mariae Zyrovicensis, sub titulo «Madonna del Pascolo». - Cfr. infra, nr. 303, et DE MARTINIS, *Iuris Pontificii de Prop. Fide Pars Prima*, vol. I, p. 202, nr. 94, ubi concessio ecclesiae praedictae Brevis Pontificio Urbani VIII confirmatur (sub data 8.II.1641).

Ad Xam, de facultatibus poenitentiariorum Basilicae Principis Apostolorum concedendis poenitentiaris ecclesiae Sanctae Mariae de Zirovicia, mandarunt agi cum R. P. D. Maraldo.

Ad XIam, et postremam, de inhibitione, ne aedificetur ab aliis Religiosis in pago Zirovicia, eiusque districtu, Patres dixerunt sufficere inhibitoriales Nuntiorum Apost., vigore Brevis Sanctissimi Domini Nostri, cum illud expeditum sit sub nomine appellantis, et non proprio Antecessoris Nuntii.

279.

Roma, 14 . XI . 1637.

Negatur facultas recipiendi in Ordinem Basilianorum Alumnos Collegii Brunbergensis, Ritus Latini.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 395, nr. 37.

CONG. 237 — Die 14 Novembris 1637 (f. 386v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt undecim Cardinales, videlicet: Capponius, S. Honuphrii, Caetanus, Harrach, Spada, Pamphilius, Albornozius, Brancatius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et RR. PP. DD. Corsius, et Boccabella.

Referente eodem Em.no D. Cardinali Albernotio,¹⁷⁴ Sac. Congregatio Metropolitanae Russiae denegavit licentiam recipiendi ad habitum, et professionem in Religione Sancti Basilii Alumnos ruthenos latinos Colleg. Brusbergensis, et Vilmensis.

280.

Roma, 14 . XI . 1637.

Negatur dispensatio pro sacerdotibus bigamis, nisi de praeterito, et dimissa uxore.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 396, nr. 38.

Nov. 14.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Albernotio instantiam Metropolitanae Russiae, ut dispensaretur cum Parochis sacerdotibus ruthenis bigamis saltem de praeterito, ne Parochiae sacerdote destituantur, et bigami praedicti ad Scisma transeant, Sac. Congregatio censuit dispensationem petitam non esse concedendam; posse tamen permitti, ut praefati bigami moriant in Parochiis, stante allegata necessitate operariorum, dummodo uxores, restituta dote, relinquunt, quas certiorare debebunt de invaliditate matrimonii, ut possint, si velint, aliis nubere, et praedicti bigami absolvantur de praeterito cum poenitentia salutari.

¹⁷⁴ Cardinalis Egidius Carillus Albornozius, hispanus, creatus die 30.VIII.1627.

¹⁷⁵ Cfr. Bullam Clementis VIII «*Decet Romanum Pontificem*», die 23.II. 1596. - Cfr. A. THEINER, *op. cit.*, vol. 3, p. 260-262, nr. 189; M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, p. 219-222.

281.

Roma, 14 . XI . 1637.

Metropolita Kiovensis petit, ut dispensaretur ab obligatione visitandi « limina Apostolorum », propter suam paupertatem.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 396v-397, nr. 39.

Nov. 14.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Albernotio instantiam Metropolitae Russiae, ut liberaretur ab obligatione accedendi personaliter ad Urbem, ad praestandam S.mo D. N. obedientiam, sicut Clemens Octavus in Bulla Unionis¹⁷⁵ praecipit Metropolitis Russiae statim, ut Metropolitiani per electionem canonicam obtinuerint, et Apostolicam confirmationem fuerint consecuti, cum ob (f. 397) Schismaticorum violentias, et bona Metropolitiae in vim Rescriptorum in precedenti interregno Poloniae factorum ab eisdem usurpata, Ecclesia eius ad tantam paupertatem fuerit redacta, ut vix habere possit unde vivat. S.mus D. N. iussit agi cum R. P. D. Paulutio, et Nuntio Poloniae scribi, opportune agat cum Rege de paupertate Metropolitae uniti, eiusque Maiestatem roget, ut aliquo modo necessitati Metropolitarum unitorum provideatur.

282.

Roma, 12 . XII . 1637.

Iterum de missione Fratrum Dominicanorum ruthenorum in Tartariam.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 12, fol. 418rv, nr. 1.

CONG. 239 — Die 12 Decembris 1637 (f. 418).

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt decem Cardinales, videlicet: Capponius, S. Honuphrii, Caetanus, Spada, Pamphylus, Albernotius, Pallottus, Brancatius, Barberinus, et Antonius.

Referente Emin.mo D. Card. Pallotto litteras Nuntii Poloniae de Episcopo Bachoviensi, qui conductus (?) in Poloniam, se... a Residentia propter bella Turcarum et Tartarorum et quia non habet (propriam) Domum... Provinciali Rubrae Russiae... (*abrasum*)..., ut duos ex suis Religiosis Ruthenis mittat in Tartariam Praecopensem, Sac. Congregatio, i. iussit scribi Nuntio, ut Episcopum praedictum iterum moneat, nam Provincia (f. 418v.) illa frequenter a bellis infestatur, et hoc ipse sciebat, quum fuit factus Episcopus, ac ibi sunt plures ecclesiae, ut ex visitatione eiusdem Episcopi, ad Sacram Congregationem transmissa, constat, apud quas potest residere; praeterea Episcopi in partibus Infidelium, et Missionarii in eisdem difficultatibus versantur, et nihilominus resident, et dum urgent mala, aut persecutiones fugiunt, et postea revertuntur.

2. Mandavit eidem Nuntio rescribi, ut Provinciali Dominicanorum Russiae praecipit de mittendis duobus fratribus Ruthenis in Tartariam Praecopensem renovet, si illum primo praecipit non paruisse comperit.

283.

Roma, 20 . IV . 1638.

Iterum de missione Dominicanorum ruthenorum in Tartariam.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 13, fol. 75v-76, nr. 10.

CONG. 245 — Die 20 Aprilis 1638 (f. 72v.)

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Caetanus, Spada, Pamphylus, Albernotius, et Antonius, et RR. PP. Homodaesus, et Assessor Sancti Offitii.

Retulit idem D. Card. Caetanus litteras Nuntii Poloniae, in quibus significabat Fratrem Blasium, Dominicanum, Missionarium in Tartaria Praecopensi Varsaviam pervenisse, ut duos Fratres Ruthenos sui Ordinis in Tartariam praedictam duceret iuxta ea, quae alias decrevit Sac. Congregatio, eumque remisisse (f. 76) ad Russiae Provinciales, cum mandato, ut ei praedicti duo Fratres assignentur.

284.

Roma, 24 . V . 1638.

De aperitione Processus Beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 13, fol. 100, nr. 37.

CONG. 246 — Die 24 Maii 1638 (f. 89 v.)

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: Caetanus, Pamphylus, Albernotius, et Antonius, et R. P. D. Homodaesus.

Referente eodem R. P. D. Homodeo, Protonotario Apostolico, Sac. Cong. deputavit Em.m D. Card. Pamphylum ad agendum cum S.mo pro expeditione Beatificationis seu Canonizationis piae memoriae Josaphat Concevicij, Archiepiscopi Polocensis, et praesertim pro aperitione novi Processus a Metropolita Russiae ad Urbem transmissi, et pro dispensatione a Decreto Sac. Congregationis circa cultum eorum, qui moriuntur cum opinione sanctitatis.

285.

Roma, 2 . VI . 1638.

Renovatio Congregationis particularis ad Unionem Universalem Ruthenorum examinandam.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 13 fol. 100rv, (post Cong. 246).

Die 2 Junii 1638 (f. 100).

Referente D. Card. Barberino S.mus D. N. occasione (f. 100v) litterarum Regis Poloniae renovavit Congregationem Particularem super Unione Universali Ruthenorum Schismaticorum, et in ea adscripsit Eminentissimos Dominos Cardinales: Pam-

phylum, Pallottum, et eundem Emin. mum D. Card. Barberinum, et RR. PP. Dominos Boccabellam, Auditorem Rotae, Paulutium, Magistrum Sac. Palatii, Assessorem Sancti Officii, Horatium Justinianum, et Patrem Abbatem Hilarionem.

286.

Roma, 7. VI. 1638.

Congregatio particularis de « Unione universali Ruthenorum » in Synodo communi cum non Unitis perficienda; S. C. de Synodo tali responsum dedit negativum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 100v-101v.

Die 7 Junii 1638.

Fuit congregatio particularis de Unione universali Ruthenorum schismaticorum in Palatio Eminentissimi D. Card. Pamphylia, cui interfuerunt cum Eminentia Sua D. Card. Pallottus, et RR. PP. Domini Boccabella, Magister S. Palatii, Paulutius, Assessor Sancti Officii et P. Horatius Justinianus.

In ea relatis litteris Regis Poloniae ad S. D. N. datis et litteris Metropolitanae Russiae de dispositione Ruthenorum Schismaticorum ad Unionem cum S. R. E., et de modis illam perficendi per Synodum Unitorum, Congregatio decrevit, ut infra.

1. Censuit nullo modo esse uniendo Schismaticos cum Unitis in una Synodo, quia id prohibetur a Sac. Canonibus, ut patet ex Can. cum omnibus 24. 92 (f. 101).

2. In Synodo praedicta, utpote non universali, sed provinciali aut nationali non esse disceptandum de dogmatibus iam definitis a Sac. Conc. Florentino cum quia Dogmata diffinire ad Particulares Synodos non pertinet, sed ad Generales legitime congregatas, tum etiam quia, ut ait Sanctus Leo Papa apud Baron. in Annalibus, anno 468 n. 3: non est Ecclesiae dignitatis in dubitationem revocare, eo rursus disputationibus subiicere, quae oecumenicis iam fuerunt definita Conciliis, et Martianus, Imperator, in L. nemo, Cod. de summa Trinitate de Synodo Chalcedonensi legatus dicitur, iniuriam fieri R. mae Synodo, si quis ea, quae illius iudicio definita, et recte disposita sunt, revolvere, aut publice de iis disputare contenderit.

3. Synodum Ruthenorum Unitorum et sola Metropolitanae Russiae auctoritate congregari, ad eamque adveniri posse non Unitos post tantum emissam fidei professionem a S. D. N. Orientalibus praescriptam, dummodo tantum sint Ecclesiastici, et tales, qui de iure, aut ex consuetudine Synodis interesse, (f. 101 v) possunt, vel debent.

4. Synodum Unitorum celebrari posse, ut non Uniti ab ea audiantur, et commissis disputationibus super dogmatibus instruantur, et cum illa de conditionibus Unionis faciendae agatur.

5. Si Synodus Ruthenorum unitorum fiat eo modo, quo dictum est in antecedenti resolutione, Metropolitanae Russiae prorogandum etiam tempus ei a S. D. N. praefixum veniendi ad Urbem ad praestandam personaliter obedientiam Sanctitati Suae iuxta obligationem, quam ex Bulla Unionis habent Metropolitanae Russiae post suam citationem, quia eius praesentia praedictae Synodo erit necessaria.

6. Et postremo, faciendam esse instructionem pro Nuntio Poloniae, ut possit nomine Sact. mi de huiusmodi negotio Regi bene respondere juxta praefatas resolutiones, eamque mittendam esse per manus, ut a Patribus consideretur, examinetur, et emendetur, et postmodum super ea Congregatio alia habeatur.

287.

Roma, 16. VI. 1638.

Alia congregatio particularis de « Unione universali Ruthenorum » cum discussione de possibilitate et opportunitate Synodi communis, cum litteris et instructione pro Nuntio Varsaviensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 102-104.

Die 16 Junii 1638.

Fuit congregatio particularis de Unione Universali Ruthenorum schismaticorum in Palatio Emin. mi D. Card. Pamphylia, cui interfuerunt cum Eminentia Sua Domini Card. Pallottus, et Barberinus, et RR. Patres Domini Magister Sacri Palatii, Paulutius, Assessor Sancti Officii, et Pater Horatius Justinianus.

In ea actum fuit de litteris, et instructione pro Nuntio Poloniae, et de scriptura de iis quae faciendae erunt, casu quo Synodum Ruthenorum unitorum iuxta Regis Poloniae petitionem convocandam esse decernatur, per manus transmissis, et cum Pater Horatius excitasset difficultatem de Episcopis schismaticis, qui ei videbantur non posse pro talibus a Sede Apostolica haberi, dum in odium eiusdem Sedis consecrati fuerunt ab eo, de cuius potestate non constat, et ad titulos Ecclesiarum, quas uniti Episcopi possident, illegitime promoti, iterum disputatus fuit articulus: An petita Unitorum Synodus esset permittenda seu ordinanda, et tandem placuit omnibus, ut prius quam id decernatur ad Nuntium praedictum pro informatione scribatur super infra scriptis articulis, videlicet.

1. In qua dispositione principaliter Schismatici modo reperiantur (f. 102v) ad praedictam Unionem.

2. De eorum motivis ad eam.

3. De facilitate, aut difficultatibus in ea perficienda.

4. An revera Unionem desiderent, an potius ut sua negotia apud Regem promoveant vel Schisma in populis eis subditis confirmet.

5. Quid actum fuit in Comitibus praeteritis, in quibus dicit Rex animos Schismaticorum ita ad Unionem esse dispositos, ut de eius felici successu non sit desperandum.

6. An revera Luceoriensis Episcopus, antea Schismaticorum praecipuus, ¹⁷⁶ factus sit Unitus, et professionem fidei, Orientalibus a S. D. N. praescriptam, emisit.

7. Quid sentiant Episcopi latini de huiusmodi motu Schismaticorum eorumque ad Unionem dispositione, et praesertim Magnus Poloniae Cancellarius, et Gnesnensis Archiepiscopus.

8. Si factis circa praedicta necessariis diligentibus competerit, Schismaticos bono fine moveri ad Unionem eamque desiderare, ac expetere, inquirat Nuntius quid velint Schismatici a Synodo Unitorum et per eam ab Apostolica Sede, nam (f. 103) si disputare velint de dogmatibus iam in Sac. Concilio Florentino definitis, id eis nullo modo concedatur per rationes, de quibus in instructione anno 1629 ad Archiepiscopum Larrissenum, tunc Nuntium Poloniae, transmissa; si velint super illis instrui, id sine Synodo, et melius habita cum Unitis, et Latinis doctioribus conferen-

¹⁷⁶ Agitur de Athanasio Puzyna, Episcopo non-unite Luceoriensi, post an. 1632, vi Articulorum Pacificationis Religionis Graecae in Comitibus electionis et coronationis Vladislai IV (1632-1633) ad Sedem Luceoriensem electi.

tia, seu collatione, aut colloquio; si tandem velint agere de mediis, ipsimet Schismatici poterunt extra Synodum, cum Unitis de iis agere; nam cum eisdem conditionibus, cum quibus tempore Clementis 8ⁱ iacta fuit Particularis Unio cum eisdem fieri poterit haec Universalis, et si quid ulterius Schismatici ab eadem Apostolica Sede cupiant, in scripturam ea redigere poterunt, et ad hanc Sac. Congregationem transmittere.

9. Quomodo occurri possit difficultati circa Schismaticos Episcopos; nam primo: cum habeant titulos Ecclesiarum, quos habent Uniti, et non possint esse duo episcopi in una civitate iuxta epistolam Innocentii Primi, apud Sozomenum lib. 8. cap. 26, et canon. 8. Concilii Nicaeni Primi, aut iuxta eundem Canonem Episcopis de recenti unitis providendum erit, (f. 103 v) aut multiplicandi erunt Episcopatus, si Regio, et distantia magna unius Ecclesiae ab altera id patiantur, aut denique aliis titulis in partibus infidelium iidem Episcopi erunt honorandi, saltem donec vacent tituli a veteribus Unitis obtenti; 2, videndum erit, an in ritu graeco fuerint ordinati ab habente potestatem, et iuxta formam qua Graeci in ordinandis Episcopis utuntur.

Eminentissimus D. Card. Pallottus censebat, posse permitti, et ordinari Synodum Unitorum iuxta Regis petitionem, et Nuntio, et aliis, qui per Sedem Apostolicam Synodo intererunt modum, et ab eis omnino observanda signari, eidemque Nuntio pro informatione praedicta scribi, iniuncto ei mandato, ut si tempus permitat praefatam informationem capiat, et Sac. Congregationi transmittat; si de illa spes sit, procedat.

Alii dicebant, prius videndum esse quid fuerit observatum in Unione Ruthenorum tempore Clem. Octavi, nam iuxta illam negotium huiusmodi dirigi poterit. Nam Magister Sac. Palatii auctoritate Card. Baronii asserebat, non fuisse tunc factam Synodum Brestensem.

Alii negotium hoc esse maturius considerandum (f. 104) aiebant, cum plurimas habeat difficultates circa Episcopos schismaticos, qui non univer. posse dici Episcopi, vel saltem Ecclesiarum Unitorum, ut supra notatum est, nec eos Schismate non abiurato esse in Synodo admittendos iuxta notata in instructione de anno 1629; imo nec post Schisma de recenti abiuratum, ne convenirent cum Unitis ob commoda temporalia in multis, quae si Sed. Apost. reprobaret, Unio facile dissolveretur non sine periculo, et scandalo multorum.

Alii dicebant, mittendum esse aliquem Religiosum hinc bene instructum, ut esset cum Nuntio, et fuit nominatus D. Franciscus Arcudius, sed placuit omnibus, ut de aliis personis idoneis inquireretur, ut magis idoneus, et in pluribus Congregationibus faciendis instruendus mitti possit.

Omnes denique dixerunt, interim commendandum esse zelum, et pietatem Regis, eumque hortandum ad prosecutionem, ac perfectionem huius negotii adeo salutem animarum et Regni quieti, et tranquillitati proficuo.

288.

Roma, 25 . VI . 1638.

Nova congregatio particularis de « Unione universali Ruthenorum » cum longa discussione super novem punctis instructionis ad Nuntium transmittendae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 104v-105.

Die 25 Junii 1638.

Fuit congregatio particularis de Unione Universali Ruthenorum schismaticorum

in Palatio Emin.mi D. Card. PamphylII, cui interfuerunt cum eminentia Sua D. Card. Pallottus, et RR. PP. Domini Magister Sacri Palatii, Paulutius, Assessor Sancti Officii, et Pater Horatius Justinianus.

In ea, relatis minutis litterarum ad Nuntium Poloniae scribendarum tam pro informatione super punctis novem per manus transmissis, quam pro convocatione Synodi Ruthenorum unitorum, iuxta instructionem ante praecedentem Congregationem per manus missam, Congregatio post multam disputationem, nam nonnulli ex Patribus melius esse iudicabantur, ut prius pro informatione super praedictis punctis tantum ad Nuntium Poloniae scriberetur; alii vero dicebant, tutius esse, ut tam pro informatione, quam pro Synodo litterae cum instructionibus darentur, quia possent res Schismaticorum ita esse ad Unionem dispositas, ut de foelici Unionis successu non esset dubitandum (f. 105), hanc 2dam sententiam amplectens, mandavit per novum punctum in scriptura pro informatione ad Nuntium mittenda extendi iuxta Patris Justiniani placitum.

2. Breviter totam historiam Ruthenorum ac Unionis eorum sub Clem. 8^o describi, ac instructionem fieri continentem regulas, et praecepta a Nuncio observanda, casu quo Synodus Ruthenorum unitorum esset eius iudicio convocanda pro instructione Schismaticorum, et pro conditionibus, quibus Unio a praefatis Schismaticis fieri vellet.

3. Demum iussit litteras pro praedicta Synodo ad Nuntium dandas, concipiendas esse negative.

289.

Roma, 1^o . VII . 1638.

Iterum in congregatione particulari discutitur de « Unione Universali Ruthenorum », et de instructione ad Nuntium Poloniae transmittenda.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 109v-110v.

Die 12 Julii 1638.

Fuit congregatio particularis de Unione universali Ruthenorum schismaticorum in Palatio Emin.mi D. Card. PamphylII, cui interfuerunt cum Eminentia Sua Domini Cardinales Pallottus, et Barberinus, et RR. PP. Domini Boccabella, Magister Sac. Palatii, Paulutius, et Pater Horatius Justinianus

In ea, relatis binis instructionibus pro Nuntio Poloniae per manus missis, quarum altera erat pro informatione circa quaedam puncta praefatam Unionem concernentia, quae a Patribus desiderabatur, priusquam aliquid decerneretur de Synodo Ruthenorum unitorum, quam Rex Poloniae congregari petebat, ut ad eam principales Schismatici vocari, ac per illam instrui, et cum ea de modis, et conditionibus Unionis agere possent; altera vero erat de regulis, et praeceptis per praedictum Nuntium observandis, casu quo res Ruthenorum (f. 110) schismaticorum in eo reperirentur statu, ut de felici praedictae Unionis utili successu probabilis spes haberetur.

Congregatio in primis praedictas instructiones, nonnullis additis et detractis, emendavit, ut videre est in libro causarum, seu negotiorum in particularibus Congregationibus expeditorum huius anni.

Deinde post multam disputationem circa transmissionem praedictarum instructionum ad Nuntium Patres censuerunt solummodo primam pro informatione esse mittendam, cum Brevi ad Regem, in quo post commendatam eius pietatem, ac propa-

gationis fidei zelum, rogetur illius Maiestas, ut Nuntium circa praefatam Unionem benigne audire velit, idque tribus rationibus permoti.

1. Quia de Ruthenorum Schismaticorum ad Unionem dispositione, de qua scribit Rex, et de gestis ab eius Maiestate cum illis in Dieta praeterita nihil omnino praefatus Nuntius scripsit; 2. Quia negotium Synodorum est gravissimum ob multas difficultates, et consequentias, quas illae secum trahere solent, et ideo sine praevia competenti, ac necessaria informatione, de petita Synodi convocatione neque tutum est, neque expedit quicquam decernere; (f. 110 v) 3. Quia causam Synodum praedictum convocandi sufficientem Patres in casu praesenti non animadvertant; nam pro dogmatibus Synodus Provincialis, seu Nationalis celebrari nequit et maxime cum de iam diffinitis a Generali Concilio Florentino agendum esset, pro instructione vero, et modis, seu conditionibus Unionis superflua est Synodus, cum haec melius cum personis doctioribus sine Synodo, et intra domesticos parietes fieri possint, ut in aliis Congregationibus latius deductum est.

Postremo Congr. iussit perquiri Acta Synodi Brestensis, temporibus Clementis Si habitae, ut cum illis Synodus, si fortasse post res Unionis Universalis bene dispositas convocanda esset, recte ordinari, et dirigi possit.

290.

Roma, 19 . VII . 1638.

Exquiritur informatio Nuntii Poloniae de locatione duorum praediorum monasticorum, a Metropolita Kiovensi desiderata.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 121v-122, nr. 27.

CONG. 247 — Die 19 Iulii 1638 (f. 111).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylus, Pallottus, et Antonius, et RR. Patres Domini Homodaeus, Hieronymus Lanuvius, V. Signaturae Referend., Iudex substitutus ab Eminentissimo D. Card. Praefecto pro prima vice, et Caeva.

Referente eodem Em.mo D. Card. Pamphylus instantiam Metropolitanam rutheni uniti, qui petebat sibi concedi facultatem locandi duo praedia de iuribus Archimandritae Zidicensis dicta (f. 122) Ruchina, et Boholube, Principi Adamo Alexandro Sanguisco, Palatino Voliniensi,¹⁷⁷ et Principessae Catherinae, eius uxori, eorum vita durante, pro pensione seu canone florenorum mille polonensium quotannis solvenda, ut hac ratione eximatur dictus Metropolita a damnis quae in dictorum praediorum redditibus patitur causa belli, et defectu agrorum, quibus ipse caret, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio Poloniae pro informatione, et voto.

291.

Roma, 19 . VII . 1638.

Agitur de Processu « de non cultu » Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 122rv, nr. 29.

¹⁷⁷ Princeps Adamus Alexander Sanguško. - Cfr. de eius activitate unionistica in D. TAN- CZUK, *op. cit.*, p. 79-38; E ŚMURLO, *Le Saint-Siège...*, II, p. 118 sq.; M. ANDRUSIAK, *Sprawa patriarchatu Kijowskiego za Władysława IV*, Leopoli 1934.

Jul. 19.

Referente eodem Em.mo D. Card. Pamphylus litteras Metropolitanae Russiae uniti de novo Processu super vita, et (morte) piae memoriae (f. 122v) Josaphat, Archiepiscopi Polocensis rutheni uniti, ad Urbem transmissis, eiusdemque Metropolitanae instantiam pro eius aperiitione, ac expeditione causae Beatificationis praedicti Archiepiscopi, S. mus D. N. audiens cum praefato Processu de non cultu, necessarium antequam Processum de vita, et miraculis aperiatur, iuxta Decreta a Sanctitate Sua in Sac. Congregatione Rituum edita, nolensque praedictis Decretis derogare, iussit agi cum RR. PP. DD. Cincio, Secretario eiusdem Sac. Congregationis, et Cerro, Fidei Promotore, ut defectui praedicti Processus de non cultu provideri possit.

292.

Roma, 9 . VIII . 1638.

Praecipitur Nuntio Poloniae, ut gratias ageret Regi Poloniae pro Abbatia Zydzyczy- nensi concessa ad triennium Metropolitanae Kioviensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 144v-145, nr. 18.

CONG. 249 — Die 9 Augusti 1638 (f. 141).

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Spada, Pamphylus, Albornotius, Pallottus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Lanuvius.

Referente Em.mo D. Card. Pamphylus, Sac. Congregatio litteras commendatitias decrevit ad Nuntium Poloniae¹⁷⁸ pro Metropolita Russiae, in quibus ei praecipitur, ut nomine Sac. Congregationis gratias agat Regi de Archimandria Zidicensi concessa a Maiestate sua per triennium eidem Metropolitanae Russiae; deinde illum roget, (f. 145) ut huiusmodi gratiam triennem extendere dignetur ad vitam praedicti Metropolitanae; itidemque officium cum Regina¹⁷⁹ peragat; insuper iussit scribi Domino Osolinski eumque rogari, ut pro eadem gratia sua interponere velit officia.

293.

Roma, 20 . IX . 1638.

Prorogatur terminus visitandi limina pro Raphaelae Korsak, Metropolita.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 171, nr. 22.

CONG. 250. — Die 20 Septembris 1638 (f. 164v).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylus, Albornotius, Pallottus, Brancatius, et Antonius, et RR. PP. Domini Homodaeus, Lanuvius, et Caeva.

¹⁷⁸ Marius Filonardi (1635-1643).

¹⁷⁹ Regina Poloniae erat Cecilia-Renata, filia Imperatoris Austriae Ferdinandi II. Incoronata in reginam Poloniae die 13.IX.1637. Obiit an. 1644 (24.III), Vilnae. - Cfr. *Encyklop. Pow- szechna*, vol. 27, p. 412-3.

Referente eodem Em.mo D. Card. Pamphylio¹⁸⁰ instantiam Metropolitae Russiae uniti pro prorogatione termini unius anni ei praefixi ad praestandam personaliter obedientiam S.mo D. N., iuxta ordinationem f. r. Clem. 8i, in Bulla Unionis universalis, Ruthenorum schismaticorum, de quo fuit scriptum in transmissa instructione ad Nuntium Poloniae, sine illo neque tractari, neque perfici possit, S.mus D. N. iussit agi cum R. P. D. Paulutio.

Die 24 Septembris 1638.

Referente R. P. D. Paulutio, S.mus D. N. ex causis supra expressis, et aliis Suae Sanctitati notis benigne prorogavit ad alium annum dicto Metropolitae Russiae tempus praestandi personalem obedientiam eidem Sanctitati Sedique Apostolicae.

294.

Roma, 17 . I . 1639.

De confirmatione concordiae inter Josephum Rutzkyj et Archimandritam Zydzynensem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 227, nr. 19.

CONG. 253 — Die 13 Januarii 1639 (f. 220).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Spada, Pamphylius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et RR. Patres Domini Homodaeus, Lanuvius, et Caeva.

Referente Fmin.mo Card. Pallotto instantiam R.mi D. Raphaelis totius Russiae Metropolitae rutheni uniti pro confirmatione Apostolica concordiae initae ab eius Praecessore cum Josepho tunc Archimandrita, nunc vero Episcopo Vlodimiriensi,¹⁸¹ cum reservatione pensionis 600 florenorum polonorum super Episcopatu Vlodimiriensi ad favorem Oratoris, sub beneplacito tamen Apostolico, Sac. Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, confirmationem petitam esse concedendam, cum pensio praedicta imposita sit potius ad utilitatem Ecclesiae, quam personae. Eodem die S.mus D. N. Decretum S. Congregationis probavit.

295.

Roma, 14 . II . 1639.

Ad Nuntium Poloniae de impossibilitate Synodi communis cum Schismaticis, de professione fidei Ep. Luceoriensis nec non de parva dispositione Schismaticorum ad Unionem cum S. R. Ecclesia.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 246v-247, nr. 12.

CONG. 254 — Die 14 Februarii 1639 (f. 244).

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt quinque Cardi-

¹⁸⁰ Card. Joannes Baptista Pamfili, romanus, Nuntius Neapoli, et dein in Madrid. Creatus Cardinalis die 19.XI.1629, sed iam a die 30.VIII.1627 « in pectore » reservatus erat. Post mortem Urbani VIII electus est in Pontificem Romanum, die 15.IX.1644, et nomen Innocentii X assumpsit. Obiit 7.I.1655. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV.

¹⁸¹ Josephus Mokosij-Bakoveckij, Ep. Volodimiriensis (1632-1650). - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 325.

nales, videlicet: Cornelius, reversus a Venetiis, Pamphylius, Albornotius, Pallottus, et Antonius, et RR. PP. Domini Homodaeus, Lanuvius, et Assessor S. Offitii.

Referente eodem Em.mo D. Card. Pamphylio litteras Nuntii Poloniae in quibus 1. signabat, Regem Poloniae (cessisse) rationibus, ob quas Sacra haec de Propaganda Fide Congregatio denegandam existimaverat Synodum inter Ruthenos schismaticos, et unitos a Maiestate Sua petitam.

2. Episcopum Luceoriensem¹⁸² catholicae fidei professionem emisisse in manu Metropolitae rutheni uniti.

3. Praelatos schismaticos non videri satis bene dispositos ad acceptandam Unionem cum Sede Apostolica.

Sac. Congregatio quoad 1um: pietatem Regis commendavit, qui rationibus ob quas Synodus petita a Schismaticis non sit, convocanda, cessit.

Quoad 2dum, iussit rescribi eidem Nuntio, ut Luceoriensem Episcopum, qui professionem catholicae fidei fecit, nomine Sac. Congreg. commendet eumque, prout occasio tulerit, iuvet et protegat.

Quoad 3tium, mandavit rescribi eidem Nuntio, quod licet Praelati schismatici ad Unionem non sint inclinati, tamen non est ex parte nostra desistendum ab inceptis, maxime hoc tempore, quo Rex, et latini Episcopi, et praecipue Magnus Cancellarius¹⁸³ eam cupiunt, et promovent.

296.

Roma, 18 . IV . 1639.

De gratiarum actione Principi Zaslaviensi et Ducissae Ostrogiensi pro eorum meritis in dilatanda Unione Ruthenorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 284, nr. 39.

CONG. 256 — Die 18 Aprilis 1639 (f. 273).

Fuit Congregatio in Vaticano coram S.mo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Spada, Cornelius, Pamphylius, Albornotius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Caeva.

Referente eodem Em.mo D. Card. Pallotto instantiam Metropolitae rutheni uniti, ut litteris Pontificiis commendarentur diligentiae a Principe Zaslaviae,¹⁸⁴ a Principessa Ostrogii, Palatina Vilmensi,¹⁸⁵ atque ab eius sorore, uxore quondam Zamoischi Can-

¹⁸² Agitur de Athanasio Puzyna, Episcopo non-unto Luceoriensi. - Cfr. D. TANCZUK, *op. cit.*, p. 79-88, etc.

¹⁸³ Magnus Cancellarius hoc anno erat Petrus Gembicki, Episcopus Peremyliensis et antea Vicecancellarius Regni. Munus hoc obtinuit an. 1638, eidemque resignavit die 23.II.1643, ad Sedem Cracoviensem translatus. - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 13, p. 889.

¹⁸⁴ Princeps Zaslavskij an. 1639 erat Vladislaus Dominicus, filius Alexandri (14.XI.1629), qui multum pro Unione fecit. In eius manibus bona familiae Ostrožskij cum illius Zaslavskij coniuncta erant. Ab anno 1645 Palatinus Sandomiriensis, postea in bello cosatico unus trium campiductorum exercitus polonici in pugna prope pagum Pylavci. Obiit die 5.IV.1656. - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 28, p. 346-349; Ic. STEBELSKI, *op. cit.*, *Przydatek: Genealogia xiążąt Ostrožskich*, p. 104-105.

¹⁸⁵ Agitur de Anna Aloysia Ostrožska - Chodkiewicz, quae titulum hunc habuit post obitum Caroli Joannis Chodkiewicz (1621), palatini Vilmensis. - Cfr. IG. STEBELSKI, *op. cit.*, *Genealogia...*, p. 87 sq.

cellieri Poloniae, adhibitae in eiiciendis Schismaticis ab eorum dominiis, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, petitioni omnino esse annuendum.

Eodem die S. mus D. N. Decretum Sac. Congregationis probavit.

297.

Roma, 18 . IV . 1639.

Litterae cuiusdam non Uniti de persecutionibus ab Episcopo Chelmensi perpassis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 284, nr. 40.

Apr. 18.

Retulit idem Em. mus D. Card. Pallottus litteras cuiusdam Schismatici rutheni, Nobilis, ad alium Schismaticum scriptas, quibus eum monebat, ut a Chelmensi Episcopo,¹⁸⁶ Schismaticos persequenti, caveret, quem nebulam Chelensem appellabat.

298.

Roma, 17 . VIII . 1639.

Congregatio particularis de negotiis Montis Felletrii secundum informationem P. Methodii Terleckyj.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 325v-326v.

Die 17 Augusti 1639.

Fuit Congregatio particularis circa Episcopum Vallachorum Montis Felletrii in confinibus Croatiae in Palatio Emin. mi D. Card. Spadae, cui interfuerunt cum Eminentia Sua D. Card. Pallottus, et RR. PP. DD. Datarius, Maraldus, et Paulutius.

In ea relatis, quae de statu praedictorum Vallachorum significavit anno 1629, et 1630 Patriarcha Ocriadae, et P. Methodius Terlecki, Monachus (f. 326) ruthenus unitus,¹⁸⁷ et quae scripsit electus Zagrabiensis Episcopus de novo Episcopatu Vratenien. ab Imperatore erecto in eius dioecesi, et de Maximo Petrovich Vallacho, Monacho Sancti Basilii ad dictum Episcopatum cum provisione 20 florenorum menstruorum ab eodem Imperatore nominato, cum conditione ut se ad Urbem conferret, ac a Romano Pontifice provisionem Apost. peteret, ac obtineret, et de illius gestis in fovendo, et promovendo Graecorum schismate, et in concedendis repudiis uxorum, et maritorum.

Congregatio 1. Censuit copiam litterarum praedicti Episcopi Zagrabiensis ad Nuntium Caesareum esse mittendam, iniuncto ei mandato, ut curet in primis dictum Maximum aliquo bono praetextu v.g. pro interesse aliquo politico, aut alia simili causa per Imperatorem Viennam evocari, eoque Viennae existente, de gestis eius, et praecipue de illis, quae in litteris praedicti Episcopi Zagrabiensis (f. 326v) continentur, informationes assumat, et postea praefatum Maximum super eisdem interroget, exquiratque, an habeat aliquid dicendum, et allegandum ad suam defensionem.

2. Censuit Nuntium Caesareum optime suadere posse Imperatori vocationem dicti

¹⁸⁶ Tunc temporis Episcopus Chelmensis erat Methodius Terleckyj (1629-1649).

¹⁸⁷ Postea Episcopus Chelmensis (1629-1649).

Maximi ad Urbem Viennae, et rationibus a pessimis illius actionibus deductis, ac illa potissimum, quod provisionem Apost. a Romano Pontifice, ut ei iniunctum erat, non solum non procuravit, sed consecrationem a schismatico Praesule exquisivit, et obtinuit.

3. Censuit, in fine, admonendum esse praefatum Nuntium, ut factis praedictis diligentibus necessariisque informationibus assumptis, ac audito dicto Maximo omnia referat Sacrae Congregationi de Propaganda Fide cum sua sententia.

299.

Roma, 19 . VIII . 1639.

De admissione in Collegio Graecorum de Urbe duorum Alumnorum ruthenorum ex dioecesi Agriensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13, fol. 335, nr. 45.

CONG. 259 — Die 19 Augusti 1639 (f. 327).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanct. mo, cui interfuerunt decem Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Caietanus, Spada, Cornelius, Pamphylius, Albornotius, Sancta Crucius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Assessor S. Officii.

Referente Emin. mo D. Cardinali Barberino litteras R. mi Matthaei, Nuntii extraordinarii in Germania, de Episcopo Agriensi instante, ut duo Alumni ritus graeci in Collegio Graecorum de Urbe reciperentur, in eoque instruerentur pro conversione 30 mil. Schismaticorum eiusdem ritus, qui in eius dioecesi existunt, S. D. N. mandavit litteras praedictas iterum referi in Congregatione DD. Cardinalium.¹⁸⁸

300.

Roma, 12 . IX . 1639.

De receptione duorum Alumnorum ruthenorum ex Dioecesi Agriensi in Collegio Graecorum de Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 13 fol. 367, nr. 33.

CONG. 260 — Die 12 Septembris 1639 (f. 356v).

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Cornelius, Pamphylius, Albornotius, Sancta Crucius, Pallottus, Barberinus et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Lanuvius.

Referente Emin. mo D. Card. Barberino litteras R. mi Matthaei, Nuntii in Germania, de Episcopo Agriensi¹⁸⁹ instante, ut duo Alumni ritus graeci in Collegio Graecorum de Urbe reciperentur, in eoque instruerentur pro conversione 30 m. Schismaticorum eiusdem ritus, qui in eius Dioecesi existunt, S. D. N. mandavit litteras praefatas iterum referri in Congregatione DD. Cardinalium.

¹⁸⁸ Cfr. infra sub die 12.IX.1639, nr. 300 et 301.

¹⁸⁹ Episcopus Agriensis an. 1639 erat Georgius Lippay de Zombor (1637-1642), postea Archiep. Strigoniensis et Primas Hungariae (1642-1666), qua in Sede obiit an. 1666.

301.

Roma, 12 . IX . 1639.

Unus tantum Alumnorum ex Dioecesi Agriensi recipi potest in Collegio Graecorum de Urbe.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 13, fol. 367rv, nr. 34.

Sept. 12.

Referente Em.mo D. Card. Barberino iterum litteras Nuntii Caesarei, et Decretum, de quo proxime supra, de duobus Alumnis, quos Episcopus Agriensis in Collegio Graecorum de Urbe collocari cupiebat ad (f. 367v) effectum iuvandi in rebus fidei 30 m. Schismaticorum, idem Em.mus dixit, se recepturum in Collegio Graeco unum Alumnum tantum ex proponendis a praefato Episcopo Agriensi.

302.

Roma, 26 . III . 1640.

Constituatur nova congregatio particularis pro expediendis negotiis Metropolitae Kioviensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 54.

Die 26 Martii 1640. In Concistorio Secreto (f. 53).

Eodem die in eodem Concistorio (f. 54).

Referente Em.mo D. Card. Sancta Crucio S. D. N. Congregationem particularem pro negotiis Ruthenorum alias institutam ad expediendum R.mum D. Raphaelem totius Russiae Metropolitanum unitum¹⁹⁰ renovavit, eique ultra DD. Cardinales, et Theologos alias in illa adscriptos, videlicet, Pamphylum, Pallottum, et Barberinum, Paulutium, Assessorem Sancti Officii, M. Sac. Pallatii, et P. Horatium Justinianum, addidit Em. D. Card. Sanctam Crucium, et R. P. D. Antonium Marulum.

303.

Roma, 25 . VI . 1640.

De concessione ecclesiae SS. Sergi et Bacchi et de eius confirmatione Decreto Pontificio.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 123, nr. 46.

CONG. 267 — Die 25 Iunii 1640 (f. 111).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt undecim Cardd., videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Cornelius, Pamphylus, Albernotius, Brancatius, Sanctacrucius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et RR. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Caeva.

¹⁹⁰ Raphaël Korsak conimorabatur Romae iam autumnno 1639, et fortasse primis mensibus veris an. 1640 in patriam reverti cupiebat, prout testificant etiam litterae commendatitiae de data 3.XII.1639. - Cfr. A. THEINER, *op. cit.*, vol. 3, p. 416, nr. 345.

Referente Em.mo D. Card. Sancta Crucio Decretum visitationis Apost., quo Ruthenis unitis conceditur ecclesia SS. Sergii et Bacchi in Urbe cum suis pertinentiis, Sac. Congregatio censuit, si S.mo placuerit, praefatum Decretum Apostolica auctoritate esse confirmandum. Eodem die. S. D. N. Decretum Sac. Congregationis probavit.

304.

Roma, 24 . IX . 1640.

Petuntur litterae commendatitiae pro P. Josaphat Isakovycz ad recuperandam summam 20 millium florenorum a PP. Carmelitis Lithuaniae, legatis pro ecclesia SS. Sergii et Bacchi a Joanne Dubovycz.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 181v-182, nr. 27.

CONG. 269 — Die 24 Septembris 1640 (f. 175).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt undecim Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Cornelius, Pamphylus, Albernotius, Sancta Crucius, Pallottus, Brancatius, Barberinus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Caeva.

Referente Em.mo D. Card. Sancta Crucio instantiam Patris Philippi,¹⁹¹ Rutheni uniti, Ordinis Sancti Basilii, et Rectoris ecclesiae Sancti Sergii, et Bacchi de Urbe pro litteris commendatitiis pro Patre Josaphat, Rutheno unito, Sancti Basilii monacho,¹⁹² quem mittit in Poloniam ad exigendum legatum 20 m. florenorum polonorum dictae ecclesiae Sancti Sergii et Bacchi, et aliorum 6 m. florenorum similium pro sepultura a D. Joanne Dubovycz, apud praedictos monachos in aedibus eiusdem ecclesiae defuncto, relicto, ad Nuntium Poloniae, ad Episcopum, et Suffraganeum Vilmensem, ad D. Alexium, fratrem dicti D. Joannis, Archimandritam Vilmensem, ad Provinciale Poloniae Carmel. Discalceatorum, paenes quos sunt praedictae pecuniae in deposito, ad Magistratum Vilmensem, et ut litterae in simili forma a Generali Carmelit. (f. 182) Discal. ad Poloniae Provinciale, ut dictas pecunias, penes eius Fratres depositas, solvi curet praedicto Patri Josaphat, et denique litteras ad Episcopos ruthenos unitos, ut Seminario monachorum Sancti Basilii in dicta ecclesia Sancti Sergii, et Bacchi erigendo subsidium aliquod praestent, et Seminarium ruthenum, quod s. m. Metro-

¹⁹¹ P. Philippus Borovyk, Basilianus, Alumnus Collegii Graecorum de Urbe, et immediate secundus Procurator Generalis negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe, ut videtur, usque ad annum 1651 (?), quo anno Romae vita functus est. Studuit in Collegio Graecorum, qua de re talis habetur adnotatio: « 339. P. Filippo Borovik monaco ruteno. Studiò metafisica, et 4 anni di theologia; fu di ottima natura e bon religioso » (fol. 64 vel 59). Et postea in alio loco: « P. Philippus Borowik quattuordecim annis Romae Procuratoris in Causis ecclesiasticis S. Unionis strenuus laboravit » (fol. 203, vel 197v). Nazione erat Lithuanus, ut dicitur in elencho alumnorum dicti Collegii, filius Eustachii et Theodora. Admissus est die 2.V.1633, aetate 27 annorum; venit in Collegium iam ut sacerdos, e Collegio discessit die 8.IX.1638, ut videtur ad ecclesiam SS. Sergii et Bacchi, tunc Untis donatam (cfr. fol. 10v-11).

¹⁹² P. Josaphat Isakovycz, socius P. Philippi in studiis romanis, et initio in romana procuratura. Patria Lithuanus, admissus ut sacerdos aetate an. 26, die 2.V.1633, eademque studia obibat. Discessit et Collegio die 8.IX.1638, ad ecclesiam, ut videtur, SS. Sergii et Bacchi. In patriam missus (Vilnam), ut fundationem Dubovicianam pro hospicio romano SS. Sergii et Bacchi recuperaret a Carmelitis Discalceatis Lithuaniae, mox vita functus est.

polita Joseph cum pecuniis, a Sede Apostolica datis, et per contributionem ab eisdem Episcopis factam collectis erexit, manutentant, si adhuc extat, si non extet, ut illud iterum erigant. Sac. Congregatio petitas litteras decrevit, et iussit agi cum praedicto Generali Discalceat., ut litteras petitas scribat, et Secretario suo tradat.

305.

Roma, 13 . V . 1641.

Laudatur Episcopus Agriensis de cura in liberatione Episcopi Munkaciensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 342v, nr. 37.

CONG. 276 — Die 13 Maii 1641 (f. 333).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Capponius, Caetanus, Spada, Pamphylus, Albornotius, Brancatius, Pallottus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Card. Pallotto litteras Episcopi Agriensis de carceratione Patriarchae graeci linguae illyricae in Transilvania,¹⁹³ et de eius unione cum Sancta Sede Apostolica, et diligentiam eiusdem Episcopi in procuranda eius liberatione, Sac. Congregatio iussit commendari pietatem praefati Episcopi, et hortari ad eas prosequendas, donec dictus Patriarcha liberetur, et insuper scribi Patri Stephano de Salines, Praefecto Missionis Min. de Observantia in Transilvania, ut liberationem praefati Patriarchae procuret mediante D. Sigismundo Gornes et D. Stephano Haller, et aliis principalibus viris Transilvanis catholicis.

306.

Roma, 9 . IX . 1641.

De institutione confessoriorum pro ecclesia Zyrovicensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 422rv, nr. 7.

CONG. 280 — Die 9 Septembris 1641 (f. 420).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Pamphylus, Albornotius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Card. Caetano instantiam Metropolitae Russiae pro facultate instituendi quatuor Confessarios in ecclesia Sanctae Mariae Zerovicensis cum potestate absolventi ab haeresi, schismate, et aliis reservatis Sedi Apostolicae, etiam in Bulla Caenae contentis, Sacra Congr. dixit, Oratorem non indigere facultate petita cum ei in facultatibus per Sanctum Officium (f. 422v) concessis articulo 28. detur eidem potestas communicandi suas facultates sacerdotibus idoneis.

¹⁹³ Agitur de Episcopo Munkaciensi, ut videtur Basilio Tarasovyč (1634-1648), qui fortasse iam tunc de unione cum Ecclesia Romana cogitabat, quam postea, ut communiter asseritur, anno 1646 acceptavit. Ex litteris et actibus S. C. de Prop. Fide subsequentibus patet, non agi de Transilvania. - Cfr. infra, nr. 317.

307.

Roma, 9 . IX . 1641

Negatur facultas celebrandi sacerdotibus ruthenis Ritu Latino in ecclesia Zyrovicensi, quia per capellanum latinum potest provideri.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 422v, nr. 8.

Sept. 9.

Referente Em.mo D. Card. Caetano instantiam Metropolitae Russiae¹⁹⁴ pro facultate celebrandi ritu latino, in latina lingua, vel illyrica cum Missali illyrico, a Sac. Congregatione impresso, in ecclesia Sanctae Mariae Zirovicensis pro uno saltem ex monachis monasterii dictae Sanctae Mariae, ut confluentibus ex omni parte ad visitandam ecclesiam dicti monasterii Catholicis latinis, eorum devotioni satis fieri possit, illisque ritu latino Sacram Eucharistiam ministrari, Sac. Congregatio censuit petitionem Oratoris esse reiiciendam, cum per cappellanum latinum possint fieri, quae per monachum ritus graeci praestari vellet.

308.

Roma, 9 . IX . 1641.

Renovatio privilegii altarium privilegiorum pro ecclesiis ruthenis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 422v-423, nr. 9.

Sept. 9.

Referente Em.mo D. Card. Caetano instantiam novi Metropolitae Russiae pro renovatione Altarium privilegiorum pro Defunctis, iuxta Decreta (f. 423) in Congregatione de Prop. Fide a S.mo D. N. edita die 6 Septembris, et 19. 9bris 1624, et die 12 Julii 1627, cum lapsus sit decennium ad quod fuerunt concessa, Sanctitas Sua petitioni Oratoris annuit.

309.

Roma, 12 . XI . 1641.

Exquiruntur informationes de aliquo Patriarcha rutheno in Transilvania.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 14, fol. 473v, nr. 23.

CONG. 282 — Die 12 Novembris 1641 (f. 468).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, et Brancatius, et R. P. D. Lanuvius.

¹⁹⁴ Metropolita Kioviensis novus, post mortem R. Korsak (1640), erat Antonius Sielava, antea Archiepiscopus Polocensis (1624). R. Korsak obiit Romae, die, ut videtur, 28.VIII. - Cfr. A. G. WELYKYJ, *Dies et annus mortis R. Korsak*, in « *Analecta OSBM* » Ser. II, Sec. II, vol. 1, fasc. 1, p. 145-160.

Referente Em.mo D. Card. Spada litteras Episcopi Agriensis de Patriarcha rutheno a Principe Transilvaniae¹⁹⁵ e carceribus dimisso, eiusque dispositione ad catholicam fidem amplectendam, Sac. Congregatio iussit scribi Nuntio Germaniae, ut informationes assumat de praedicto Patriarcha, videlicet de eius Sede, ubi sit, et proprio titulo, quia Rutheni non habent Patriarcham, sed Metropolitam, qui totius Russiae dicitur, et an sit de Patriarcha Ocridae, vel Patriarcha de Pech, et quot habeat Episcopos eius iurisdictioni subiectos, et in quibus regionibus habitent, an scilicet in Servia, an vero in Ungaria.

310.

Roma, 14 . I . 1642.

Examinatur petitio Provinciae Dominicanorum Russiae de facultatibus pro conversione non-Catholicorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 6v, nr. 17.

CONG. 283 — Die 14 Ianuarii 1642 (f. 1).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Pamphylius, Albornotius, Pallottus, et Antonius, et RR. PP. DD. Lanuvius, et Assessor Sancti Officii.

Referente Emin.mo D. Card. Caetano instantiam Provinciae Dominicanorum Russiae, ut in singulis Conventibus eiusdem Provinciae inter Haereticos diversarum sectarum, et praesertim Arianae perfidiae, et Schismaticos, Infideles, Tartaros, ac Moscovitas existentibus duo Fratres Dominicani, Sacerdotes, per Provincialem, et Definidores approbandi Missionarii sub Praefectura Fratris Stephani, Sacrae Theologiae Bacalauri, constituerentur cum facultatibus reformatis, Sac. Congregatio, visa approbatione Patris Generalis Dominicanorum, petitioni Oratricis annuit, et pro facultatibus iussit adiri Sanctum Officium.

311.

Roma, 20 . I . 1642.

Petitur aliqua dispositio S. Sedis contra alienationem bonorum ecclesiasticorum ruthenorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 16v, nr. 14.

CONG. 284 — Die 20 Ianuarii 1642 (f. 12).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Caetanus, Spada, Pamphylius, Albornotius, Pallottus, Barberinus, et (f. 12v) Antonius, et RR. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Caeva.

Referente Em.mo Card. Pamphylio instantiam Metropolitanae Russiae uniti pro aliqua provisione, ne bona Ecclesiarum Ruthenorum unitorum passim, ut nunc fit, alienentur cum non sufficiat Breve alias cum dispositione cap.: Hoc consultissimum,

¹⁹⁵ Cfr. supra, nr. 305, nota 193. Agitur de Georgio I Rakocsy, Principe Transilvaniae (1631-1648), qui plurimos habuit successus politicos et bellicos (1643-1645). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 21, p. 926.

de rebus Eccl. non alienan. in 6^o. ad instantiam sui Praedecessoris expeditum, S. D. N. mandavit huiusmodi negotium diligentius in Congregatione DD. Cardd. examinari.

312.

Roma, 14 . II . 1642.

De oppressione Ep. Chelmensis, ut cederet unam ecclesiam Schismaticis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 32v, nr. 32.

CONG. 285 — Die 14 Februarii 1642 (f. 23).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Caetanus, Spada, Pamphylius, Albornotius, et Barberinus, et RR. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Assessor Sancti Officii.

Referente Em.mo D. Card. Pamphylio litteras Nuntii Poloniae de Episcopo Chelmensi¹⁹⁶ unito, qui a Duce Osolinschi¹⁹⁷ inducebatur ad cedendam ecclesiam Catholicorum Schismaticis, etiam minis intentantis non solum dicto Episcopo, sed etiam Nuntio, qui iuxta Decreta Sac. Congregationis dicebat eidem Duci, ecclesiam praedictam Schismaticis non posse concedi, Sac. Congregatio iussit commendari, et probari, quae fecit, et dixit Nuntius Episcopo praedicto, et Duci Osolinschi.

313.

Roma, 12 . III . 1642.

Querela Metropolitanae Kioviensis contra PP. Soc. Jesu, quod acceperunt ex manibus laycorum bona ecclesiastica ruthena, nec non contra alienationem bonorum, ab Episcopis factam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 44rv, nr. 11.

CONG. 286 — Die 12 Martii 1642 (f. 41).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Pamphylius, Albornotius, Pallottus, Barberinus, et Antonius, et Emin. mus D. Julius Gabriellus, nuper adscriptus a Sanctissimo in hac Sac. Congregatione.

Referente Em.mo D. Card. Pamphylio querelas Metropolitanae Russiae uniti contra D. Principessam de Ostrog,¹⁹⁸ quae donavit civitatem Suras¹⁹⁹ cum octo villis, spectantibus ad suam Metropolitam, Patribus Societatis Jesu, et contra praedictos Patres, qui illas contra Canones de manu layca receperunt; item querelas contra Episcopos, et Archimandritas unitos, ac alios qui Ecclesiarum unitarum bona alienant, et simul instantiam pro restitutione dictarum villarum, et prohibitione cum poenis in Paulina Constitutione, contra bona ecclesiastica alienantes edita, contentis, tacito nomine dictae constitutionis.

¹⁹⁶ Methodius Terleckyj (1629-1649).

¹⁹⁷ Georgius Ossolinski. - Cfr. supra, nr. 228, nota 144.

¹⁹⁸ Agitur de Anna Aloysia Ostrońska-Chodkiewicz, nr. 296, nota 185.

¹⁹⁹ Suroż, ut videtur, oppidum aliquod in Volhinia.

(f. 44v) Sac. Congregatio, quoad restitutionem praedictarum villarum, iussit agi cum Generali Societatis Jesu, ut si vera sint, quae proponuntur, mandet Patribus suis, ut dictas villas Metropolitae restituant. Quovero ad prohibitionem petitam, iussit scribi Nuntio pro informatione, et voto.

314.

Roma, 12 . III . 1642.

Ne impediatur erectio scholae in civitate Chelmensi Nuntio Apost. enixe commendatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 49rv. nr. 24.

Mart. 12.

Referente Em.mo D. Card. Pallotto instantiam Metropolitae Russiae, et Episcopi Chelmensis Ruthenorum unitorum, ut Capitulo Chelmensi latino praecipiat, ne scholam erectam a Chelmensi Episcopo praedicto in Chelma impediatur, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio, ut praefatum (f. 49v) Capitulum moneat, curetque, ne dictam scholam impediatur, contra dispositionem Sac. Canonum et praesertim Synodi Romanae, registratae in Canone: de quibusdam, 96 distinct.

315.

Roma, 12 . III . 1642.

Contra Archiep. Leopoliensem, qui Schismatico Ecclesiam Leopoliensem concessit.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 49v, nr. 25.

Mart. 12.

Referente Em.mo D. Card. Pallotto querelas Metropolitae Russiae contra Archiepiscopum Leopoliensem latinum,²⁰⁰ qui Ecclesiam Leopoliensem ruthenam²⁰¹ ex privilegio, quod a Regibus Poloniae habere praetendit, contulit Schismatico, Sac. Congregatio iussit scribi Nuntio Poloniae pro informatione, et voto.

316.

Roma, 12 . III . 1642

Remittitur ad S. Officium instantia Metropolitae, ut declaretur licita frequentatio Latinorum ecclesias et sacerdotes ruthenos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 50v, nr. 28.

Mart. 12.

Referente Em.mo D. Card. Pallotto²⁰² instantiam Metropolitae Russiae pro declaratione, quod liceat latinis Sacerdotibus celebrare in ecclesiis Ruthenorum unitorum,

²⁰⁰ Stanislaus Grochowski (1633-1645). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 2, p. 128.

²⁰¹ Vacantem post mortem Hieremiae Tyssarovskij (1607-1641), Episcopi Leopoliensis non-uniti. - Cfr. IG. STEBELSKI, *op. cit.*, *Przydatek*, p. 150; A. G. WELIKYJ, *Prima Unio Eparchiae Leopoliensis*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 553-567.

²⁰² Card. Joannes Baptista Pallotti, ex Nuntius Viennensis (1628-1629), creatus Cardinalis die 19.XI.1629. Antea Collector Portugaliae. Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII.

illisque et laicis latinis peccata sua confiteri Sacerdotibus ruthenis unitis, et eorundem Unitorum Missis interesse, Ecclesiasticos illorum visitare, in eis audire conciones, quia multi ex ignorantia praedicta omnia praedicant esse Latinis illicita, Sac. Congregatio remisit huiusmodi instantiam Sancto Officio.

317.

Roma, 30 . IV . 1642.

Informatio de Basilio Tarasovyč, Ep. Mukacevensi, Schismatico, eiusque ad S. Unionem inclinatione.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 71, nr. 19.

CONG. 287 - Die 30 Aprilis 1642 (f. 66v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Pamphilius, Brancatius, Barberinus, Antonius, et Gabriellus, et RR. PP. DD. Homodaues, Lanuvius, et Assessor Sancti Officii.

Referente Em.mo D. Card. Brancatio²⁰³ litteras Nuntii Caesarei de Patriarcha rutheno, de quo scripsit Episcopus Agriensis Sac. Congregationi, quod scilicet non erat Patriarcha, sed Episcopus Muncatziensis, et Maramorosensis in Moravia (f. 71v), nomine Basilius Tarasowicz,²⁰⁴ ritus graeci, et simul instantiam eiusdem Basillii pro aliquo subsidio pecuniario, cum promptus sit emittere professionem fidei catholicae coram eo, Sac. Congregatio iussit Nuntium praedictum moneri de Decreto S. D. N., ne redditus Sac. Congregationis impendantur nisi in missionibus et Alumnis instruendis.

318.

Roma, 20 . V . 1642.

Requiritur informatio Nuntii de decimis Ruthenorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 88v-89, nr. 19.

CONG. 288 — Die 20 Maii 1642 (f. 83).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Pamphilius, Brancatius, Barberinus, Antonius, et Gabriellus et RR. PP. DD. Homodaues, Lanuvius, Ceva, et Assessor Sancti Officii.

Referente Em.mo D. Card. Pamphilio instantiam Metropolitae Russiae uniti, ut provideretur ne ipse, et alii Ecclesiastici rutheni uniti ad decimas pro bonis, quae possident solvendas cogentur, cum alias declaratum fuerit Ecclesiasticos ruthenos unitos gaudere privilegiis Cleri latini, Sacra Congregatio iussit scribi (f. 89) Nuntio Poloniae pro informatione, et voto.

²⁰³ Card. Franciscus Maria Brancaccio, Episcopus Caputaquensis (Capaccio in Lucania, Regnum Neapoli, Suffraganeus Salernitanus, hodie Vallensis in Lucania); creatus Cardinalis 28.XI.1633. Strenuus defensor iurium ecclesiasticarum contra Vicereges Neapolitanos. - Cfr. *Ibidem*.

²⁰⁴ Episcopus ab anno 1634. Iam tunc ad Unionem inclinabat, quam tandem anno 1646 accepit. Obiit an. 1648.

319.

Roma, 20 . V . 1642.

*De missione Georgii Crisani in Moscoviam.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 89, nr. 21.

Maii 20.

Referente Emin.mo D. Card. Brancatio instantiam D. Georgii Crisani Sacerdotis latini, et Alumni Sacrae Congregationis pro facultate celebrandi ritu graeco, ut in missione ad Vallachos Montis Feletrii, et ad Moscoviam, ei destinata, ubi latini ritus Missa non est in usu, possit ad mores, et ritus illarum Gentium sese accomodare, illosque eo modo ad fidem catholicam perducere, Sac. Congregatio remisit hoc negotium ad Sanctum Officium.²⁰⁵

320.

Roma, 9 . VI . 1642.

*Congregatio particularis de pallio pro Metropolita Kioviensi. De necessitate palli, et de modo sanationis actus anteriorum Metropolitarum.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 97-102.

Die 9 Junii 1642.

Fuit congregatio particularis Euchologii de pallio Graecorum in palatio Em.mi D. Card. Brancatii, cui interfuerunt cum Eminentia Sua D. Cardinalis Caesarinus, et RR. PP. DD. (f. 97v) Marullus, Magister Sancti Palatii, Abbas Hilarion, Advocatus Jo. Rubeus, et Promotor Fidei, P. Vincentius Ricchardus, P. Thomas Imbenius, P. Alciatus, P. Soninus, et P. Joannes de Lugo, et Franciscus Ingolus, Secretarius Sac. Congregationis de Prop. Fide.

In ea, propositis duobus dubiis a Sac. Congregatione Rituum remissis ad Congregationem Euchologii, quorum tenor est qui sequitur.

Metropolita Ruthenorum graeci ritus, Serenissimo Regi Poloniae subiectorum, et Sanctae R. E. unitorum, exponit, quod post celebratam sub sanctae memoriae Clem. 8, anno 1595, unionem, quatuor Metropolitae²⁰⁶ sine pallio de corpore Beati Petri sumpto decessere, alio non usi, nisi stola Pontificali graeco ritu, quam Homoforon, seu Periforion appellant, quam ipsi deinde Episcopis sibi subiectis tradere (f. 98) consueverunt, bona fide putantes pallium non esse necessarium, vel a Summo Pontifice secum fuisse dispensatum propter Schismaticos, ne forsitan ex hac novitate difficilius redderentur ad unionem cum Ecclesia Romana suscipiendam, et quod tam praedicti Metropolitae defuncti, quam modernus, adhuc vivens, plures consecrationes Episcoporum, ordinationes Praesbyterorum, et alias manuum impositiones, et munia Pontificalia gesserunt, de quorum validitate nunc dubitat. Quapropter ipso petente a Sede Apostolica, quid sibi in praefatis agendum sit, et parato, si S.mo D. N. placuerit, antiquum pallium graeci ritus deponere,

²⁰⁵ De Georgio Kryžanyč cfr. plurima documenta, quae habet cum copiosa bibliographia E. ŠMURLO, *Le Saint Siège...*, p. 138-173, 274-277, 338-349, et Appendix, p. 195-203.

²⁰⁶ Michael Rahoza (-1599), Hypatius Potij (1600-1613), Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637), Raphaël Korsak (1637-1640).

1. Quaeritur primo, utrum stantibus praemissis dicto Metropolitae pallium de Corpore Beati Petri necessario sit tradendum, et an eiusmodi pallium ipse deinde caeteris Archiepiscopis sibi subiectis tradere debeat;

2. An, et quomodo consulendum cum illis, qui a Defunctis et moderno Metropolitis sine pallio fuerunt ordinati, et cum ipsis ordinantibus, qui talia bona fide gesserunt.

Ad 1m. R. P. D. Marulus, ob aliud negotium a congregatione discessurus, praeter ordinem consuetum, et in Congregatione Euchologii servatum, suam ante omnes Patres sententiam praeferebat, censuit Graecis, seu Ruthenis unitis Patriarchali, seu Primatiali, aut Archiepiscopali, seu Metropolita dignitate insignitis, dandum esse pallium de corpore Beati Petri sumptum ultra illud, quod nunc gestant commune cum Episcopis, quod non est verum pallium, quia non est laneum, non significat plenitudinem pontificalis officii, semper defertur a Metropolitis, et Episcopis in divinis Officiis, deponitur ad evangelium, et formam habet diversam, idque probavit ex iis, quae habentur in dist. 100 per totam in cap. nisi illa de auctoritate, et usu (f. 99) Pallii, et in cap.: Antiqua de Privileg., ubi de Patriarchis graecis ad litteram habetur casus, nec obstare dixit, quod eo tempore Patriarcha Constant., et Patriarcha Antiochenus essent latini; quia alii duo, videlicet, Alexandrinus, et Hierosolimitanus erant graeci, et ratio illius textus in praerogativa S. R. E. fundata id convicit.

Ad 2m dixit, quoad collationem ordinum, quia Metropolitae rutheni erant episcopi, non esse difficultatem, quin ab eis ordinati receperint characterem, et potuisse ac posse in Ordinibus susceptis ministrare, nam licet contra Sacrorum Canonum prohibitionem facientes peccaverunt, nisi bona fides eos excusaverit, prout censuit excusasse, suspensionem tamen non incurrerunt, quia in Sac. Canonibus huiusmodi poena Ordinantibus ante pallii susceptionem et Ordinatis ab eis imposita non reperitur (f. 99v); quo vero ad Sacramentalia, bonam fidem omnes excusasse.

In qua sententia cum Patres omnes, nemine discrepante, quoad hoc 2m dubium fuerint, deinceps de eodem 2o dubio nihil erit dicendum.

Secretarius Ingolus ad 1m dubium, ultra Canonum praedictorum, et praesertim cap. Antiq. de privileg. de potest. sententiam D. Marulli sequens, rationem, et exempla adduxit; non fuit, quod cum dare pallium sit inter ea, quae respiciunt Romani Pontificis auctoritatem supremam, ac maiestatem dici non potest Clem. 8. in recipiendis ad Unionem Ruthenis, dum de pallio nihil decrevit, voluisse praedictae auctoritati, et maiestati praeiudicare, nec permittere, ut Metropolitae Russiae sibi sumant Pallium, sicut Ecclesiarum Schismatici auctoritate propria faciunt. Exempla sunt (f. 100) duo. 1: Maronitarum, nam in eorum Unione Innocentius 3tus in Bulla, quae reperitur in codice Constitutionum Collegii Maronitarum de Urbe concistorialium, decrevit, ut Patriarcha Maronitarum, qui habet suam Provinciam in districtu Patriarchae Antiocheni, et cum Antiochenus Patriarchatus post ammissionem Terrae Sanctae inciderit in manus Schismaticorum, praedictus Patriarcha Maronitarum unitus semper pallium petit a Romano Pontifice, et novissime id fecit novus Patriarcha Maronitarum unitus, Georgius Amira, qui petita de more, ac obtenta suae electionis confirmatione a S. D. N. Urbano VIII, petente Advocato concistoriali Cultello, obtinuit etiam pallium, quod eius Procuratori traditum fuit de mandato eiusdem Sanctissimi ab Em.mo D. Card. de Sabaudia, ut patet ex instrumentis, quae dictus Ingolus exhibuit.

(f. 100v) 2m fuit Nicolai Archiepiscopi Leopoliensis nationis Armenorum, qui ad Unionem fuit ab eodem S.mo receptus, ab eoque novam provisionem obtinuit, et simul pallium.²⁰⁷

²⁰⁷ Cfr. G. PETROWICZ, *op. cit.*, p. 75 (mense iulio 1635).

Pater Joannes de Lugo stetit cum dispositione cap.: Antiqua, veruntamen dixit ad evitanda scandala, quae possint oriri ex huiusmodi novitate, et cavendum, ne Rutheni magis adversi S. R. E. reddantur, posse resolutionem differri ad aliud tempus magis opportunum, Ruthenisque dicendum, Theologos in ea esse opinione, quod gesta a Metropolitis sine pallii sumptione a Sede Apostolica non esse nec fore invalida, donec dubium ab eis propositum diligentius examinetur, et decidatur. In eadem sententia fuit P. Alciatus, ac Magister S. Palatii.

P. Soninus sententiam D. Marulli sequutus dixit, Graecos unitos omnino cogendos ad petendum (f. 101) pallium, quia huiusmodi datio pallii respicit Romani Pontificis Primatum, quem a tanto tempore iidem Graeci oppugnant.

P. Imbenius idem omnino dixit.

P. Richardus post multas auctoritates allegatas, videlicet Isidori Pelusiotae, Sancti Germani, Eustachii Thessalonicensis, et aliorum, quibus ostendit non solum pallium modernorum Graecorum esse diversum ab antiquo, quod ex lana conficiebatur, ut pallium latinum, et quod illud petebatur a Romano Pontifice, stetit cum dispositione cap.: Antiqua, et ad evitanda scandala, posse praecipi Ruthenis unitis, ut pallium, quod nunc gestant sericum Metropolita, et Archiepiscopi fieri curent ex lana, cum solitis crucibus rubei coloris, cum, ut per diversas auctoritates demonstravit, etiam latinum pallium non nigras cruces, ut modo, sed rubeas antiquitus haberet.

(f. 101v) Abbas Hilarion dixit de iure non posse responderi ad dubium, nisi iuxta cap.: Antiqua, quod coniungens cum cap.: Quam de Officio ordinarii, ostendit Innocentium in cap.: Antiqua, loqui de Patriarchis graecis, quia in dicto cap. Quam, expresse cavet, ne in una Ecclesia sint duo Episcopi, licet ibi sint Catholici diversi ritus, sed unus tantum principalis, et alter omnino dependens a principali. De facto vero negotium huiusmodi esse maturius considerandum. R. P. D. Rubeus censuit cogendos esse Metropolitas Ruthenorum unitorum ad petendum pallium per rationes, et Canones supra allegatos, et praesertim per d. cap.: Antiqua, quod diligenter ponderavit, et demonstravit Innocentium Decretalem praedictam principaliter edidisse ad confirmandum Primatum Apost. Sedis, et Rom. Pontif., et ad stabiliendam praedictorum Patriarcharum subiectionem eidem Sedi, et Pontif. (f. 102). Adduxit etiam ad idem conprobandum epistolam Nicolai Papae Primi ad consulta Bulgarorum, cap. 73, ubi expresse cavetur, Archiepiscopos electos a Suffraganeis pallium a Romana Sede percipere debere, et subiunxit, etiam Archiepiscopos ruthenos unitos a Metropolita iuxta suum privilegium ordinatos pallium a Romano Pontifice petere debere, cum illud dare Suffraganeis sit spirituale privilegium quatuor principalium Patriarcharum, ut in dicto capite Antiqua.

Postremo Em. Domini Cardinales, auditis votis praedictorum Patrum, censuerunt scribendum esse Nuntio Poloniae, ut diligenter inquirat, an per dationem pallii Metropolitae Russiae unito, eiusque usum more Episcoporum latinorum, non ablato pallio Graecorum Episcopis communi, possit scandalum oriri inter Ruthenos unitos, et Schismaticos ob id magis ab Unione reddi alienos.

320*

Roma, 12 . IX . 1642.

Negotium de professione fidei Ep. Munkacsensis remittitur ad S. Officium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 172, nr. 30.

A. HODINKA, *Munkacs Gör. Szert. Püspökseg Okmánytára*, Ungvar 1911, I, p. 138, nr. 97.

CONG. 291 — Die 12 Septembris 1642 (f. 164v).

Referente Em.mo D. Card. Pallotto litteras Nuntii Caesarei de professione fidei iuxta formulam a S. D. N. orientalibus praescriptam coram Ep. po Agriensi, specialiter ad id a Nuntio Caesareo deputato, facta et subscripta a R. P. D. Basilio Tarasovich Ep. po Munkatiense et Maramorisense, S. Congr. dictam professionem jussit transmitti ad S. Officium.

321.

Roma, 24 . XI . 1642.

Varia negotia Ruthenorum ad congregationem particularem remittuntur, cui nova assignata sunt membra.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 223, nr. 20.

CONG. 293 — Die 24 Novembris 1642 (f. 218v).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Pamphilius, Brancatius, Pallottus, Barberinus, et Gabriellus, et R. P. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Ceva.

Referente Em.mo D. Card. Pamphilio diversa negotia Ruthenorum unitorum circa prohibitum eorum transitum ad latinum ritum, et circa alienationes bonorum ecclesiasticorum, S. D. N. illa remisit ad congregationem particularem pro Ruthenis insistentiam, cui addidit loco b. m. Card. Sanctacrucii Em.mum D. Card. Sabelium, et loco Patris Horatii Iustiniani, ad Ecclesiam Montis Alti promoti, P. Vincentium Ricchardum, Theatinum, ita ut modo dicta congregatio particularis constet ex infrascriptis DD. Cardd., Praelatis, et Theologis, videlicet: Sabello, Pamphilio, Pallotto, Barberino, Marullo, Paulutio, et Assessore Sancti Offitii, Magistro Sac. Palatii, et P. Vincentio Ricchardo.

322.

Roma, 7 . I . 1643.

De additionibus in Decreto Beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 256rv.

Die 12 Januarii 1643. In Concistorio secreto.

Eodem die in dicto Concistorio secreto (f. 256).

Referente Em.mo D. Card. Pamphilio S. D. N. iussit Brevi expediendo ²⁰⁸ super Decreto ²⁰⁹ Sac. Congregationis Rituum, quo Sanctitas Sua in Catalogo BB. Martyrum, ac Pontificum retulit p. m. Josaphat, Archiepiscopum Polocensem ruthenum unitum, addi, quod etiam ad instantiam Sac. Congregationis de Propaganda Fide ad praefati Archiepiscopi Beatificationem fuit processum; Quovero ad festum eiusdem B. Josaphat Romae celebrandum, Sanctitas Sua mandavit adiri eandem Sac. Congregationem Rituum, cui praedicti festi celebrationis in Urbe determinationem remisit.

²⁰⁸ Expeditum die 16.V.1643. - Cfr. *Documenta Bio-Hagiographica*.

²⁰⁹ De data 14.XII.1642. - Cfr. *Documenta Bio-Hagiographica*.

323.

Roma, 13 . I . 1643.

Relatio litterarum Nuntii Varsaviensis de decimis Ruthenorum nec non de novo Episcopo non Unito Leopoliensi, ab Archiep. latino eiusdem civitatis introducto.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 262rv, nr. 22.

CONG. 295 — Die 13 Ianuarii 1643 (f. 256v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Pamphylus, Pallottus, et Ginettus et RR. PP. DD. Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente Em.mo D. Card. Pallotto tres litteras Nuntii Poloniae datas 29 Augusti 1642, et duas alias datas 24 et 31 Octobris, Sac. Congregatio decrevit, ut infra.

1. Quoad negotium decimarum Ruthenorum unitorum iussit illud examinari in Congregatione particulari pro Ruthenis praedictis habenda apud Em.mum D. Card. Sa bellum.

2. Probavit, ut de obiectis Archiepiscopo Leopoliensi latino²¹⁰ per Archiepiscopum Gnesnensem,²¹¹ iuxta eiusdem Nuntii sententiam, idem Leopoliensem Archiepiscopum commoneat.

3. Circa missionem petitam a Reformatis Sancti Francisci in maiori Polonia, Sac. Congregatio, sententiae Nuntii inhaerens, supersedendum esse censuit a dicta missione, donec dicti Reformati habeant Religiosos idoneos.

4. Circa Episcopum ruthenum, Schismaticum, et ob aetatis necessariae defectum inhabilem,²¹² ab Archiepiscopo Leopoliensi latino in ea civitate introductum, Sac. Congregatio iussit eidem Nuntio (f. 262) scribi, ut similiter per Archiepiscopum Gnesnensem de huiusmodi errore dictum Archiepiscopum Leopoliensem latinum commoneri curet, ac in futurum provideri, ne in illa Urbe fiat Episcopus schismaticus, aut aliis ex causis inhabilis, sed Ruthenus unicus idoneus.

5. Et postremo... (missio Curlandiae).

324.

Roma, 30 . III . 1643.

Querela Episcopi Chelmensis uniti contra Canonicos Chelmenses latinos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 314, nr. 21.

CONG. 297 — Die 30 Martii 1643 (f. 307).

Fuit Congregatio coram Sanctissimo, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Pamphylus, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Lanuvius, Ceva, et Assessor Sancti Offitii.

Retulit Em.mus D. Card. Ginettus litteras R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmensis rutheni uniti, continentes querelas contra Canonicos Chelmenses latinos, qui occasione decimarum eum iniuriose tractabant, et simul eius nepotem, ac suos monachos.

²¹⁰ Stanislaus Grochowski (1633-1645).

²¹¹ Matthias Lubienski (1641-1652).

²¹² Agitur, ut videtur, de Asenio Żeliborskyj (+1650). - Cfr. IG. STEBELSKI, *op. cit.*, *Przydatek*, p. 150-151.

325.

Romae, 30 . III . 1643.

Monitum cuiusdam P. Soc. Jesu de invitandis Praelatis Poloniae, ut interveniant apud Regem pro conversione Schismaticorum et Haereticorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 314rv, nr. 22.

Mart. 30.

Referente Em.mo D. Card. Ginetto monita quaedam cuiusdam Patris Jesuitae de necessitate excitandi Praelatos ecclesiasticos Poloniae, occasione alicuius Dietae, ad applicandum animum, magis quam faciunt, conversioni Haereticorum, et Schismaticorum (f. 314v) in eo Regno degentium, et praesertim illorum, qui sunt in Provinciis nuper a Rege infeudatis, Sac. Congregatio iussit dicta monita transmitti ad Nuntium Poloniae, eique iniungi, ut nomine Sanctitatis Suae, et Sac. Congregationis hortetur Praelatos praedictos, iuxta praefata monita.

326.

Roma, 30 . III . 1643.

Actio gratiarum Metropolitanae Kioviensis pro Metropolia ei concessa cum retentione Archiep. Polocensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 315, nr. 26.

Mart. 30.

Retulit Em.mus D. Cardinalis Ginettus litteras R. P. D. Antonii, Metropolitae Russiae, Rutheni uniti, in quibus gratias agebat S.mo de Metropolia ei concessa cum retentione Archiepiscopatus Polocensis.

327.

Roma, 1 . VI . 1643.

Contra exspectantias ad beneficia ecclesiastica in Ecclesia Unita.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 346rv, nr. 33.

CONG. 299 — Die 1 Iunii 1643 (f. 335v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Pamphylus, Pallottus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Pallotto instantiam Metropolitae Russiae uniti pro provisione ne Religiosi rutheni uniti, neve Episcopi rutheni pariter uniti, extorqueant a Rege Poloniae privilegia seu expectativas pro beneficiis, aut Episcopatus Religiosorum, aut Episcoporum unitorum viventium, Sacra Congregatio, animadvertens huiusmodi expectativas prohibitas esse a jure, ne detur occasio voti captandae mortis aliorum, mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut cum dicto Rege, ac eius Ministris serio agat, curetque reiici huiusmodi perniciosas expectativas petitiones, et hic Romae dari nihil transeat, si habentes praedictas expectativas (f. 346v.) a Rege, ab Apostolica Sede procurent provisiones, sive per Bullas sive per Brevia expediendas.

328.

Roma, 15 . VI . 1643.

Congregatio particularis de modo conservandi et ampliandi Unionem Ruthenorum. De modo instituendi visitationem, de P. Cassiano Sakovyč, de reductione Basilianorum in unam Congregationem, et de patriarcha in Russia instituendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 359v-361v.

Die 15 Junii 1643.

Fuit Congregatio super negociis Ruthenorum unitorum in Palatio Eminentissimi D. Cardinalis Sabelli, cui intervenerunt, cum Eminentia sua, D. Cardinalis Barberinus, RR. PP. DD. Marulus, Paulutius, Assessor Sancti Officii, et Pater Vincentius Richardus, Theatinus.

In ea relatis statu Ruthenorum unitorum, et mediis, quibus Unio conservari, et ampliari possit, Congregatio decrevit, sub beneplacito Sanctissimi, ut infra.

1. Censuit Ruthenos praedictos visitandos esse per Visitatores auctoritate Apostolica deputandos cum instructione continente ultra articulos in visitationibus localibus, et personalibus usitatos alia capita pecularia circa impedimenta Unionis, statum ecclesiarum cathedralium, monasteriorum, monachorum, et parochorum, qui Popi dicuntur, decimas, alienationem bonorum ecclesiasticorum, Synodos Quadriennales, Coadiutoriam Metropolitae Russiae, Decreta alias edita a S. Congregatione de Propag. Fide pro conservatione, et ampliacione Unionis Ruthenorum, et Seminaria eorum.

2. Censuit ad huiusmodi visitationem faciendam deputandos esse (f. 360) RR. PP. DD. Antonium, totius Russiae Metropolitanum unitum, et Georgium, Episcopum Samogitiae, cum facultate assumendi duos, aut plures Religiosos missionarios cum participatione Nuntii Poloniae, qui eos in visitatione adiuvent.

3. Circa modum Visitoribus praescribendum Congregatio censuit illis esse iniungendum, ut quoad iam decisa ab eadem Sacra Congregatione de Propag. Fide pro Ruthenis unitis nihil innovent, sed ea observari mandent, nisi forte contradictiones considerabiles eis occurrant, ob quas eandem Sacram Congregationem consulendam esse censeat. Quo vero ad non decisa in locali visitatione, et in iis quae pertinent ad mores, et disciplinam ecclesiasticam, vel regularem, poterunt Visitatores decernere quod eis in Domino videbitur expedire, ita tamen, ut ante suorum Decretorum executionem de iis referant ad eandem Sacram Congregationem; in reliquis vero gravioribus negotiis illa antequam aliquid decernant referre debent eidem Sacrae Congregationi (f. 360v) cum eorum sententia circa Decreta postea edenda.

4. Congregatio censuit de praedicta visitatione, et contentis in instructione per Nuntium Poloniae Regem esse commonendum, ut cum beneplacito Suae Maiestatis, eiusque auxilio, si brachio seculari opus fuerit, visitatio peragi possit, et per eundem Nuntium agendum esse cum praefatis Metropolitae et Episcopo Samogitiae ad explorandam eorum voluntatem, an onus visitationis Apost. suscipere velint.

5. Relatis negotiis P. Cassiani Sakovicij, antea Archimandritae Dubnensis et Clementis Suiski, Diaconi, Congregatio quoad dictum P. Cassianum censuit compellendum esse per Visitatores, vel Nuntium Apostolicum, ut ad suum monasterium revertatur, habitum monachalem recepturus, et sub obedientia sui Igumeni, vel Archimandritae victurus, quia dispensatio obtenta a S. Officio, ut posset transire ad ritum latinum, est nulla, et nulliter ab Episcopo latino Luceoriae executata, ob vitium subreptionis respectu dispensationis (f. 361), quia dictus P. Cassianus tacuit Decretum praefatae Sacrae Congregationis de Prop. Fide de prohibito transitu Religiosorum unito-

rum sine licentia Sedis Apostolicae ad ritum latinum, et respectu exequutionis, ob excessum dicti Episcopi executoris; Nam S. Officium non concessit dicto Patri Cassiano, ut posset ex monacho fieri Praesbiter secularis latinus, prout factus est. Quo vero ad monachum, Diaconum, quia nullam habet dispensationem, Congregatio censuit idem quod de Patre Cassiano, ut compellatur reverti ad suam Religionem.

6. Relato Decreto Sac. Congregationis de Propaganda Fide, die 4 . 8bris 1624 coram Sanctissimo edito, de Proto Archimandrita, seu Generali monachorum ruthenorum unitorum eligendo, eiusque iurisdictione ac potestate, et simul instantia Metropolitae Russiae, ut praefato Decreto adderetur infrascripta clausula, videlicet: Et praedicta omnia intelligantur sine praeiudicio antiquae, ac ordinariae Jurisdictionis (f. 361v) Metropolitae Russiae pro tempore in Monachos praedictos, eorumque Igu- menos, Archimadritas, ipsumque Proto Archimadritam, cui Sacra Congregatio nullo modo per Decretum praedictum derogare, aut illam diminuere intendit, - Congregatio censuit addendam esse praedictam clausulam iuxta petita, cum monachi Basiliani ritus graeci in tota Graecia non sint a iurisdictione Ordinariorum exempti.

7. Denique relatis litteris Patriarchae Athanasii Patellari, et Residentis Caesarei in Constantinopoli et copia memorialis ad Regem Poloniae missi pro Patriarcha novo in Russia constituendo per S. Mum, et Schismaticis per eum Sanctae Sedi uniendis, Congregatio censuit huiusmodi negotium in alia Congregatione esse maturius examinandum.

329.

Roma, 21 . VII . 1643.

Dubia de ordinatione Schismaticorum remittuntur ad Congregationem Dubiorum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 349v, nr. 41.

CONG. 302 — Die 21 Iulii 1643 (f. 382v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylius, Brancatius, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Homodaeus, et Lanuvius.

Dubia circa Ruthenos schismaticos et eorum ordinationes.

Referente eodem Em.mo D. Card. Ginetto dubia decem, a PP. Societatis Jesu exhibita, circa monachos schismaticos, Sacra Congregatio illa remisit ad Congregationem Dubiorum.

330.

Roma, 21 . VII . 1643.

Relatio de progressibus fidei catholicae ultra Boristhenem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 196v, nr. 49.

Jul. 21.

Referente eodem Em.mo D. Cardinali Ginetto litteras Patris Erasmi Bielicki, Missionarii in Moscovia ultra Boristenem, de introducta fide catholica inter gentes illas et ecclesiis, quae apud illas aedificantur, et simul instantiam eiusdemque Patris Erasmi pro Reliquiis, et Agnus Dei, Sacra Congregatio iussit commendari diligentias eiusdem Patris, et commoneri, ut de suis progressibus et templis aedificatis referat, de Reliquiis autem, et Agnus Dei iussit fieri solitas diligentias cum V. Gerente et Custode vestium S.mi.

331.

Roma, 7 . VIII . 1643.

Congregatio particularis super rebus Ruthenorum, quae in congregatione praecedenti discussae erant: Basiliani, Cassianus Sakovyč, Visitatio.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 399-400.

Die 7 Augusti 1643.

Fuit Congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Palatio Eminentissimi D. Cardinalis Pamphylis, cui interfuerunt, cum Eminentia Sua, RR. PP. DD. Marullus, Magister Sacri Palatii, Paulutius, Assessor S. Officii, et Pater Vincentius Richardus, Theatinus.

In ea 1: Relatis Decretis praecedentis Congregationis particularis Ruthenorum unitorum, habitae apud Eminentissimum D. Cardinalem Sabellum die 15 Junii proxime praeteriti, in primis circa Decretum 5m: placuit Patribus, ut committatur causa monachorum Cassiani Sakovicii, antea Archimandritae Dubnensis, et Clementis Suiski, Diaconi, R. P. D. Georgio, Episcopo Samogitae, cum facultate subdelegandi iudicem, vel iudices non suspectos, qui, auditis praedictis monachis, iustitiam faciant cum potestate excommunicandi praedictos monachos, si fuerit necessarium.

Deinde circa Decretum sextum, de Generali, seu (f. 399v) Proto Archimandrita ruthenorum monachorum unitorum, Patres primum illud emendarunt, deleta verbo: antiquae, illudque hoc modo accomodando: Et praedicta omnia (idest, ea quae continentur in Decreto Sacrae Congregationis de Propag. Fide circa electionem et iurisdictionem dicti Generalis) intelligantur sine praepiudicio ordinariae Jurisdictionis, quae de iure vel consuetudine competeat Metropolitanae Russiae pro tempore, et postea praefati Patres animadvertentes huiusmodi negotium esse maturius considerandum, iusserunt in sequenti Congregatione afferri Breve, vel Decretum praefatae Sacrae Congregationis circa electionem et iurisdictionem praedicti Generalis, seu Proto Archimandritae, atque etiam capi informationes circa usum, ac praxim praedicti Brevis, seu Decreti.

2. Relatis instructionibus, generali, et particulari, pro deputatis Visitoribus Ruthenorum unitorum, et articulis earum diligenter per (f. 400) suprascriptos Patres examinatis, illae fuerunt correctae, et emendatae, ut videre est in libro causarum huius anni, mandatumque fuit ut in proëmio dictarum instructionum ponatur clausula, quod Sacra Congregatio non intendit per huiusmodi visitationem praepiudicare ritui graeco, hactenus a Sede Apostolica tolerato, sed potius conservare, et ampliare praedictorum Ruthenorum Unionem.

332.

Roma, 10 . VIII . 1643.

Confirmantur Decreta congregationis particularis de visitatione Ecclesiae Unitae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 407v, nr. 8.

CONG. 303 - Die 10 Augusti 1643 (f. 404).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Pamphylis, Albornotius, Brancatius, et Ginettus, et RR. PP. DD. Homodeus, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Cardinali Pamphylis tria prima Decreta, edita in Congregatione particulari Ruthenorum unitorum die 15 Junii proxime praeteriti, circa visitationem Ruthenorum unitorum, S. D. N. illa probavit, mandavitque expediri Breve pro Visitoribus cum clausula, quod si ambo etc., attenta senectute moderni Metropolitanae, ac infirmitatibus, a quibus fortasse erit impeditus a prosequenda visitatione, iussitque Sanctitas Sua addi instructioni pro dictis Visitoribus compilatae clausulam, ut etiam se informerent de differentiis, quas circa dogmata fidei habent modo Schismatici rutheni cum Unitis.

333.

Roma, 10 . VIII . 1643.

Media reductionis Valacchorum Montis Felletrii ad fidem catholicam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 412v-413, nr. 23.

Aug. 10.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Ginetto media, quibus Vallachi Montis Felletrii possint a Schismate Graecorum ad catholicam fidem perducere, Sacra (f.413) Congregatio decrevit, ut infra.

1. Probavit, ut dentur litterae credentiales Episcopo Chelmsensi circa duas commendas Theutonicas, Metlica et Cernobl nuncupatas, Episcopo, et Seminario Vallachorum et Religiosis ritus graeci applicandas, ad Card. Mattheum,²¹³ ut si, adhibitis debitis diligentibus, animadvertat negotium desideratum a dicto Episcopo posse suum effectum sortiri, assistat negotiationi, quam facturum erit dictus Episcopus cum Imperatore.

2. Decrevit litteras commendatitias ad Varradiensem et Carlostadiensem Generales Imperatoris in dicto Monte, quibus rogentur, ut curent Vallachos praedictos reduci ad Unionem cum Santa Romana Ecclesia.

3. Ad Episcopum Zagrabiensem, et ad monachum Basilium Catholicum similes litteras decrevit.

4. Et ultimo quoad facultatem celebrandi ritu greco pro Georgio Crisano, Sacerdote latino, petitam, S. D. N. iussit perquiri exemplar, an huiusmodi aliis fuerit concessa.²¹⁴

334.

Roma, 14 . VIII . 1643.

Congregatio particularis super rebus Ruthenorum: de Protoarchimandrita Basilianorum, et de petitionibus Episcopi Chelmsensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 400-404.

Die 14 Augusti 1643.

Fuit Congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Palatio

²¹³ Card. Gasparrus Mattei, Archiepiscopus Athenensis, Nuntius Viennensis a mense augusto 1639, penes Imperatorem Ferdinandum III. Creatus Cardinalis 13.VIII.1643. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 717 etc.

²¹⁴ Cfr. supra, nr. 319, nota 205.

Emin.mi D. Cardinalis Pamphylly, cui interfuerut, cum Eminentia Sua, D. Cardinalis Barberinus, et RR. PP. DD. Marullus, Magister Sacri Palatii, Paulutius, Assessor S. Offitii, et Pater Vincentius Riccardus.

In ea 1^o: Relatis Decreto edito die 4 8bris 1624 coram Sanctissimo circa Proto Archimandritam seu Generalem monachorum ruthenorum unitorum eiusque praxi hactenus observata, et simul instantia moderni Metropolitae Russiae, ut ei adderetur clausula, per quam illi, et Successoribus suis iurisdictio in praedictos monachos conservaretur, Congregatio, audito alio Decreto eadem die edito, quo Sanctitas Sua denegavit praefatis monachis communicationem privilegiorum regularium, censuit, in primis, posse addi in fine praedicti Decreti de Generali alteram ex infrascriptis clausulis, videlicet: In cuius quidem Decreti editione intentio Sanctitatis Suae fuit, et est monachos ruthenos unitos redigere in Congregationem sub Generali, seu Protoarchimandrita, ut regularis disciplina eorum melius derigatur et in caeteris nihil innovare (f. 401), vel: In cuius quidem Decreti editione Sanctitas Sua declaravit, et declarat, intentionem suam non fuisse, nec esse praeiudicare Iurisditioni Metropolitae Russiae pro tempore, sed tantum Monachos praedictos in Congregationem sub Generali, vel Proto Archimandrita redigere, ut melius regularis eorum disciplina dirigatur.

Deinde mandavit duo Decreta praedicta de Generali et de communicatione privilegiorum cum dictis duabus clausulis mitti per manus, ut diligentius possint examinari in sec. Congregatione.

2. Deventum fuit ad petitiones Episcopi Chelmensis rutheni uniti,²¹⁵ ad quas Congregatio respondit ut sequitur.

Ad primam: De monachis, qui a Rege Poloniae petierunt nominationem ad Metropolitiam Russiae, et Archiepiscopatum Polocensem, vivente adhuc R. P. D. Antonio, Metropolita Russiae et simul Polocensi Archiepiscopo, Congregatio in primis (f. 401v), dixit nullas esse praedictas nominationes, easque in Curia non esse admittendas tum ob Regulam Cancellariae Apost. de non impetrando beneficium per obitum viventis, tum quia non fuit servata consuetudo Episcoporum ruthenorum unitorum, qui prius congregati eligunt personam, eamque deinde proponunt Regi pro nominatione, seu, ut aiunt, privilegio ab eo obtinendo; praeterea si nominationes praedictae sonent in coadiutorias cum futura successione, cum provisiones huiusmodi ad solam Sedem Apostolicam spectent per cap. unicum: de clerico aegrotante in 6^o, monachi praedicti non potuerunt praedictas nominationes petere, neque Episcopi potuissent congregari ad effectum eligendi personas, easque proponendi Regi, vel Sanctitati Suae sine speciali eiusdem Sedis Apostolicae licentia.

Ad 2am: Congregatio censuit ex gratia speciali S.mi D. N. esse admittendum Chelmensem Episcopum ad praestandam obedientiam Sanctitati Suae nomine R.P.D. Antonii, Metropolitae Russiae, qui, nisi senectute, et infirmitatibus praepeditus fuisset, illam per se ipsum personaliter post annum a sua confirmatione praestare debuisset.

Ad 1mam partem 3ae petitionis: Congregatio respondit Episcopos Ruthenos esse Episcopos, et ut tales nominari, et haberi, ut patet ex Bullis Clem. 8. super Unione Ruthenorum et Pauli V. de eisdem Ruthenis.

Ad 2am partem: dixit, Episcopos ruthenos posse et debere iuxta Sacros Canones erigere Scholas, Ruthenosque ecclesiasticos omnes gaudere privilegiis Canonis, fori,

²¹⁵ Methodius Terlekyj, ut videtur, iam tunc Romae commorabatur, prout etiam patet ex secunda petitione, ut nomine Metropolitae Antonii Sielava obedientiam Pontifici Romano praestaret.

immunitatis ac libertatis, quibus gaudent Sacerdotes et clerici latini, ut alias fuit definitum a (f. 402v) Sacra Congregatione de Propaganda Fide, 30 Aprilis 1624.

Ad 3am partem: dixit, monendos esse Ruthenos unitos voce, et non scripto, ut campanas in maiori hebdomada non sonent, antequam ecclesia cathedralis latina suas sonare faciet.

Ad 4um: iussit Congregatio tradi ruthenis Episcopis Decretum Sacrae Congregationis Rituum, quo declarat in praecedentia attendendum esse tempus promotionis, si in eodem ordine sint ut Episcopi respectu Episcoporum, et Archiepiscopi respectu Archiepiscoporum, quod Decretum fuit in Sacra Congregatione de propag. Fide relatum die 30 Maii 1629, et circa mensem 8bris eiusdem anni ad Nuntium Poloniae transmissum in authentica forma, ut illum in Archivio Nuntiaturae conservaret pro decisione controversiarum de praecedentia (f. 403) inter latinos Episcopos, et Ruthenos unitos.

Ad 5um: dixit, servandum esse Sacrum Concilium Tridentinum, cap. 20, sess. 24, ubi de prima instantia facienda coram Ordinario cavetur, et remedium habetur, si Ordinarius negliget administrare iustitiam.

Ad 6um: de Episcopo rutheno, Schismatico, ordinato Leopoli Congregatio dixit, expectandum esse responsum Archiepiscopi Gnesnensis, ad quem de illo scripsit Sacra Congregatio de Propag. Fide.

Ad 7um: de bonis ecclesiasticis alienatis Congregatio dixit, provisum esse in instructionibus pro Visitoribus.

Ad primam partem 8. petitionis: de monachis Cassiano et Clemente, Diacono, Congregatio dixit, provisum esse in praecedenti Congregatione; ad 2am vero partem: de libris dicti Cassiani, iussit eos exhiberi cum notis errorum, quae in eis continentur, ut examinari possint in Sacra Congregatione Indicis.

(f.403v) Ad 9: quoad confessiones Latinorum cum ruthenis Sacerdotibus Congregatio iussit servari Decretum Clem. 8i, casu scilicet necessitatis;²¹⁶ quovero ad reliqua contenta in dicta petitione, quod Latini possint visitare ecclesias Ruthenorum unitorum, sacras illorum imagines venerari, et vota illis deferre, et Ruthenorum unitorum conciones audire, Congregatio affirmative respondit.

Ad Xam: Congregatio dixit, agendum esse cum Aud. Camerae, ut negotium decimarum suspendat, donec habeatur responsum a Visitoribus Ruthenorum unitorum, quovero ad capita criminum, et controversionis inhibitionis ulterius, prout iuris fuerit, procedat, et expeditio nomine Sacrae Congregationis ei commendetur.

Ad XIam: de paramentis latinis pro ecclesia Sanctae Mariae Chelmensis, Congregatio iussit illam referri coram Sanctissimo; idem dixit de circa Breve et litteras petitas pro conservanda, et amplianda Unione.

(f. 404) Ad 13: de Nepote Episcopi Chelmensis in Collegio Graeco collocando, Congregatio iussit agi cum Eminentissimo D. Cardinali Cesarino.²¹⁷

Ad 14: de alumno sustentato in studiis ab eodem Episcopo Chelmensi suis impensis, qui postea contra promissa ingressus est Religionem Sancti Francisci, Con-

²¹⁶ Clemens VIII, Decretum de confessionibus.

²¹⁷ Probabiliter agitur de Adamo Terlekyj, filio Alexandri et Annae Volaticka, Chelmensis patria; ingressus die 9 Martii 1644, aetate 20 annorum; discessit 28.X.1653, absolutis omnibus studiis philosophiae et theologiae; postea ingressus est Ordinem Basilianorum. Die 18.I.1653 constitutus est in minoribus Ordinibus, in subdiaconatu et diaconatu die 19.I.1653, et in praebiteratu die 2.II.1653. - Cfr. *Chronica Alumnorum Collegii Graecorum de Urbe*, fol. 17v-18.

gregatio negative respondit, et quoad eius revocationem a Religione, et quoad expensarum restitutionem.²¹⁸

Ad XV: petitionem de reordinatione Episcoporum et ecclesiarum ordinatarum a Schismaticis, Congregatio remisit ad Congregationem Euchologii.

335.

Roma, 28 . VIII . 1643.

Alia congregatio particularis de Protoarchimandrita Basilianorum, et de petitionibus Episcopi Chelmensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 416-417v.

Die 28 Augusti 1643.

Fuit Congregatio particularis Ruthenorum unitorum in palatio Eminentissimi D. Cardinalis Pamphylji, cui interfuerunt, cum Eminentia Sua, RR. PP. DD. Marulus, Magister Sacri Palatii, Paulutius, Assessor S. Offitii, et R. P. Vincentius Ricardus.

In ea, primo, relatis Decreto circa Generalem seu Proto Archimandritam (f. 416v) monachorum ruthenorum Sancti Basilii unitorum, et additione duobus modis concepta, quam Metropolita Russiae pro conservanda sua Iurisdictione in praedictos Monachos praefato Decreto adiici petebat, Congregatio, audito oretenus R. P. D. Episcopo Chelmensi Rutheno unito, censuit additionem, ut infra notatur conceptam, Decreto praedicto esse subiciendam, videlicet:

In cuius quidem Decreti editione Sanctitas Sua sub die 28. 7bris 1643 declaravit, intentionem suam fuisse monachos praedictos in Congregationem sub Generali seu Proto Archimandrita redigere, ut Religio praedictorum monachorum melius gubernetur, et Metropolitae pro tempore non preiudicare in iis, quae illi de iure competunt. Decretum autem integrum sic se habet.

Sacra Congregatio convenientissimum esse censuit, ut monachi praefati in Congregationem redigantur, quod si fecerint, eisdem facultatem concessit eligendi (f. 416) sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem seu Proto Archimandritam totius Russiae, et singulis quadrienniis Capitula generalia congregandi, in eisque Constitutiones rationabiles tamen, et Sac. Canonibus, Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum Constitutionibus non repugnantes conficiendi, a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quae tamen interim, ne disciplina regularis patiatur detrimentum, a monachis praedictis observanda erunt, donec aliter per Sedem Apostolicam fuerit diffinitum. In cuius quidem Decreti editione Sanctitas Sua sub die 28. 7bris 1643 declaravit, intentionem suam fuisse monachos praedictos in Congregationem sub Generali, seu Proto Archimandrita redigere, ut Religio praedictorum monachorum melius gubernetur, et Metropolitae pro tempore non praediudicare in iis, quae illis de iure competunt.

2. Relata instantia praefati Episcopi Chelmensis, ut Decretum in praecedenti Congregatione editum circa sonum campanarum (f. 417v) in hedomada maiori abrogaretur, ne Rutheni uniti, eorumque ritus perturbentur, Congregatio petitioni Oratoris annuit.²¹⁹

²¹⁸ Fortasse agitur de monacho Bubuicz, de quo infra, nr. 349.

²¹⁹ Erat resolutum secundum conditiones Unionis Berestensis (cond. 22). - Cfr. G. HOFMANN S.J., *Wiedervereinigung der Ruthenen mit Rom*, in « *Orientalia Christiana* », num. 12, t. III, 2 (Roma 1925).

3. Relata pariter eiusdem Episcopi instantia, ne cum Auditore Camerae iuxta Decretum praecedentis Congregationis Ruthenorum agatur pro suspensione iudicii decimarum coram eo vertentis, Congregatio censuit monendum esse, cum impositione secreti, praefatum Auditorem Camerae, ut ante sententiam ab eo circa decimas ferendam statum causae Congregationi huic communicare velit, et interim Nuntio Poloniae scribi, ut melius declaret litteras, quas circa decimas Ruthenorum scripsit Sac. Congregationi de Propag. Fide die 29 Augusti 1642.

4. Et postremo Congregatio censuit, si S.mo placuerit, R. P. D. Antonio, Metropolitae totius Russiae rutheno unito, concedendam esse licentiam congregandi Synodum suorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Praelatorum, qui Metropolitae Russiae electioni intervenire solent, ad effectum seligendi personam idoneam eamque ab eodem R. P. D. Antonio Sanctitati Suae proponendam et petendam in suum Coadiutorem cum futura successione.

336.

Roma, 1 . IX . 1643.

De admissione Alberti Samborskyj in Collegio de Prop. Fide.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 420, nr. 15.

CONG. 304 - Die 1 7bris 1643 (f. 418).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Pampylus, Brancatius, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Lanuvius, Joannes Baptista Spada pro prima vice, tanquam Principum Secretarius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. S. Honuphrii instantiam Alberti Samborschi, Roxolani, Philosophi, ut in Collegio de Propaganda Fide reciperetur, ut studii Theologiae operam dare possit, Sacra Congregatio Oratoris petitioni annuit cum solita provisione, si per examen reperiat ad audiendam Theologiam idoneus.

337.

Roma, 1 . IX . 1643.

Datur facultas Metropolitae Kioviensi congregandi Synodum Episcoporum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 421rv, nr. 20.

Sept. 1.

Referente Eminentissimo D. Cardinali Pamphyljo, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, concedendam esse licentiam seu facultatem R. P. D. Antonio (f.421v) Metropolitae totius Russiae rutheno unito, congregandi Synodum suorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Praelatorum ad effectum proponendi Sanctitati Suae pro Coadiutore cum futura successione Chioviensi, ac Metropolitae totius Russiae, quem ipse R. P. D. Antonius cum Synodo censuerint esse ad praedictum munus idoneum eidemque R. P. D. Antonio illum in Coadiutorem suum cum futura successione petendi.

338.

Roma, 1 . IX . 1643.

*De admissione Sebastiani Ruschi in Collegio Vilenſi.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 422v-423, nr. 23.

Sept. 1.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pamphylio instantiam Sebastiani Ruschi, nati ex Armena muliere, ut ei unus ex duobus locis assignatis Archiepiscopo (f. 423) Leopolesi armeno in Collegio Pontificio Vilenſi concederetur, ut ibi sua studia prosequi possit, Sacra Congregatio iussit Oratorem examinari et referri an sit idoneus ad studia.

339.

Roma, 1 . IX . 1643.

*Episcopus Chelmenſis, Methodius Terleckyj, deputatur ad examinandum Breviarium illyricum.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 427v-428, nr. 37.

Sept. 1.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Brancatio literas Archiepiscopi Iadrenſis, serio instantis pro impressione Breviarii illyrici et pro transmissione voluminum aliquot Doctrinae Christianae et 30 aut 40 Ritualibus cum nota pretii pro Ritualibus solvendi.

Sacra Congregatio quoad Breviarium illyricum (f. 428) dixit illud esse omnino imprimendum, et ad confrontandum psalterium in illyricam linguam translatum cum vulgata editione deputavit R. P. D. Methodinum, Episcopum Chelmenſem ruthenum unitum, quem rogavit, ut vocato R. P. Raphaelae Croato, Ordinis Min. de Observ., ad impressionem praedicti Breviarii deputato, cum eo quamprimum facere dignetur confrontationem Psalterii praedicti cum vulgata, et ubi translatio illyrica non concordabit cum vulgata illam ambo corrigant, et ad vulgatam translationem accomodent de verbo ad verbum, nisi ob pharasim illyricam necesse sit translationem illyricam accommodare cum vulgata ad sensum.

Quo vero ad doctrinas illyricas iussit eas transmitti ad Archiepiscopum, sine praetio, Ritualia vero cum nota pretii, quod postquam fuerit extractum, erit ad Sacram Congregationem transmittendum.

340.

Roma, 1 . IX . 1643.

*Dantur litterae ad diversos Magnates in favorem Ruthenorum unitorum.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 429v, nr. 41.

Sept. 1.

Referente Eminentissimo D. Cardinali Pamphylio, Sacra Congregatio diversas litteras decrevit ad instantiam Episcopi Chelmenſis rutheni uniti ad nonnullos Prae-

latos, Duces, et alias personas Poloniae, et Russiae pro Unionis Ruthenorum conservatione et dilatione, seu propagatione.²²⁰

341.

Roma, 28 . IX . 1643.

*Iterum de admissione Sebastiani Ruschi in Collegio Vilenſi.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 440, nr. 9.

CONG. 305 — Die 28 7bris 1643 (f. 438).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Pamphylius, Albornotius, Brancatius, Fachinettus, pro prima vice, Caeva etiam pro prima vice, Barberinus, et Ginettus, et R. P. D. Spada, Homodeus, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Card. Pamphylio decretum editum in praecedenti Congregatione pro Sebastiano Ruschi, ex Armena muliere nato, et examen de eius idoneitate ad studia, Sacra Congregatio eidem Sebastiano unum ex locis in Collegio Vilenſi, R. P. D. Nicolao Archiepiscopo Leopoliensi Nationis Armenae assignatis, concessit, mandavitque scribi R. P. D. Rectori praefacti Collegii, ut eum in illo recipiat, retineatque usque ad completa studia, praevia tamen per dictum Sebastianum praestatione iuramenti Alumnis Pontificiis praescripti.²²¹

342.

Roma, 28 . IX . 1643.

*Comprobatur iterum Decretum de uniendis monachis in unam Congregationem.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 440v-441, nr. 10.

Sept. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Pamphylio Decretum Congregationis particularis Ruthenorum circa Proto Archimandritam Sancti Basilii Ruthenorum unitorum, S. D. N. illud probavit, additis in fine verbis: aut in futurum competent.

Decretum autem correctum iuxta additionem Sanctissimi sic se habet.

Sacra Congregatio convenientissimum esse censuit, ut monachi rutheni uniti in Congregationem redigantur, quod si fecerint, eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem seu Proto Archimandritam totius Russiae, et singulis quadrienniis Capitula generalia congregandi, in eisque constitutiones rationabiles tamen, et Sac. Canonibus, Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum constitutionibus non repugnantes conficiendi, a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quae tam interim, ne disciplina regularis patiat (f. 441) detrimentum, a monachis praedictis observandae erunt, donec aliter per Sedem Apostolicam fuerit diffinitum. In cuius quidem Decreti editione Sanctitas Sua sub die 28. 7bris 1643 declaravit, intentionem Suam fuisse monachos praedictos in Congregatio-

²²⁰ Cfr. A. THEINER, *op. cit.*, vol. III, p. 425, nr. 375 sq.²²¹ Cfr. supra, nr. 338.

nem sub Generali, seu Proto Archiamandrita redigere, ut Religio praedictorum monachorum melius gubernetur, et Metropolitanae pro tempore non praeiudicare in iis, quae illi de iure competunt, aut in futurum competent.

343.

Roma 28 . IX . 1643

*Probantur varia Decreta congregationis particularis de petitionibus Episcopi Chelmen-
sis.*

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 441rv, nr. 11.

Sept. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Pamphilio diversa Decreta Congregationum particularium super negotiis Ruthenorum unitorum, S. D. N. probavit:

1. Commissionem causae monachorum Cassiani, et Clementis, Ruthenorum unitorum, Episcopo Samogitiae decretam a Congregatione particulari Ruthenorum, habita die 7 Augusti proxime praeteriti.

2. Ex speciali gratia admisit R. P. D. Methodium, Episcopum Chelmensem, ad praestandam sibi obedientiam nomine R. P. D. Antonii, Metropolitanae totius Russiae (f. 441v) iuxta Decretum alterius particularis congregationis Ruthenorum, habitae die 14 Augusti proxime praeteriti.

3. Sanctitas Sua probavit Decretum eiusdem Congregationis particularis, diei 14 Augusti proxime praeteriti, quo decernitur Episcopus ruthenos unitos esse Episcopos, et ut tales nominari, et haberi debere.

4. Probavit eiusdem Congregationis Decretum, quo decernitur Episcopos ruthenos unitos posse in suis Episcopatibus erigere Scholas, pro instituenda in litteris humanis, et scientiis eorum juventute, et ruthenos Ecclesiasticos gaudere privilegiis Canonis, fori, immunitatis et libertatis, quibus gaudent Sacerdotes, et clerici latini.

5. Et postremo probavit Decretum eiusdem particularis Congregationis de confessionibus, et aliis, de quibus in eo latius habetur.

344.

Roma, 28 . IX . 1643.

Probatur Decretum circa Coadiutorem pro Metropolia Kioviensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 442, nr. 12.

Sept. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Pamphilio Decretum editum in praecedenti Congregatione circa Coadiutorem cum futura successione Metropolitanae totius Russiae rutheni uniti, S. D. N. Urbanus 8vus illud probavit.

345.

Roma, 28 . IX . 1643.

Difficultas in Brevi ad Metropolitam Petrum Mohila dando.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 442, nr. 13.

Sept. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Pamphilio, S. D. N. Brevia petita ab Episcopo Chelmeni rutheno unito pro conservatione, et propagatione Unionis Ruthenorum concessit, iussitque dari notam R. P. D. Ruspilioso; solum difficultas facta fuit circa Breve ad Petrum Mohillam, Metropolitam Schismaticum, an sit cum titulo Metropolitanae nominandus, ob Metropolitam ruthenum unitum, qui vere est totius Russiae Metropolita, et non praedictus Petrus.²²²

346.

Roma, 28 . IX . 1643.

Attestatio Methodii Terleckyj de impressione Breviarium illyrici.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 444v, nr. 20.

Sept. 28.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Brancatio attestationem R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmenis rutheni uniti, de confrontatione facta Psalterii illyrici, cum vulgata editione eiusque emendatione, S. D. N. mandavit Breviarium illyricum quamprimum imprimi cum praedicta attestatione.²²³

347.

Roma, 6 . XI . 1643.

De titulo tribuendo Metropolitae Kioviensi schismatico, ut non praeiudicetur Metropolitae Kioviensi catholico.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 466v, nr. 30.

CONG. 306 — Die 6 9bris 1643 (f. 456v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfueunt octo Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylius, Albornotius, Ceva, Fachinettus, Barberinus, et Ginettus, et PP. DD. Homodeus, Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Pamphilio de titulo Metropolitae Russiae, Schismatico, in litteris ad eum scribendis utendo, cum adsit Metropolita Russiae catholicus, cui posse praeiudicari videtur, si titulus Metropolitae Russiae etiam Schismatico tribuatur, et Secretario suggerente Sacram Congregationem Schismaticis, non obstante quod cum eisdem titulis in eorum Ecclesiis habeantur catholici Praelati, tribuere consuevisse titulum eorum Patriarchatus, seu Episcopatus cum additione verbi: nuncupato,²²⁴ quia Schismatici sine titulis suarum Ecclesiarum literas nostras non recipient, atque ita praecclusa esset via de eorum conversione per litteras agere, non sine eorum salutis praedicio, (f. 467) Sacra Congregatio iussit agi cum R. P. D. Assessore S. Officii ad sciendum, an in Sancto Officio sit alius stilus, et modus scribendi Schismaticis praesertim, si in eorum Ecclesiis etiam existant catholici Episcopi.

²²² Cfr. A. THEINER, *op. cit.*, vol. III, p. 425, nr. 375 sq. et p. 424-425, nr. 374, de data 3.XI.1643.

²²³ Cfr. supra, nr. 339.

²²⁴ Cfr. A. THEINER, *op. cit.*, vol. III, p. 425, nr. 374, ubi est resolutum secundum mentem huius Congregationis: « Venerabili Fratri Petro Mohillae Metropolitae nuncupato ».

348.

Rōma, 13 . XI . 1643.

*In negotio decimarum reassumitur littera Nuntii Poloniae.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 469v, nr. 7.

Die 13 9bris 1643.

Post Congregationem particularem de Visitatione Collegii de Propaganda Fide habitam in ipso Collegio ab Emin. mis DD. Cardinalibus Congregationis de statu temporali Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, videlicet: Spada, Pamphilio et Caeva, Card. Mensario, et R. P. D. Lanuvio, Iudice, et R. P. D. Marco, Agente, et D. Appollonio, Computista,

Actum fuit de infrascriptis negotiis maiori ex parte ad dictam visitationem Collegii ad Congregationem Visitationis remissis a precedenti Congregatione generali.

Actum fuit cum Emin. mo Card. Pamphilio de causa decimarum, quam habet R. P. D. Episcopus Chelmensis coram Auditore Camerae contra Episcopum et Capitulum latinum, et facta Eminentiae Suae relatione de sensu praefati Auditoris in favorem dicti Episcopi, Eminentia Sua iussit reassumi litteras Nuntii circa dictas decimas, ut possit decerni, quod publico bono Unionis fuerit opportunum.

349.

Roma, 20 . XI . 1643.

*Congregatio particularis considerat varia negotia Ruthenorum: ut de decimis, de Episcopo Luceoriensi, etc.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 470v-473, nr.

Die 20 Novembris 1643.

Fuit Congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Palatio Eminentissimi D. Card. Sabelli, cui interfuerunt, cum Eminentia Sua RR. PP. DD. Magister S. Palatii, et Assessor S. Officii, et R. P. Vincentius Richardus, Theatinus.

(f. 471). In ea 1. Relata instantia R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmensis rutheni uniti, ut suspensio expediendae causae civilis, vertentis coram Auditore Camerae inter ipsum, et Parochum, seu Commendatarium latinum Cnelmensem super decimis, facta de mandato huiusce Congregationis, tolleretur, attento responso dato ab ipso Auditore, quod Orator in dicta causa bonum ius fovet, Congregatio, post auditas litteras Nuntii Poloniae super hac materia ad Sacram Congregationem de Propag. Fide scriptas, censuit suspensionem praedictam esse tollendam, et praefato Auditori significandum esse, ut praedictam causam, prout iuris fuerit, expediri faciat, et sententiam in authentica forma reductam mittat Secretario praefatae Sacrae Congregationis, qui illam R. P. D. Caffarello, Nuntio extraordinario in Poloniam, consignare debet cum instructione, ut facto de ea verbo cum Rege, et captis informationibus an per dictae sententiae executionem sint successura (f. 471v) scandala, aut turbationes alicuius momenti, et comperto quod aliquid huiusmodi non continget, sententiam praedictam exequi faciat, alioquin illam paenes se retineat, et de captis ab eo informationibus, et de sensu Regis ac de eo quod ipse circa illam sentiat, eandem Sacram Congregationem certiore faciat.

2. Relatis litteris Metropolitanae Russiae de R. P. D. Pachomio Oranski,²²⁵ Episcopo Pincensi, et R. P. D. Josepho Bakoviecki,²²⁶ Episcopo Wlodomirensi, quorum primus venationibus praetextu sanitatis dat operam, secundus vero frumentorum mercaturae incumbit.

De Episcopo Luceoriae latino,²²⁷ qui dicit se habere dispensationes 20 pro Ruthenis unitis, ut possint ad ritum latinum transire, et quod de facto dispensavit cum monacho Joanne Bubucz, qui factus est Religiosus Ordinis Minorum de observantia.

(f. 472) De Duce Dominico Zaslawski, qui ut dicitur duo monasteria, videlicet, Dermanense, et Dubnense, Ruthenorum unitorum, tradidit Carmelit. Discalceatis, ut cum eis possint monasterium sui Ordinis construere, et fundare.²²⁸

Et denique de Suffraganeis suis monendis, ut cum eo ad Comitata Regni saltem duo ex eis vel duo Archimandritae proficiscantur, aut si ipsi Suffrag. nolent, aut nequeunt ire, ad impensas saltem pro illis, quos secum ducet, ut eum adiuvent in defensione Unionis eiusque bonorum contra Schismaticos, concurrant, Congregatio ad primum caput respondit, Nuntio praedicto tradendam esse Instructionem, qua illi iniungatur, ut Episcopos absentes a residentia iuxta Constitutionem S. D. N. ad suas Ecclesias redire, in eaque residere iuxta dictae constitutionis dispositionem compellat, et praefatos duos Episcopos, ut a venatione, et mercatura abstineant, serio commoneat.

(f.472v) Ad 2m, de Episcopo Luceoriae latino Congregatio dixit per eundem Nuntium²²⁹ Episcopum praedictum commonendum esse, ut praetensam facultatem dispensandi circa transitum Ecclesiasticorum ruthenorum unitorum ad ritum latinum, et ad alias Religiones Latinorum ostendat, cum, factis in hac Curia diligentis, non reperiat huiusmodi facultates pro ipso expeditae, et si illam non ostenderit monendum esse per eundem Nuntium, ut omnino abstineat ab huiusmodi licentiarum concessione, et audito praedicto monacho Joanne, si dispensationem sufficientem non habere constiterit, Nuntius praedictus iuxta Decreta huius Congregationis, quae illi danda erunt, eundem monachum Joannem reverti faciat ad suam Religionem S. Basilii.

Ad 3m, iussit per eundem Nuntium praefatum Ducem Zaslawski commoneri, non posse, nec debere monasteria praedicta auferre Ruthenis (f. 473) eaque dare Carmelitis, et similiter Carmelitas non posse a manu Laycorum, sine Sed. Apost. licentia, praedicta monasteria recipere, idemque hic in Curia significari Vicario Generali eiusdem Ordinis.

Ad ultimum, iussit scribi Metropolitanae, ut in proximo Synodo suorum Ruthenorum proponat necessitatem habendi secum adiutores pro Regni Comitatu, et de duobus Archimandritis secum ducendis tantum agat, cum non expediat Suffraganeos a residentis sui advocare, et ad dicta Comitata ducere, et similiter de contributione tractet pro eis, quos secum adducet a Suffraganeis, et aliis ad quos pertinebit facienda, cum agatur de communi Unionis utilitate, quam quilibet Praelatorum unitorum promoveri debet.

²²⁵ Episcopus Pincensis ab. an. 1637 usque ad an. 1653.

²²⁶ Episcopus inter annos 1630-1650.

²²⁷ Andreas Gembicki (1638-1655).

²²⁸ Dominicus Zaslavskyj, filius Alexandri, Palatini Volhiniensis, qui obiit Leopoli 14.XI. 1629, adlaborando Unioni Ruthenorum. Ex familia Zaslavscium notissimus. In manu sua univit etiam bona familiae Ostrozskyj. Ab anno 1645 (3.III) Palatinus Sandomiriensis. Alia cfr. supra nr. 296, nota 184.

²²⁹ Ut videtur Nuntiatura Varsaviensis iam tunc vacabat, nam Nuntius Marius Filonardi Varsaviam die 2.X.1643 relinquere debuit, propter dissensum Regis Vladislai IV cum Sede Apostolica. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 718, 722.

350.

Roma, 7 . XII . 1643.

Statuitur Breve scribendum in laudem Joannis Zamoyski.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 486rv, nr. 35.

CONG. 307 — Die 7 Xmbris 1643 (f. 475v).

Fuit Congregatio Vaticano coram Santissimo cui interfuerunt novem Cardd., videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylus, Albornotius, Pallottus, Fachinettus, Caeva, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Spada, Patriarcha Constantinop. factus, Homodeus, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Cardinali Pallotto, quae Comes Joannes Zamoyschi²³⁰ praestitit in propagatione Unionis (f. 486v) Ruthenorum in suis statibus, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, scribendum esse Breve, in quo, non facta mentione de praecepto facto suis subditis, etiam Ecclesiasticis, ne recipiant sacerdotes schismaticos nec eos invitent, sed statim a suis statibus efficiant, quia non est approbandum dictum praeceptum quoad Ecclesiasticos ruthenos unitos, commendatur eius pietas et zelus, addita exhortatione, ut curet subditos suos Schismaticos ad Unionem perduci.

351.

Roma, 7 . XII . 1643

Datur licentiam Ep. Chelmsensi portandi secum matrices typographicas confectas ex pulzonibus typographiae S. C. de Prop. Fide.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 489v-490, nr. 45.

Dec. 7.

Post Congregationem de Propag. habitam coram Sanctissimo, relata instantia R. P. D. Methodii Episcopi Chelmsensis rutheni uniti, Emin. DD. Cardd. Spadae, et Pamphilio, negotiis status temporalis Sacrae Congregationis de Propag. Fide praefectis, pro matribus characterum illyricorum Sancti Cyrilli, ut eas possit in Russiam deferre et imprimere bonos libros, opponendos libris (f. 490) malis, quos Schismatici rutheni in eorum Typographia imprimunt, praefati Emin.mi petitioni Oratoris annuerunt, dommodo dictas matres faciat imprimere cum pulzonibus dictorum characterum, qui sunt in Typographia eiusdem Sacrae Congregationis, et non dentur illi matres iam impressae pro praedicta Typographia.

²³⁰ Joannes Zamoyski, filius Thomae Zamoyski (ob. an. 6.II.1638); natus ut videtur an. 1628. Postea Palatinus Sandomiriensis: pro uxore habuit Mariam Casimiram d'Arquien, quae postea Joanni Sobieski in matrimonio iuncta est (5.VII.1665) et devenit Regina Poloniae (a die 19.V.1674). Joannes fuit ultimus huius rami familiae Zamoyscium, quae caput suum habuit insigne in Joanne Zamoyski, campiductore et Cancellario Regni Poloniae (1576-1605), qui obiit an. 1613 (15.XI). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 28, p. 256-268.

352.

Roma, 23 . XII . 1643.

De Alumno Alberto Sbrockij e Collegio de Prop. Fide dimittendo.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 15, fol. 491, nr. 4.

CONG. 308 — Die 23 Xmbris 1643 (f. 490).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylus, Albornotius, Fachinettus, Caeva, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem R. P. D. Marco de Alberto Sbrochi, Rutheno, Alumno Collegii de Propaganda Fide,²³¹ quem a Collegio praedicto licentiam esse arbitrabatur, Sacra Congregatio mandavit eidem R. P. D. Marco, ut illum eiusque actus observet, vel observari faciat, et si talia gesserit, ob quae dimitti a Collegio debeat, iterum referat.

353.

Roma, 19-20 . I . 1644.

Ep. Chelmsensis petit, ut Visitoribus Russiae addantur ad latus alii praedicatores, qua de re interrogatur Archiep. Avenionensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 14rv-15, nr. 31.

CONG. 309 — Die 19 Januarii 1644 (f. 2v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphylus, Albornotius, Fachinettus, Caeva, (f. 3) Barberinus, et Ginettus, et nullus Praelatorum adfuit.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pamphilio instantiam R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmsensis rutheni uniti, ut ex quo in Polonia non est Nuntius DD. Visitoribus Ruthenorum unitorum concedatur facultas assumendi absque Nuntii participatione Missionarios aliquot, qui illos iuvent in praedictorum Ruthenorum unitorum visitatione (f. 14v), Sacra Congregatio iussit agi cum R. P. D. Archiepiscopo Avenionensi,²³² ut significet an aliquem in discessu suo a Polonia reliquerit, qui vices eius modo, quo posset, gereret, et si non reliquerit, vel si ita secreto reliquit eum ut non expediat de illo habere notitiam, facultatem petitam praedictis DD. Visitoribus concessit.

Die 20 Januarii sequenti.

R. mus Archiepiscopus Avenionensis, iuxta praecedens Decretum interrogatus, respondit reliquisse Varsoviae quemdam, qui suppleret vices suas modo, quo posset,

²³¹ De hoc Alumno haec habeantur adnotata in *Registro e memorie degli Alunni del Collegio Urbano*, vol. I, p. 33, nr. 65: « Alberto Sbrocki, Ruteno, fu ammesso in Collegio a di 29 Novembre 1643 in esecuzione del Decreto della S. Congregazione dal di primo settembre del detto anno; e di età di 25 anni, e studia theologia; fu licenziato dal Collegio il di 21 di Marzo 1644 per non haver voluto fare il giuramento ».

²³² Archiepiscopus Avenionensis, i. e. Marius Filonardi, Nuntius Varsaviensis (1635-1643), qui ob dissidium inter Regem Vladislaum IV et S. Sedem Varsavia discedere iussus fuerat. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 718; ut patet etiam ex verbis subsequentiibus et responsione Nuntii ruptura haec erat sat gravis et violenta.

sed putare eum mortuum, quia usque ad praesens nullas post suum a Polonia discessum recepit litteras, et si ille esset adhuc in humanis, non expedire, ut de eo aliquid sciatur, ultra quod persona illius non erat talis, quae posset recte de Missionariis (f. 15) idoneis pro visitationis munere iudicare, et proinde posse Sac. Congregationem electionem Missionariorum pro visitatione perficienda necessariorum remittere arbitrio DD. Visitorum.

354.

Roma, 19 . I . 1644.

Negatur subsidium Ep. Chelmensi, libri tamen pro eo et aliis Episcopis conceduntur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 15rv, nr. 32.

Jan. 19.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pamphilio instantiam R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmensis rutheni uniti, pro aliquo subsidio, ut possit ante suum discessum debitum 70 scutorum monetae contractum creditoribus suis solvere, ne, dum debitum ex viatico ei a S. D. N. dato solvens, pecunia quae ei remanebit pro itinere tam longo non sufficiat, item pro libris graecis in Typographia Sac. Congregationis impressis pro se, et aliis Episcopis Russiae unitis cum ligatura eorum, Emin.mi Patres 1^o: dixerunt, attento Decreto²³³ f. r. Greg. XV. saepe a Sanctitate Sua confirmato Sac. Congregationem non posse petitioni Oratoris satisfacere; 2^o, libros petitos decreverunt Oratori, et Episcopis praedictis, et (f. 15v) quoad eorum ligaturam censuerunt pro Oratore praedicto tantum ligandos esse libros.

355.

Roma, 30 . I . 1644.

Iterum agitur de matribus typographicis pro Methodio, Ep. Chelmensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 1rv.

Die 30 Ianuarii 1644, in Conventu S. Mariae super Minervam, post Congregationem S. Offitii.

Relata iterum instantia R. P. D. Episcopi Chelmensis rutheni uniti, Eminentissimis DD. Cardd. Spadae, et Pamphilio negotiis temporalibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide praefectis, pro matribus typi slavonici Sancti Cyrilli, impensis eiusdem Sacrae Congreg. de Propaganda Fide cum eius pulsonibus conficiendis quae non excedunt scuta 20 incirca, ut matres praedictas in Russiam deferre, et cum eis characteres fundere ac imprimere possit libros catholicos pro conservatione, et propagatione Sanctae Unionis contra Schismaticos ruthenos, qui Typographiam habent in eaque libros schismaticos in perniciem Unionis quotidie imprimunt, et simul libros sacros ut (f. 1v) Euchologia, ac Horologia Graecorum in linguam ruthenam translata necessario emenda pro offitiis divinis, quia non habent typum, praefati Emin.mi Pa-

²³³ Ut videtur, agi de Constitutione an. 1622 (die decimo Kalendas Julii), qua S. C. de Prop. Fide constituta erat. - Cfr. DE MARTINIS, *op. cit.*, vol. I, p. 1-3.

tres, sicut alias simpliciter Oratoris petitioni annuerunt nulla facta mentione de impensa, ita modo declarando Decretum, factum post Congregationem coram Sanctissimo habitam die 7 Xbris proxime praeteriti, dixerunt, matres praedictas impensis eiusdem Sac. Congregationis esse cum eius pulzonibus conficiendas, et praefato R.mo Oratori consignandas.

356.

Roma, 23 . II . 1644.

De dimissione Alberti Sbrockyj.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 19v, nr. 3.

CONG. 310 — Die 23 Februarii 1644 (f. 19).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Spada, Pamphilius, Facchinettus, Caeva, et Ginettus, et RR. PP. DD. Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem R. P. D. Marco difficultates, quas facit Albertus Sbrosci, Alumnus, Collegio de Propaganda Fide, circa praestationem iuramenti a Sacra Congreg. Alumnis prescripti, Eminentissimi Patres dixerunt iuxta formulam iuramenti praedicti praefatum Albertum iurare debere, si in praedicto Collegio vult manere.

357.

Roma, 15 . III . 1644.

Dimittitur Alumnus Albertus Sbrockyj e Collegio de Prop. Fide.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 40, nr. 4.

CONG. 311 — Die 15 Martii 1644 (f. 39v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Pamphilius, Albornotius, Facchinettus, Matthaeius pro prima vice, et Ginettus, et R. P. D. Lanuvius.

Mandavit licentiari a Collegio de Propaganda Fide Albertum Sbrosci, Ruthenum, quia noluit praescriptum Alumnis Pontificiis iuramentum praestare.

358.

Roma, 15 . III . 1644.

Negativa responsio S. Congregationis ad petitionem monachorum Italiae pro adiuvandis Ruthenis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 46rv, nr. 25.

Mart. 15.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pamphilio instantiam monachorum Basilianorum Italiae, et Hispaniae, ut aliqui ex eis mitterentur in Russiam ad iuvandum Ruthenos unitos, eosque in scientiis instruendos, Sacra Congregatio negative respondit.

359.

Roma, 27 . V . 1644.

*Georgius Tyszkiewicz S. Congregationem certiore facit de recepto Decreto Visitatio-
nis Ruthenorum.*

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 108, nr. 22.

CONG. 315 — Die 27 Maii 1644 (f. 101)

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Sancti Honuphrii, Spada, Pamphylius, de Lugduno, qui ante paucos dies Romam venit, Brancatius, Mattheus, et Fachinettus, et RR. PP. DD. Homodaeus, Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Retulit idem Emin. D. Cardinalis Pamphylius litteras Episcopi Samogitiae,²³⁴ in quibus significabat, se recepisse litteras de Visitatione Ruthenorum unitorum, et de duobus monachis ruthenis unitis, qui transierunt ad ritum latinum, subiungebatque se omnia, quae ei fuerunt mandata, executurum.

360.

Roma, 27 . V . 1644.

Episcopus Chelmensis de rebus Vallachorum Montis Felletrii agit.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 108rv, nr. 23.

Maii 27.

Retulit idem Emin. D. Cardinalis Pamphylius litteras Episcopi Chelmensis rutheni uniti, 1º: de progressibus, qui fieri possent in monte Feletrio cum Vallachis, Schismaticis;

(f. 108v) 2º: de Basilio Ognanovich, quem a Schismate ad Unionem cum Sede Apostolica Romana perduxit;

3º: suasisse Gabrielli Predovich, Episcopo dictorum Vallachorum, ut iuxta promissionem factam Imperatori veniat Romam, eumque ob id commendabat patrocinio Sacrae Congregationis.²³⁵

361.

Roma, 21 . VI . 1644.

Relatio de fructibus missionariis PP. Dominicanorum in Russia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 132v, nr. 44.

CONG. 316 — Die 21 Iunii 1644 (f. 119).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt undecim Cardinales, videlicet: S. Honuphrii, Harrach, Spada, Cornelius, Pamphylius, de Lug-

²³⁴ Georgii Tyszkiewicz (1633-1649).

²³⁵ Methodius Terleckyj, Episcopus Chelmensis (1629-1649) in suo reditu in patriam regiones has visitavit, et plura in favorem Unionis fecit. Hic idem, simplex adhuc sacerdos-hieromonachus, anno 1629-1630 regiones has ut Missionarius S. Congregationis prima vice visitavit, studiis Viennae absolutis. Durante hac sua prima missione nominatus est Ep. Chelmensis.

duno, Fachinettus, Ceva, Mattheus, Barberinus, et Ginettus, et RR. PP. DD. Spada, Patriarcha Constantinop., Homodaeus, et Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Mattheo progressus missionis Dominicanorum Missionariorum in Russia in conversione 200, partim Haeticorum partim Schismaticorum, et insuper integram familiam Schismaticorum, Sacra Congregatio iussit scribi Provinciali Dominicanorum Russiae, ut de praedictis progressibus testimoniales, quas habere poterit, transmittat.

Post diem X Julii 1644 (vol. 16, fol. 145v).

Finiunt Congregationes Generales, et particulares sub Urbano 8, qui obiit die 29 Julii, hora undecima cum dimidia 1644.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

INNOCENTIUS PP. X

(15 . IX, 4 . X . 1644 — 7 . I . 1655)

r o m a n u s
(Joannes Bapt. P a m p h i l j)

ACTA S. C. de PROPAGANDA FIDE TEMPORE INNOCENTII X
(1644 - 1655)

362.

Roma, 29 . XI . 1644.

De causa Cassiani Sakovyc, monachi rutheni.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 187v-188, nr. 48.

CONG. 3 — Die 29 Novembris 1644 (f. 172).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt tredecim Cardd., videlicet: Capponius, Barberinus, qui in Secreto Concistorio transivit ab Ordine Diaconorum ad Ordinem Presbiterorum, S. Honuphrii, Spada, Cornelius, Ginettus, qui etiam ipse ab Ordin. Diaconorum, ad Ordinem Presbiterorum transiit, Albornotius, Pallottus, Brancatius, Facchinettus, Mediceus, pro prima vice, Trivultius, et Gabriellus, et RR. DD. PP. Cornelius, Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Em.mo D. Caeva litteras R. P. D. Georgii (f. 188), Episcopi Samogitiae, specialis Commissarii in causa F. Cassiani Sachovicz,²³⁶ antea Archimandrita Dubnensis Ordinis S. Basilii, Rutheni uniti, et litteras eiusdem Fratris Cassiani ad praedictum Episcopum, in quibus reddebat rationes, quare cum facultate obtenta a Sancto Offitio transierit ad ritum latinum, et ad Religionem Augustinianorum, Sacra Congregatio huiusmodi negotium commisit R. P. D. Assessori, et Segretario Ingolo ut illud examinent eorumque sententiam referant.

²³⁶ Cassianus Callixtus Sakovyč; natus an. 1578 in Podtelyč. Studuit Cracoviae et Zamosciae, magister domesticus Adami Kysil, Castellani Cernyhoviensis. Monachus Basilianus factus Kioviae docebat. Doctus, laboriosus. Post plus quam duo decennia vitae monasticae Unitus factus in eiusdem defensione strenue adlaborabat. A Metropolita Josepho Velamin Rutskyj nominatus fuit Archimandrita Dubnensis (1626-1636). Anno 1634 a Hieremia Poczapovskyj, Episcopo Luceoriensi, depositus hac dignitate, in ea tamen permansit, extra claustra monasterii vagans (Cholm, Volodymyr, Lublin, Suprasl, Vilna). Tandem proprio motu an. 1639 (vel ut habet *Encyklop. Powszechna*, vol. 22, p. 821-822), Officium hoc deposuit, et creatus est canonicus Cracoviensis. Obiit an. 1647. Causa eius Romae considerata fuit (cfr. supra nr. 332, 341, 357). Multa scripsit in favorem Unionis, et dein plurima adhuc contra illam. Magis nota est eius *Perspektywa albo objasnienie grecko-ruskiej cerkwi dyzunickiej*, Cracoviae 1642, cui tum Unitum non Uniti responsum dederunt, ut ex. gr. Petrus Mohyla (cum suo « *Kamień na Perspektywe*), Pachomius Oranskyj, A. Wojna, Dubovyč et alii; *Kalendarz stary, w którym jawny i oczywisty błąd pokazuje się okolo swiecenia Paschy*, Vilnae 1640, et alia editio an. 1644 (Cracoviae) *Okulary kalendarzowi staremu, dein Przyczyny generalne Rusi do porzucenia disuniej* * (sine loco et data). - Cfr. Ic. STEBELSKI, *Ostatnie prace*, p. 358, in *Scriptores rerum polonicarum*, vol. IV, Cracoviae 1787; *Encyklop. Powszechna*, vol. 22, p. 821-822 etc.

363.

Roma, 28 . XII . 1644.

*Missio in Russiam pro Fratre Ferdinando de Vienna.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 205v, nr. 27.

CONG. 4 — Die 28 Xmbris 1644 (f. 194).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet: Capponius, Mediceus, Ginettus, Cornelius, Mattheius, Facchinettus, Caeva, Trivultius, et Gabriellus, et RR. PP. DD. Corsius, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Card. Matthaео, Sacra Congregatio missionem ad Russias decrevit Fratri Ferdinando de Vienna, Ordinis Praedicatorum multarum linguarum cognitione praedicto, et in conversione Haereticorum versato, a Generale praedicti Ordinis approbato, sub Praefectura tamen novi Provincialis Russiae praefati Ordinis.

364.

Roma, 22 . I . 1645

*Renovatio congregationis particularis Ruthenorum.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 217v.

Die 22 Januarii 1645.

Sanctissimus D. N. Innocentius X congregationem particularem Ruthenorum renovavit, in eamque adscriptos esse voluit infrascriptos Cardinales, Prelatos, et Theologos, videlicet: Barberinum, Pallottum, Mattheium, et De Lugo, et R. P. D. Horatium Justinianum, Episcopum Noceriae, Magistrum Sacri Palatii, Assessorem Sancti Offitii, et Patrem Vincentium Richardum, Theatinum.

365.

Roma, 13 . III . 1645

*Ultimae petitiones Ep. Chelmensis: negotia Montis Felletrii, subsidium pro viatico.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 265rv, nr. 23.

CONG. 7 — Die 13 Martii 1645 (f. 257).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardd., videlicet: S. Honuphrii, Albornotius, Bichius, Trivultius, et Estensis, ac R. P. D. Assessor S. Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Trivultio²³⁷ litteras Episcopi Chelmensis rutheni uniti, 1º: de Basilio monacho Vallaco Montis Feletrii a Schismate ad fidem catholicam ab eo converso; 2º: de Gabriele Predoievicio, ad Episcopatum Vallachorum praedicti Montis ab Imperatore nominato cum conditione, ut Romam veniat ad petendam,

²³⁷ Card. Theodorus Trivulzi, mediolanensis, creatus cardinalis die 19.XI.1629. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 714.

obtinendamque consecrationem; 3º: de ecclesia Sanctorum Sergii, et Bacchi de Urbe accomodanda, ut in ea celebrari possit secundum ritum ruthenum; 4º: et denique de debito facto (f. 265v) Romae 150 scutorum, quod solvi rogabat per Sacram Congregationem.

Emin.mi Patres ad 2m tantum respondentes, iusserunt scribi Nuntio Caesareo, ut agat cum Imperatore de dicto Gabriele, curetque per eum adimpleri conditionem de petenda consecratione a Romano Pontifice, servatis per eum servandis, pervia scilicet professione fidei ab Orientalibus praestari solita, et petita absolutione a Schismate, ne, si dictus Gabriel consecrationem a Patriarcha Schismatico petat, populum Montis Feletrii in Schismate foveat.

366.

Roma, 16 . III . 1645

Congregatio particularis de Unione Universali Metropolitanae Petri Mohyla et responsio data ad Nuntium Varsaviensem.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 287v-291.
E. RYKACZEWSKI, *Relacye nuncyuzów*, vol. II, p. 275, Berolini 1864.

Die 16 Martii 1645.

Fuit Congregatio particularis Ruthenorum in Cancellaria Apostolica apud Eminentissimum D. Cardinalem Barberinum, cui interfuerunt, cum Eminentia Sua DD. Cardd. Pallottus, de Lugo, et Justinianus, et et RR. PP. DD. Torres, Archiepiscopus Adrianop., et Nuntius in Poloniam destinatus, et Assessor Sancti Offitii, (288) et R. Pater D. Richardus, Theatinus.

In ea, primo, relatis litteris credentialibus datis a Rege Poloniae pro P. Valeriano, Capuccino, et compendio scripturae, cuius inscriptio est: Sententia cuiusdam Nobilis Poloni Graece Religionis,²³⁸ in qua agitur de Unione universali Ruthenorum omnium cum Sede Apostolica, de modo Unionis faciendae, ac denique de conditionibus cum quibus dicta unio desideratur.

Patres in infrascriptis conclusionibus convenerunt, videlicet:

1. Unionem esse promovendam, ac iuvandam et Regi, ac Nuntio Poloniae serio commendandam, datis litteris responsivis ad Regem praedictum, in quibus commendantur eius zelus, ac pietas, eiusque Maiestatem hortandum esse, ut modis, quibus poterit, eam apud Praelatos ruthenos non unitos (f. 288v) ac Palatinos, et alios Principales saeculares Ruthenorum non unitorum promovere dignetur, cum clausula credentiali in caeteris pro praedicto Nuntio Apostolico.

2. Circa dogmatum differentias, Ruthenos non unitos ad Unionem cum hac Sancta Sede recipi non debere, nisi iuxta diffinitiones Sacri Oecumenici Concilii Florentini.

3. Circa modos Unionis posse concedi, facta Unione, ut Metropolita eligatur a suis Archiepiscopis, ac Episcopis unitis, et quod ipse possit Episcopus sui districtus consecrare sine licentia Sedis Apostolicae, dummodo prius ipse Metropolita, ultra professionem fidei catholicae faciendam iuxta formam Orientalibus praescriptam, et

²³⁸ Cfr. textus in ŠMURLO, *Le Saint-Siege...*, Appendix, p. 163-169, nr. 30/94. De auctore cfr. « *Analecta OSBM* », Ser. II Sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 619-120, ubi breve argumentum discursus sub tit. « *Prospectus anonymus Petri Mohyla Unionis Ecclesiae Ucrainae an. 1645* » invenitur.

praestationem obedientiae Romano Pontifici, petat, et obtineat ab eodem Pontifice suae electionis confirmationem, ad quam confirmationem petendam, et obtinendam persuaderi poterit (f.289) praedictus Metropolita rationibus, et exemplis; rationibus: 1.: quia secundum Sacros Canones confirmatio petenda est a Superiore, et cum per Unionem eius Superior legitimus sit futurus idem Pontifex, ab eo confirmationem petere debet; 2.: quia Metropolita in hoc esset Acephalus, quod est inconveniens, et Unioni repugnans; 3.: quia communicatio cum Sede Apostolica, post illam Dogmatum, principalissima fuit et est haec confirmationis et consecrationis de indulto eiusdem Sedis. Exemplis vero quia, primo, in Unione Ruthenorum, facta tempore Clementis 8ⁱ, id praecipue fuit stabilitum, ut Metropolita peteret confirmationem a Sede Apostolica; 2.: quia sub Innocentio 3, quando Natio Maronitarum Montis Libani et aliarum Regionum Syriae Unionem cum Sede Apostolica (f. 286v) fecit cum hac conditione ad Unionem fuit recepta, ut eorum Patriarcha, ab Archiepiscopis Maronitis electus, a Sede Apostolica confirmationem peteret, idque ad praesens a Patriarchis Maronitarum de novo electis fuit semper observatum.

5. Circa Synodum, quam Metropolita cum non Unitis convocare intendit ad facilem reddendam Unionem, eius arbitrio rem esse remittendam, dummodo in dicta Synodo Rutheni uniti non intersint per rationes in Congregationibus particularibus, alias pluries habitis, consideratas, et in instructione, quae ad Nuntium Philonardum fuit transmissa contentas, cuius instructionis exemplar novo Nuntio Poloniae erit tradendum.

6. Antequam per Nuntium de huiusmodi negotio tractetur, audiendos esse circa istam Unionem (f. 290) Universalem Praelatos ruthenos unitos, et praecipue Metropolitam unitum, et Episcopum Chelmemsem unitum, nam potuerint eundem Nuntium informare, eumque coadiuvare in promovenda dicta Unione universali, eique significandum esse in huiusmodi negotio mentem Sedis Apostolicae esse, ut per eam nullum fiat eis praeiudicium.

7. Circa duas difficultates ab aliquibus ex Patribus propositas, videlicet: primo, quod dato, quod uniantur Praelati rutheni modo non uniti, non sequitur quod populi eos secuturi sint, quinimmo periculum est, ne qui noluerint uniri a Patriarcha Constant. petant alium Episcopum schismaticum; 2: quod difficile erit Praelatos recenter unitos cedere Ecclesiis Praelatis antea unitis, et e contra, atque ita una Ecclesia habeat duos Episcopos, quod est contra Decreta (f. 290v) Conciliorum generalium; sed ad praedictas difficultates responsum ab aliis Patribus fuit, quod cum in dicta scriptura de his difficultatibus non fiat mentio, de illis modo non esse agendum, sed solum, quando a non Unitis proponuntur, nec desunt responsiones.

8. Et ultimo, faciendum esse de praesentibus instructionem plenam pro Nuntio Poloniae, eique iniungendo, ut prius informationes assumat de intentione Metropolitae, aliorumque Praelatorum non unitorum, et praesertim Episcopi Luceoriae, ²³⁹ qui est caeteris doctior, et similiter de Regis Poloniae, et Cancellarii eius, Ducis scilicet Ossolini, voluntate, et de mediis, quibus possit dicta Unio promoveri, et perfici, de modo tenendo in ea procuranda, et tandem de spe, quae poterit fundamentaliter haberi de bono successu praedictae Unionis, ut de praedictis omnibus certior facta (f. 291) Sacra Congregatio de Propaganda Fide possit, quae ad Unionem praedictam promovendam, et perficiendam facere videbuntur, eidem Nuntio significare.

²³⁹ Athanasii Puzyna (1632-1650), qui Unioni cum Ecclesia Romana multum favebat, et, ut dicebatur, etiam professionem fidei emisisset.

367.

Roma, 9 . V . 1645.

Querela Ep. Vilmensis contra Episcopos ruthenos de abusu eorum iurisdictionis erga fideles Ritus Latini.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 300, nr. 19.

CONG. — Die 9 Maii 1645 (f. 294v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Cornelius, Pallottus, Ludovisius pro prima vice, Trivultius, Estensis, et Joannes Carolus Mediceus, etiam pro prima vice, et RR. PP. DD. Corsius, et Lanuvius.

Referente Emin.mo D. Card. Pallotto querelas Episcopi Vilmensis ²⁴⁰ contra Sacerdotes ruthenos unitos, qui Sacramenta parochialia Latinis administrant, et cum eis in 2^o, et infra gradu consanguinitatis, et affinitatis dispensant, Sacra Congregatio iussit adiri Sanctum Officium.

368.

Roma, 9 . V . 1645.

Aliud subsidium pro fusione matricum typographicarum pro Ep. Chelmensi conceditur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 300v, nr. 22.

Maii 9.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pallotto, Sacra Congregatio alia scuta 14 decrevit R. P. D. Episcopo Chelmensi rutheno unito, ultra 20 alias eidem decreta pro conficiendis cum pulsonibus Sacrae Congregationis matribus characteris illyrici Cyrilliani nuncupati ad eum transmittendis.

369.

Roma, 3 . VII . 1645.

Nova divisio Provinciarum orbis terrarum inter Cardinales S. C. de Prop. Fide.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 338rv, nr. 6.

CONG. 12 — Die 3 Iulii 1645 (f. 336v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Capponius, Barberinus, Ginettus, Albornotius, Pallottus, Ceva, Trivultius, et Estensis.

Referente Emin.mo D. Cardinali Capponio fuit probata assignatio Provinciarum DD. Cardinalibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ut sequitur.

²⁴⁰ Agitur de noto iam Abrahamo Wojna, Ep. Vilmensi (1630-1649), qui omni tempore cum Unitis litigabat, inde ab an. 1618/19, de praecedentia nempe contra Metropolitam Josephum Rutskyj. Inde querelae eius contra Unitos sumi debent cum grano salis. - Cfr. *Indicem* nominum et rerum (suffrag. Vilmensis, Episcopus Vilmensis, Wojna etc.)

Divisio Provinciarum inter Cardd. Sac. Congregationis de Propag. Fide.
 Card. Capponio Tractus Rheni etc. ut n. 6 Libelli divisionis.
 Card. Barberino Graeciam usque ad Romaniam inclusive etc. ut ex n. 11.
 Card. S. Honuphrii . . . Italia cum Insulis etc. ut n. 1.
 Card. Spada Gallia, ut n. 2.
 Card. Cornelio Coritia, ut n. 10.
 Card. Albornotio Hispania, ut n. 3. (f. 338v).
 Card. Pallotto
 Card. Ginetto Helvetia, ut n. 9.
 Card. Mattheio Germania, ut n. 7.
 Card. Caevae Polonia, ut n. 4.
 Card. Antonio Syria, ut n. 12.
 Card. Trivultio Belgium, ut n. 5.
 Card. Estensis Aegyptus, etc., ut n. 13.

Deinde Sacra Congregatio iussit accommodari libellos divisionis Provinciarum iuxta praedictam assignationem, et unicuique DD. Cardinalibus Sacrae Congregationis unum libellum consignari.

De subdivisione autem agetur cum in Curia praesentes erunt Cardinales supra numerum 13.

370.

Roma, 24 . VII . 1645.

Petitur a Metropolita Kioviensi littera exhortatoria pro Joanne Dubovyč, Archimadrita Dermanensi, qui ad Ritum Latinum transiit.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 364v, nr. 5.

CONG. 14 — Die 24 Iulii 1645 (f. 363v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Capponius, Barberinus, Cornelius, Albornotius, Caeva, Antonius, Trivultius, et Estensis, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Caeva instantiam Metropolitae Russiae, ut scriberetur Patri Joanni Dubovich,²⁴¹ antea Archimandrita Dermanensi, et seria exhortatione moneretur, ut ad suam Religionem Sancti Basilii revertatur, Sacra Congregatio petitioni Oratoris annuit.

371.

Roma, 24 . VII . 1645.

Querela Ep. Chelmensis contra Synodum Eparchialem Chelmensem Latinorum, quae emisit Decreta in damnum Unionis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 364v-365, nr. 6.

²⁴¹ Joannes Dubovyč Archimandrita Dermanensis (1634-1646), antea Archimandrita Pinscensis-Leščynensis (1633-1634). Anno 1638 ab Ep. Chelmensi Methodio Terleckyj suspensus in su officio, sed anno 1639 restitutus, ut videtur, anno 1645 Ordinem Basilianum reliquit, sed a S. Congregatione iterum in Religionem Basilianam reductus, anno 1646 adhuc ut Archimandrita Dermanensis commemoratur in documentis Archimandriae. - Cfr. IG. STEBELSKI, *Ostatnie prace*, p. 357, in « *Scriptores rerum polonicarum* », vol. IV, Cracoviae 1878.

Jul. 24.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Caeva querelas Episcopi Chelmensis rutheni uniti contra (f. 365) Episcopum Chelmensem²⁴² latinum de Decretis factis in Synodo Chelmensi latina in praeiudicium Unionis, et Unitorum, Sacra Congregatio iussit adiri Sac. Congregationem Concilii.

372.

Roma, 21 . VIII . 1645.

Instat Metropolita Kioviensis contra approbationem Decretorum Synodi Provincialis Poloniae, quae in damnum Unionis deliberavit.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 410v-411, nr. 30.

CONG. 16 — Die 21 Augusti 1649 (f. 401).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Capponius, Barberinus, Cornelius, Ginetto, Albornotius, Trivultius, et Estensis, et RR. PP. DD. Homodeus, Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Ginetto instantiam Metropolitae Russiae, petentis impediri confirmationem cuiusdam Decreti Synodi (f. 411) Provincialis²⁴³ Praelatorum latinorum contra, et in praeiudicium Ruthenorum unitorum editum, Sacra Congregatio iussit adiri Sacram Congregationem Concilii.

373.

Roma, 21 . VIII . 1645.

Missio datur pro P. Hieronymo Wasowicz, Dominicano, ut adiuvet Ep. Chelmensem unitum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 412rv, nr. 36.

Aug. 21.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Ginetto litteras R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmensis rutheni uniti (f. 412v), Sacra Congregatio missionem decrevit Fratri Hieronymo Wasowicz, Dominicano, ad Ruthenos in civitate Chelmensi, eiusque Dioecesi degentes eidemque Fratri Hieronymo iniunxit, ut praedicto Episcopo Chelmensi rutheno unito collaboret, ac eum iuuet in Schola ac aliis functionibus, in quibus dictus Episcopus eum occupare voluerit, et pro facultatibus iussit adiri Sanctum Officium.

374.

Roma, 21 . VIII . 1645.

Querela Metropolitae Kioviensis contra Ep. Peremysliensem latinum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 413, nr. 38.

²⁴² Episcopus Chelmensis latinus anno 1645 erat Stanislaus Poraj Pstrokowski (1644-1657), quo anno obiit.

²⁴³ Agitur, ut videtur, de Synodo Provinciali 1643, celebrata Varsaviae, mense novembri. - Cfr. *Scritti, rif. nelle Congregazioni Generali*, vol. 127, fol. 31-38.

Aug. 21.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Ginetto querelas Metropolitae Russiae uniti contra Episcopum Premislensem latinum,²⁴⁴ Sacra Congregatio iussit de querelis praedictis ad praefatum Episcopum scribi, eumque hortari, ut, si verae sint, provideat, ne Rutheni uniti occasionem habeant proponendi iterum huiusmodi querelas.

375.

Roma, 2 . X . 1645.

Instat Archiep. Agriensis pro receptione unius Alumni rutheni ex sua Dioecesi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 439, nr. 7.

CONG. 19 — Die 2 Octobris 1645 (f. 437v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Capponius, Barberinus, Ginettus, Albornotius, Estensis, et Pamphylius, et RR. PP. DD. Homodeus, et Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Capponio instantiam R. P. D. Georgii, Episcopi Agriensis in Ungaria, pro executione Decreti die 12 . 7bris 1639 editi, cum habeat hic Romae in promptu Alumnum ex Schismaticis suae Dioecesis, quem in executione praedicti Decreti instat in Collegio Graecorum de Urbe recipi, Sacra Congregatio iussit agi cum Eminentissimo D. Card. Rondanino, praefati Collegii administratore.

376.

Roma, 6 . XI . 1645.

Petitio Archiep. Smolenscensis pro dispensatione a bigamia pro duobus sacerdotibus benigne approbatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 452rv, nr. 10.

CONG. 20 — Die 6 9bris 1645 (f. 449v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Barberinus, qui in Concistorio praecedenti Sabinensem Episcopatum optavit, Capponius, S. Honuphrii, Cornelius, Ceva, Estensis, et Pamphylius, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Eminentissimo D. Cardinali Barberino instantiam Archiepiscopi Smolenscensis rutheni uniti²⁴⁵ pro facultate dispensandi cum duobus bigamis Ruthenis

²⁴⁴ Episcopus Peremysliensis latinus anno 1645 erat Paulus Piasecki (1644-1649). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 3, p. 681.

²⁴⁵ Archiepiscopus Smolenscensis - erat Andreas Zloty-Kvasninskyj (1640-1654). De ipso habetur adnotatio in Collegio Graecorum de Urbe: « 302. P. Andrea Sloti, Monaco di San Basilio Ruteno, studiò due anni di Theologia, tornando in Russia aiutò molto quella gente con le prediche essendo stato fatto predicatore del Vescovo di Luceoria, e finalmente Superiore d'un Monasterio; (ad.): è stato fatto Arcivescovo di Smolensk e cacciato dai Moscoviti scismatici fu fatto poi amministratore del Vescovato di Pinsk, e data gli elezione da Scismatici Cosacchi o di cedere il Vescovato, o restando tenere dalla loro parte, egli si decise di partire... » (fol. 58/53). Filius Joannis et Sophiae Prasouna, patria Lithuanus, admissus die 8 octobris 1634, aetate 25 annorum, ut sacerdos (fol. 5v-6). Postea anno 1654-1655 ad Sedem Pincensem translatus obiit eodem anno.

unitis, quorum alter post mortem primae uxoris aliam duxit virginem, et tacita huiusmodi bigamia fuit promotus usque ad sacerdotium (f. 452v) inclusive, et si non dispensetur fiet Schismaticus, alter vero viduam duxit, et nisi promoveatur ab Ecclesia Unita transiet ad Schismaticos, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, petitioni Oratoris esse annuendum.

377.

Roma, 6 . XI . 1645.

Iterum de receptione alicuius Alumni rutheni ex Dioecesi Agriensi in Collegio Graecorum res agitur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 453rv, nr. 14.

Nov. 6.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Barberino Decreta edita pro Episcopo Agriensi circa Alumnum (f. 453v) ex Schismaticis ritus graeci, et linguae illyricae in Regno Ungariae degentibus, ab eo propositum, et in Collegio Graeco collocandum, et simul difficultates ab Emin.mo D. Card. Rondanino²⁴⁶ circa dictum Alumnum adductas, ob quas sine Pontificia dispensatione in dicto Collegio Graeco praefatus Alumnum recipi nequit, Eminentissimi Patres, inclinantes ad gratiam, iusserunt iterum huiusmodi negotium referri coram Sanctissimo.²⁴⁷

378.

Roma, 5 . XII . 1645.

De progressibus missionis Fr. Antonii, Ord. Min. Conventualium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 16, fol. 475, nr. 16.

CONG. 22 — Die 5 Decembris 1645 (f. 468).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Barberinus, Ginettus, Albornotius, Estensis, et Pamphylius, ac RR. PP. DD. Homodeus, Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Eminentissimo D. Card. Estensi instantiam Fratris Antonii de Sociis Ordinis Min. Conventualis Missionarii in Ungaria pro Magisterio pro laboribus, tam in Missione Ungariae, quam in Russia, ubi modo degit, Sacra Congregatio visa attestazione Patris Andreae de Castellana, Praefecti missionis Ungariae, et Visitatoris Russiae, et commendatione Regis Poloniae attestantis de progressibus in Russia factis a dicto Patre Antonio, et demum sententiam Patris Generalis asserentis praefatum Fratrem Antonium per litteras ad eum datas ab omnibus esse commendatum, censuit, si Sanctissimo placuerit, petitioni Oratoris esse annuendum.

²⁴⁶ Card. Paulus Emilius Rondanini, creatus cardinalis die 13.VII.1643, antea Thesaurarius S. Sedis. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII p. 880.

²⁴⁷ Cfr. supra, nr. 375, die 2.X.1645.

379.

Roma, 18 . XII . 1645.

De receptione duorum Alumnorum Ep. Chelmensis in Collegio de Prop. Fide, retento habitu Basilianorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 482v, nr. 1.

CONG. 23 — Die 18 Dec. 1645 (f. 482).

Fuit Congregatio in Collegio de Prop. Fide, cui interfuerunt quinque Cardd., videlicet: Capponius, S. Honuphrii, Cornelius, Ginettus, et Pamphylius, et R. P. D. Assessor S. Offitii.

In ea 1: Referente R. P. Don Marco, Agente, de duobus Alumnis monachis ruthenis unitis,²⁴⁸ ad instantiam R. P. D. Methodii Episcopi Chelmensis rutheni uniti in Collegio de Propag. Fide impensis Eminentissimi D. Card. Sancti Honuphrii sustentandis, Sacra Congregatio censuit eos habitum Sancti Basilii, et non habitum Alumnorum eiusdem Collegii gestare debere, et ex eis, illum qui est sacerdos, cum iuxta suum graecum ritum celebrare voluerit, id facere posse in ecclesia Sancti Sergii, et Bacchi Martyrum, Ruthenis unitis assignata.

380.

Roma, 18 . XII . 1645.

Negatur licentia transeundi ad Riturum Latinum pro Arthemio Kotlubay.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 495v, nr. 44.

Dec. 18.

Referente eodem Eminentissimo D. Card. Ginetto litteras Episcopi Chelmensis rutheni uniti, Sac. Congregatio Arthemio Kotlubay, Praesbitero saeculari rutheno unito, licentiam transeundi ad ritum latinum denegavit.

381.

Roma, 18 . XII . 1645.

Querela Episcoporum ruthenorum contra Synodum Provinciale Poloniae unitis Episcopis iniuriosam, et contra Ep. Chelmensem latinum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 16, fol. 495v-496v, nr. 45.

²⁴⁸ Agitur de Samuele Osieckij, de quo habetur in *Registro Coll. Urbani*, vol. I: « P. D. Samuel Osiecki, Sac. professore dell'Ordine di S. Basilio, nato nella città Polocense, dioecesi di Kelma in Polonia, di età di anni 27. Ha nella propria Religione studiato la Rettorica e la Logica; fu ricevuto in Collegio il di 13 Dicembre 1645; parti dal Collegio il 7 Settembre 1647 di ritorno in Patria, dove fu spedito dalla S. Congregazione a visitare li monasteri della sua Religione uniti alla Santa Sede Apostolica » (vol. I. p.43, nr. 85). - Et de Benedicto Terleckyj. De hoc ita habetur in eodem *Registro*: « P. D. Bened. Terleschi, Chierico Greco Ruteno unito ordinato ai Minori e monaco professore dell'Ordine di S. Basilio; nato nel Castello Ostrovicense, in età di anni 22; entrò in Collegio il di 13 Dicembre 1645. Ha studiato Rettorica e Logica nella sua Religione et alli 17 di febraro 164... ricevette laurea del Dottorato in Filosofia, e Theologia » (vol. I, p. 43). Postea Provincialis Ordinis Basiliani (1656-1661). Obiit an. 1661.

Dec. 18.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Ginetto iteratas querelas Metropolitanae Russiae uniti, eiusque Episcoporum, praesertim Episcopi Chelmensis uniti,²⁴⁹ contra (f. 496) Decretum Synodi Poloniae Provincialis, quo Episcopi rutheni uniti titulo Ill.mi privantur eisque prohibetur, ne catenulis aureis, quibus ad collum Cruces suspendunt, utantur, contra Decreta plura Sed. Apostolicae, quibus Episcopi rutheni uniti omnibus et singulis privilegiis, et praerogativis Praelatorum latinorum gaudere, et potiri declarantur.

Item querelas contra Episcopum Chelmensem modo Premisliensem latinum,²⁵⁰ qui iurisdictionem exercere praetendit in Ruthenos, ne celebrent in ecclesiis ruthenis unitis, nec Ruthenis permittit in suis celebrare, prohibet etiam Latinis ne adeant scholas Ruthenorum unitorum, et declarat Sacramenta, quae a Ruthenis unitis administrantur esse invalida, et ecclesias Ruthenorum unitorum synagogas (f. 496v) vocat.

Sacra Congregatio iussit adiri Sacram Congregationem Concilii, ut provideat.

382.

Roma, 16 . I . 1646.

Conceditur dispensatio pro tribus bigamis Sacerdotibus ruthenis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 9v-10, nr. 26.

CONG. 24 — Die 16 Ianuarii 1646 (f. 1).

Fuit Congregatio in Vaticano coram Sanctissimo, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Capponius, Spada, Cornelius, Albornotius, Matthaeius, et Pamphylius, et RR. PP. DD. Homodeus, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Albornotio Decretum (f. 10) die 6. 9bris 1645 editum pro duobus Ruthenis unitis bigamis, et simul instantiam Metropolitanae Russiae uniti pro alio 3^o, similiter bigamo Rutheno unito, S. D. N. facultatem a praefato Metropolita petitam dispensandi cum praedictis tribus bigamis, ut, eo defectu non obstante, possint promoveri ad Sacros Ordines usque ad sacerdotium inclusive, vel, si sint promoti ad sacerdotium, in eo ministrare possint, benigne concessit.

383.

Roma, 29 . I . 1646.

Adprobatur missio Petri Saraceni ad Ep. Chelmensem Unitum, eiusque subsidium pro viatico conceditur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 19v-20, nr. 21.

CONG. 25 — Die 29 Ianuarii 1646 (f. 13v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propag. Fide, cui interfuerunt sex Cardinales,

²⁴⁹ Cfr. ex. gr. epistolam Methodii Terleckyj, die 8. IX. 1645, datam e Chelma, in qua hac de re expresse conqueritur.

²⁵⁰ Agitur de Paulo Piasecki (1640-1644), translatus ad Sedem Peremysliensem an. 1644. Obiit in hac Sede an. 1649. - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 3, p. 681.

videlicet: Capponius, Cornelius, Ginettus, Albernotius, Matthaeius, et Pamphylus, et R.P. D. Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Ginetto instantiam R. P. D. Methodii, Episcopi Chelmenensis rutheni uniti, ut ad eum mitteretur D. Petrus Saracenus, antea Alumnus Collegii Graeci,²⁵¹ ad docendas litteras graecas in Schola sua Chelmenensi Ruthenos unitos, ut illi, graecis litteris instructi, possint Schismaticos ad Sanctam Unionem perducere, et simul, ut ei viaticum, et necessaria pro viatico tantum eidem D. Petro concederetur, Sacra Congregatio praefati R. P. D. Methodii sententiam circa institutionem studii litterarum graecarum in eius Schola non solum probavit, sed valde commendavit, et viaticum competens usque ad Chelmam cum necessariis ad illud peragendum praefato D. Petro decrevit, illumque commendari iussit R. P. D. Archiepiscopo (f. 20) Smolescensi, vel Domino Judisco,²⁵² Praefecto Missionis Pomeraniae, vel Patribus Societatis Ruthenis, ut scilicet, qui praedictorum prius discesserit Poloniam versus, dictum D. Petrum secum ducere, et de eo curam habere velint.

Die 5 Februarii 1646. In Consistorio Secreto.

Relatis a Emin.mo D. Cardinali Capponio diligentis factis circa viaticum competens, et necessaria ad iter pro D. Petro Saraceno, Missionario in Russiam, decretum a Sacra Congregatione die 29 Ianuarii proxime praeteriti, Eminentia Sua, auditis informationibus Patrum Societatis Jesu Ruthenorum, et Polonorum, D. Iudischi, Archidiaconi Pomeraniae, et Missionarii Sacrae Congregationis, et denique Patris Philippi,²⁵³ monachi Sancti Basilii rutheni uniti, Eminentia Sua, inhaerens praedictis informationibus, iussit fieri multum ad favorem dicti D. Petri pro 130 scutis monetae, centum pro viatico competenti (f. 20v) in Russiam, et 30 pro vestibus, et aliis necessariis ad praedictum iter peragendum.

384.

Roma, 29 . I . 1646.

De nominatione Basilii Archimandritae in Episcopum Rascianorum, qui ab Episcopis ruthenis unitis consecrari debet.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 24rv, nr. 32.

Jan. 29.

Relatis statu ecclesiae, seu monasterii Sancti Michaëlis Archangeli, gentis Rascianorum in Croatia, et in Dioecesi Zagabriensi in confinibus Turcarum degentium, ex

²⁵¹ De Petro Saraceno cfr. E. ŠMURLO, *Le Saint-Siège...*, p. 154-155, 275-276. Secundum notam autobiographicam P. Saracenus proveniebat « da Campomarino della diocesi di Larino in Puglia, Italogreco, che di già fu alunno per anni tredici nel Collegio Greco, dal quale finiti li soliti studii e promosso anche al dottorato se n'uscì secondo l'uso e le costituzioni dell'istesso Collegio... » (cfr. APF, *Memoriali*, vol. 411, - 1646, fol. 79). Franciscus vero Ingoli, Secretarius de Prop. Fide, sic attestat de nostro Petro: « Il giovane è dotto in latino e greco, sa la lingua letterale e volgare greca. E' allevato nel Collegio Greco, ove ha finiti gli studi di theologia; e di costumi buoni e di spirito e nelle dispute valente... si può sperar da lui molto profitto... » (cfr. APF, *Memoriali*, vol. 411, fol. 19).

²⁵² Matthaeus Joannes Judycki, canonicus Wloclaviensis, officialis Gedanensis, doctus. Scripsit opus: *Rituale Sacramentorum ac aliarum Ecclesiae ceremoniarum pro Dioecesi Pomeraniae in breve opusculum redactum*, Gedanii 1639. - Cfr. *Encyklop Powszechna*, vol. 13, p. 493-494.

²⁵³ Procurator Negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe ab. an. 1638.

litteris Apostolicis s. m. Pauli V, et donatione b. mem. Petri Demitrovich, Episcopi Zagrabiensis, facta de parte suae Dioecesis b. mem. Simeoni Rascianorum, et dictae ecclesiae Sancti Michaelis Episcopo, cum obligatione solvendi lib. 12 purae cerae Episcopis Zagabriensibus pro tempore in die Sancti Martini; et denique nominatione Imperatoris, uti Regis Ungariae ad favorem R. P. Basilii, Archimandritae, in Episcopum praefatorum Rascianorum sub titulo Ecclesiae Svidnicensis, quae cum sit (f. 24v) in Provincia Collocensi in Ungaria, titulus illius neque Rascianorum Episcopo neque illius Ecclesiae ullo modo convenire potest, Sacra Congregatio iussit Nuntio Germaniae scribi, ut curet ab Imperatore, uti Rege Ungariae, aliam fieri nominationem sub hac forma, videlicet, ad monasterium, et ecclesiam S. Michaëlis in Dioecesi Zagabriensi pro Basilio, Archimandrita, ut litterae Apostolicae pro eo expediri possint et ipse cum illis consecrationem ab Episcopis ruthenis unitis iuxta ritum graecum consequi possit.

385.

Roma, 13 . III . 1646.

Conventus Camenecensis Dominicanorum erigi prospectatur in Seminarium pro Missionem Tartarica.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 50v-51, nr. 18.

CONG. 27 -- Die 13 Martii 1646 (f. 45).

Fuit Congregatio in Collegio de Propag. Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: Cornelius, Ginettus, Matthaeius, et Pamphylus, et RR. PP. DD. Homodeus, Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Matthaeio litteras Fratris Bonaventurae Barzii, Dominicani, de Episcopo Chersonae, quod non se transfert ad residentiam in Caffa, et de Principe Sangusco, Voliniae (f. 51) Palatino, ac eius obligatione sustentandi suis impensis quatuor Missionarios Dominicanos in Tartaria Praecopensi, cum conditione, ut post triennium ad conventum Camenecensem ab eo fundatum revertantur, quem conventum vult esse Seminarium pro Missionem Poloniae, Sacra Congregatio, quoad Episcopum Chersonae, iussit scribi Nuntio Poloniae, ut eum moneat de obligatione residendi in sua Ecclesia iuxta Decreta Sacri Conc. Trident., et de poenis, in quibus incurret, si dicto Decreto non pareat, ex dispositione Pontificiarum Constitutionum, et praesertim Urbani 8i; quo vero ad Principem Sanguscum, mandavit commendari eius zelum, et pietatem, eumque hortari, ut, quod bene cogitavit, opere compleat, mercedem magnam ab omnipotenti Deo, qui bona opera coronat, recepturus.

386.

Roma, 7 . V . 1646.

De confirmatione concordiae inter aliquem Nicephorum, Ep. Vitebscensem et alios Episcopos ruthenos unitos.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 86v, nr. 17.

CONG. 30 — Die 7 Maii 1646 (f. 81).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Capponius, Ginettus, Brancatius, Matthaeius, et Estensis, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Matthaeio instantiam R. P. D. Nicephori,²⁵⁴ Episcopi Vitebscensis rutheni uniti, pro confirmatione concordiae seu transactionis factae ad sedandam litem, quam sua Ecclesia habebat circa bona Turgoviae, et decimas Villae Bereschae cum Palatino Derbensi,²⁵⁵ ac aliis Ruthenis, Sacra Congregatio huiusmodi negotium remisit ad Sac. Congregationem Concilii.

387.

Roma, 7 . V . 1646.

Casus alicuius monachi Schismatici, ad Unionem conversi, qui postea nupsit.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 87, nr. 18.

Maii 7.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Matthaeio negotium Silvestri Budeowitz, Rutheni, monachi Sancti Basilii, qui nuper a Schismate ad Unionem venit, et post matrimonium contraxit, Sacra Congregatio remisit illud ad Sacram Congregationem Concilii.

388.

Roma, 26 . VI . 1646.

Petrus Saracenus cum socio iter per Germaniam faciens bene receptus fuit a Nuntio Germaniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 142, nr. 25.

CONG. 33 — Die Iunii 1646 (f. 128v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Spada, Cornelius, Pallottus, Matthaeius, Caraffa, Iustinianus, et Estensis, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Matthaeio litteras D. Petri Saraceni de humanissimis offitiis in eum, et monachum ruthenum, eius Socium, per Nuntium Germaniae collatis, Sacra Congregatio iussit de iis praefato Nuntio gratias agi.

389.

Roma, 3 . VII . 1646.

De abusibus Poloniae et Russiae exquiritur informatio Nuntii.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 149, nr. 6.

²⁵⁴ Nicolaus Nicephorus Losowskj, Episcopus Vitebscensis et Mstislaviensis, Coadiutor A. Sielava, Archiepiscopi Polocensis et Metropolitae Kioviensis; item ab anno 1644 Archimandrita Zydyčynensis et Administrator Eparchiae Luceoriensis. Obiit an. 1649, tempore belli Poloniam et Cosaccos inter. - Cfr. IG. STEBELSKI, *Ostatnie prace*, in *Scriptores rerum polonicarum*, vol. IV, p. 367.

²⁵⁵ Sic! Fortasse debet esse Berestensi et Belzensi, secundum nominis similitudinem, quia Losovskij erat etiam Archimandrita Zydyčynensis et Administrator Luceoriensis, et inde non potest excludi habuisse litem aliquam cum his Palatinis valde vicinis.

CONG. 34 — Die 3 Iulii 1646 (f. 143v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Cornelius, Ginettus, Pallottus, Ludovisius, Caraffa, Iustinianus, et Estensis, nullus Praelatus adfuit.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Ludovisio²⁵⁶ abusus varios, qui in Polonia, et Russia introducti fuerunt, Sacra Congregatio iussit copiam illorum transmitti ad Nuntium Poloniae,²⁵⁷ ut super eorum veritate informationes assumat, et media eos tollendi significet.

390.

Roma, 12 . XI . 1646.

P. Paisius Rasicki petit litteras commendatitias, ut possit recuperare monasterium S. Honuphrii, occupatum a Schismaticis in civitate Leopoliensi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 24^{rv}, nr. 25.

CONG. 43 — Die 12 Nov. 1646 (f. 240v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales tantum, videlicet: Cornelius, Ginettus, Pallottus, Ludovisius, Iustinianus, et Sfortia.

Referente Emin.mo D. Card. Pallotto instantiam Paisii Rasizchi, Rutheni uniti, et monachi Ordinis Sancti Basilii, pro litteris ad Nuntium Poloniae, ac alios proceres Urbis Leopoli, et ad Metropolitam Russiae pro recuperatione (f. 240v) ecclesiae, et monasterii S. Honuphrii in dicta Urbe existentium eiusdem Ordinis S. Basilii, et de iurepatronatus suae parentelae a manibus Schismaticorum, a quibus modo occupantur, Sacra Congregatio litteras petitas decrevit.

391.

Roma, 12 . XI . 1646.

Petuntur scamna pro schola, quam tenent Rutheni penes ecclesiam SS. Sergii et Bacchi de Urbe.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 253^{rv}, nr. 34.

Nov. 12.

Referente Emin.mo D. Card. Sfortia²⁵⁸ instantiam Ruthenorum unitorum, scilicet Sergii, et Bacchi, ut pro eorum Schola, quam exercent gratis in cubiculis a b. me. D. Card. S. Honuphrii pro dicta Schola edificatis, scamna lignea (f. 253v) pro sessione scholarium, et eorum scriptione, et pulpitem ligneum ad legendum, et recitandum lectiones fierent, Sacra Congregatio, ut pia mens praefati D. Cardinalis circa dictam Scholam adimpleri possit, Oratorum petitioni annuit.

²⁵⁶ Card. Ludovisi, alius ac ille temporibus Urbani VIII. Cfr. nota 4, p. 6.

²⁵⁷ Joannes de Torres, Archiepiscopus Hadrianopolitanus a die 1. V. 1645 ad diem 21. IX. 1652; - Cfr. G. PETROWICZ, op. cit., p. 322.

²⁵⁸ Card. Fredericus Sforza, romanus, creatus Cardinalis die 14. XI. 1644 ad Innocentio X. Hispanis favebat in conclavibus post mortem Innocentii X, et Alexandri VII. - Cfr. L. PASTOR, op. cit., vol. XIV, p. 143 sq.

392.

Roma, 22 . I . 1647.

Querela Ep. Chelmensis uniti contra Ep. latinum, quod prohibet suis frequentare scholas ruthenas sub poena excommunicationis, nec non contra Episcopos Latinos, quod nolunt appellari Episcopos ruthenos veros episcopos.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 307-308, nr. 31.

CONG. 48 — Die 22 Januarii 1647 (f. 296)

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Pallottus, Caraffa, Justinianus, Estensis, et Sfortia, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Justiniano²⁵⁹ litteras Episcopi Chelmensis rutheni uniti, cum litteris Petri Saraceni, in quibus dictus Episcopus de Episcopo Chelmensi latino²⁶⁰ conquerebatur, quod sub poena excommunicationis Latinis eius subditis prohibuerit, ne adirent, et frequentarent scholas, quas dictus Episcopus ruthenus publice aperuit pro suis, et aliis quibuscumque in ea civitate scholaribus, et similiter conquerebatur de omnibus Episcopis latinis (f. 307v), qui Episcopos unitos ruthenos Episcopos appellari nollunt, sed Vladicas.

Sacra Congregatio, quoad primum iussit commoneri Episcopum latinum non convenire, ut sub excommunicationis poena suos Latinos prohibeat frequentare scholas Ruthenorum unitorum, quia huiusmodi prohibitio poenalis incurrit dicto Episcopo notam Schismatis, posse tamen per viam monitionis, et exhortationis monere suos subditos Latinos, ut Latinas scholas tantum frequentent, si per conversationem eorum cum Ruthenis unitis suspicetur posse ritui graeco affici, eorumque ritum amplecti.

Quovero ad 2m, dixit saepius fuisse diffinitum Episcopos ritus graeci esse veros Episcopos, et Sed. Apost. cum sola fidei professione eos admittere consuevisse sine nova provisione Apostolica, et de facto (f. 308) eandem Sed. Apost. Romae retinere Episcopum graecum pro ordinatione Italo-graecorum; praeterea expedire censuit, ut cum Ruthenis unitis benevole procedatur, ne, si aliter fiat, Schismatici ab unione cum hac Sancta Sede avertantur.

393.

Roma, 28 . I . 1647.

Iterum discutiuntur querelae Episcopi Chelmensis et Nuntio Poloniae commendantur.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 312-313, nr. 7.

²⁵⁹ Card. Horatius Giustiniani, Episcopus Montis Alti (Montalto), et postea Nucerinus. Creatus Cardinalis die 14. XI. 1644 ad Innocentio X. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.* vol. XVI, I, p. 143.

²⁶⁰ Agitur de Stanislawo Pstrokowski (1644-1657). Litterae comminatoriae datae fuerunt sub data 18. VIII. 1646. Inculcando observationem Decreti Synodi Eparchialis Chelmensis in simili materia - scripsit: «...per praesentes monemus, et requirimus, vobisque suprascriptis executionibus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena mandamus, quatenus die Dominico proximo, vel festo celebri, publice in ecclesia parochiali Chelmensi ex ambona, et per affixionem praesentium ad valvas ecclesiae eiusdem moneatis, et requiratis, ut praefatas scholas graecas ad cursum unius mensis a data praesentium computando deserant, in iisque litteras ad discere non audeant...» (APF, *Scritture riferite nelle Congregazioni Generali*, vol. 64, fol. 161).

CONG. 49 — Die 28 Januarii 1647 (f. 308v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Pallottus, Caraffa, Justinianus, Estensis, et Sfortia, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Justiniano, quae Episcopus Chelmensis ruthenus unitus mediante D. Petro Saraceno, antea Alumno Collegii Graecorum de Urbe, significavit, Eminentissimi Patres, ultra ea, quae in praecedenti Congregatione fuerunt decreta circa querelas praedicti Episcopi Chelmensis, decreverunt ut infra.

(f. 312v) 1. Quoad ecclesiam per eundem Episcopum a Schismaticis recuperatam, iusserunt scribi praedicto Episcopo, ut illam retineat, et si Nuntii Poloniae opera ei necessaria erit in defendenda dicta ecclesia, et aliis ab eo iuste possessis, adeat ipsum Nuntium, ad quem scribitur de illis, et de caeteris contentis in scripturis a D. Petro de eius mandato transmissis.

2. Mandarunt ad praedictum Nuntium mitti compendium scripturarum praedictarum, eique iniungi, ut in illis punctis, in quibus praedictus Episcopus bonum ius fovet, illi assistat, eundemque defendat, vel fieri iubeat, quae Unioni Ruthenorum, eiusque conservationi prodesse videbuntur, nisi ob peculiare rationes, praesertim politicae Regni Poloniae, prudentiae eius videatur supersedendum esse, et prius informandam esse, et (f. 313) consulendam Sacram Congregationem.

3. Quoad confirmationem pensiois ab Episcopo rutheno unito Vlodomirae²⁶¹ dicto Episcopo Chelmensi solvendae de consensu Metropolitanae uniti, Eminentissimi Patres iusserunt de ea referri coram S.mo.

394.

Roma, 1 . IV . 1647.

Occasione mortis Petri Mohillae S. Congregatio Nuntium monet, ut hac occasione Unionem Universalem procuret apud Regem.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 365v-366, nr. 5.

CONG. 55 — Die 1 Aprilis 1647 (f. 364v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Capponius, Cornelius, Albornotius, Matthaeus, Iustinianus, et Estensis.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Mattaeio litteras Nuntii Poloniae a Palatio ad hanc Sacram Congregationem transmissas de morte Mohillae, Metropolitanae Russiae schismatici,²⁶² et de diligentibus factis cum Rege Poloniae, ut differat privilegium concedere Metropolitanae schismatico eligendo, Sacra Congregatio iussit eidem Nuntio rescribi, ut cum dicto Rege agat non solum pro differenda privilegii praedicti concessionem, sed ut illud perpetuo deneget, et ut tam opportunam occasionem procurandi Unionem Universalem Schismaticorum cum Sede Apostolica elabi non permittat, cum intersit Republicae Poloniae, ut Rutheni schismatici a Patriarchis Constantinopolitanis separentur (f. 366) et Sedi Romanae subiiciantur; tum quia Metropolitanae schisma-

²⁶¹ Josephus Mokosij-Bakoveckij (1632-1650).

²⁶² Petrus Mohyla. Obiit 1. 1. 1647. Ei successit in sede Sylvester Kosiv, antea Episcopus Mstislaviensis (1647-1657). Obiit die 13. IV. 1657.

tici sunt exploratores Patriarcharum Constantinop., qui omnia Turcis revelant; tum denique quia Patriarchae Constantinop. in Sedem Patriarchalem canonicum ingressum non habent, quia eliguntur a Turcis mediantibus pecuniis, et non a Metropolitibus vicinis, et Clericis Constantinop., iuxta Canones Ecclesiae Orientalis.

395.

Roma, 1 . IV . 1647.

Iterum confirmatur visitatio Ecclesiae Unitae, qua peracta Synodus Provincialis indici debet.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 369v-370, nr. 18.

Apr. 1.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Iustiniano responsum Secretarii Ingoli, datum Emin. D. Card. Panzirolo circa visitationem Ruthenorum unitorum, eorumque Synodum, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, expediendum esse novum Breve, in quo confirmetur Visitor praedictorum Ruthenorum R. P. D. Georgius, Episcopus Samogitiae, cum clausula, quod si Metropolitae Russiae unitus fuerit impeditus, aut noluerit cum eo dictos Ruthenos visitare, iuxta Breve f. r. Urbani 8., post visitationem Synodum eorum celebrare, ipse solus cum duobus praesbiteris, sive saecularibus, sive regularibus, a Nuntio approbandis, visitationem inchoet, prosequatur, et perficiat cum instructionibus alias ad eum transmissis, habito tamen prius verbo cum Rege Poloniae, iuxta praedictum Breve Urbani 8i.

396.

Roma, 26 . IV . 1647.

Probatur Decretum de visitatione, adiuncto Episcopo Samogitiensi alio Episcopo rutheno unito.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 292v-293, nr. 27.

CONG. 57 — Die 26 Aprilis 1647 (f. 384).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet: Spada, Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Caraffa, Iustinianus, Estensis, et Sfortia, et RR. DD. Homodeus, Lanuvius et Assessor Sancti Offitii.

Referente Eminentissimo D. Cardinali Iustiniano Decretum editum die prima huius mensis circa visitationem et Synodum Ruthenorum unitorum, S. D. N. illud probavit, ita tamen, ut in Brevi pro dicta visitatione, et Synodo expediendo pro R. P. D. Georgio, Episcopo Samogitiae latino, adiciatur clausula, quod si Metropolitae ruthenus unitus non possit ob senectutem, vel alias causas, vel nolit laborem visitationis, ac Synodi (f. 393) suscipere, alius Episcopus ruthenus unitus, et, si magis placuerit, Episcopus Chelmensis ruthenus unitus de consensu eiusdem Metropolitae deputetur ad praedictam visitationem et Synodum peragenda, cum dicto R. P. D. Episcopo Samogitiae, et sacerdotibus, sive saecularibus, sive regularibus, ut in praedicto Decreto, cum approbatione Nuntii seligendis.

397.

Roma, 13 . V . 1647.

De Patre Samuele, Alumno rutheno, qui Regulas Collegii Urbani non observat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 404rv, nr. 18.

CONG. 59 — Die 13 Maii 1647 (f. 399v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt novem Cardinales, videlicet: Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Mattheius, Caraffa, Iustinianus, Estensis, et Sfortia.

Relatis duabus instantiis Rectoris Collegii de Propag. Fide, Sacra Congregatio ad primam, de restauratione medietatis aquaeductus, dixit exspectandum esse, ut artifex illius ab infirmitate, qua nunc laborat liberetur, et postea cum eo agendum esse de dicta restauratione, pro qua, licet non mereatur, pro labore ei aliquid dari poterit.

Ad 2dam, de Patre Samuele, Rutheno unito,²⁶³ qui variis modis Collegium perturbat, et regulas illius malo Alumnorum exemplo (404v) non servat, mandavit informationes de praedictis assumi, et referri.

398.

Roma, 3 . VI . 1647.

De restorationibus in ecclesia SS. Sergii et Bacchi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 419v, nr. 39.

CONG. 61 — Die 3 Iunii 1647 (f. 407v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Capponius, Cornelius, Mattheius, Caraffa, et Sfortia et R. P. D. Lanuvius.

Sacra Congregatio ad examinanda computa, et rationes impensarum factarum in fabricis SS. Sergii, et Bacchi a Patre Valerio Poggio, et Philippo, Rutheno unito, deputavit cum computista R. P. D. Lanuvium.

399.

Roma, 8 . VI . 1647.

Dimittitur P. Samuel in Russiam cum Brevibus de visitatione et Synodo Ruthenorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 420rv.

Die 8 Iunii 1647.

Post Vesperas Pentecostes.

Relatis Emin.mo D. Card. Capponio informationibus de Patre Samuele, Rutheno unito, monacho Sancti Basilii, assumptis, Eminentia Sua probavit, ut pro quiete

²⁶³ Samuel Osiecky (admissus die 13. XII. 1645). - Cfr. supra, nr. 379, nota 248.

Collegii de Propaganda Fide, in quo ille, ut Alumnus cum provisione sufficienti a bo.me. Card. S. Honuphri fuit receptus (420v), ad Russiam cum Brevis visitationis, et Synodi Ruthenorum unitorum cogendi, R. P. D. Georgio, Episcopo Samogitiae directo, abligetur, cum iam nimis maturae sit aetatis, et sufficienter in morali Theologia instructus.²⁶⁴

400.

Roma, 17 . VI . 1647.

De alio Alumno rutheno Collegii Urbaniani, qui vult Theologiae studere.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 422, nr. 1.

CONG. 62 — Die 17 Iunii 1647 (f. 422).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Capponius, Cornelius, Matthaeius, Caraffa, et Sfortia.

In ea primo: Referente Eminentissimo D. Card. Capponio de monacho rutheno unito, Collegii de Propag. Fide Alumno,²⁶⁵ qui vellet sequenti anno audire Theologiam cum per privatum studium philosophiam persolverit (f. 422v), Sacra Congregatio iussit in Congregatione de statu temporali, sequenti hebdomata habenda, praedictum monachum examinari, una cum aliis Alumnis, ut possit decerni, quinam Alumni sint ad Theologiam applicandi, et qui ad Logicam, vel Philosophiam.

401.

Roma, 3 . VII . 1647.

Laudatur constantia Regis in deneganda nominatione Schismatici ad Metropoliam Kioviensem vacantem.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 439, nr. 10.

CONG. 63 — Die 3 Iulii 1647 (f. 434v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Cornelius Brancatius, Matthaeius, Justinianus, et Estensis, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Brancatio litteras Nuntii Poloniae de constantia Regis in recusando, iuxta eius instantias, concedere nominationem, quam vocant privilegium, petitum a Schismaticis ruthenis pro monacho S. Basilii schismatico, ab eis ad Metropolitam totius Russiae proposito²⁶⁶ sub praetextu, quod prius vult agere cum Castellano Chioviae, iam ad Moscoviae Ducem destinato, Sacra Congregatio iussit commendari diligentias Nuntii, eumque hortari, ut illas prosequatur, ne, si fieri poterit, ad dictam Metropolitam Schismaticus promoveatur.

²⁶⁴ Cfr. supra, nr. 397, die 13. V. 1647, et nr. 379, nota 248, die 18. XII. 1645.

²⁶⁵ Agitur de Benedicto Terleckyj. - Cfr. supra, nr. 379, nota 248, die 18. XII. 1645.

²⁶⁶ Sylvester Kosiv (1647-1657).

402.

Roma, 3 . VII . 1647.

Providetur pro socio Episcopo Samogitensi in eius visitatione Ecclesiae Unitae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 444rv, nr. 25.

Jul. 3.

Referente Emin.mo D. Card. Justiniano Decretum pro visitatione, et Synodo Ruthenorum unitorum die 26 Aprilis proxime praeteriti editum, Sacra Congregatio ne a Metropolita Russiae unito, consensum circa Episcopum Chelmensem, aut alium Ruthenum unitum a R. P. D. Georgio Episcopo (f. 444v) Samogitiae in socium assumendum praestare recusante, Breve visitationis et congregationis Synodi praedictorum Ruthenorum unitorum eludatur, et inutile reddatur, censuit addendum esse praedicto Decreto clausulam, qua Nuntio Poloniae, et praedicto Episcopo Samogitiae concedatur facultas praedictum Episcopum Chelmensem in socium visitationis, et Synodi, aut alium eis bene visum assumendi, casu quo Metropolita praedictus neque visitationi neque Synodo interesse possit, vel voluerit, aut suum consensum pro alio Praelato rutheno unito, loco ipsius assumendo, praestare recusaverit.

403.

Roma, 15 . VII . 1647.

Relatio litterarum P. Valeriani, Cappuccini, de spe Unionis Universalis post nominationem novi Metropolitae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 456v-457, nr. 17.

CONG. 64 — Die 15 Iulii 1647 (f. 450).

Fuit Congregatio in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt undecim Cardinales, videlicet: Spada, Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Brancatius, Matthaeius, Estensis, et Sfortia, et RR. PP. Homodeus, et Lanuvius.

Retulit idem Emin. D. Cardinalis Brancatius litteras Patris Valeriani de Mediolano, Cappuccini, in quibus, 1: significabat in Dieta Poloniae factum fuisse Decretum contra Socinianos, Haereticos, quo prohibentur admitti ad officia, et dignitates Reipublicae Poloniae.

2. Regem Poloniae, electo Metropolitae a Schismaticis, privilegium, seu confirmationem dedisse, ne impediretur Schismaticorum Praelatorum congregatio in Varavia habenda, ut in ea agatur de modo, quo Unionem cum S. R. E. facere intendunt, et licet de eorum intentione habeatur aliqua notitia, secundum quam Unio, nisi eam mutant, sit (f. 457) parum eidem S. R. E. utilis futura, possent tamen Deo iuvante in illa Congregatione favoribilia praedictae Unioni decerni, qua in re Dux Ossolinus, Magnus Cancellarius, faciet quod poterit pro Unione perfecta stabilienda.

404.

Roma, 30 . VII . 1647.

Monendus a Nuntio est Petrus Saracenus, ut apud Ep. Chelmensem permaneat, et ne Ruthenos ad Ritum Latinum hortetur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 467rv, nr. 21.

CONG. 65 — Die 30 Iulii 1647 (f. 461).

Fuit Congregatio de Propaganda Fide, in Collegio de Propaganda, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Capponius, Cornelius, Pallottus, Brancatius, Caraffa, Iustinianus, Estensis, et Sfortia et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Justiniano litteras Petri Saraceni,²⁶⁷ et Episcopi Samogitiae, qui eum cum sufficienti provisione ad suum servitium conducere desiderat, quia Episcopus Chelmensis ruthenus unitus, pro cuius schola fuit destinatus in Russiam, ob suam paupertatem non potest eum de necessariis providere, Sacra Congregatio iussit scribi Nuntio Poloniae, ut nomine Sacrae Congregationis dictum Petrum moneat ad permanendum in sua vocatione, quando ab Episcopo Chelmensi, vel a Metropolitana unito ei de necessariis (f. 467v) ad victum, et vestitum provideatur, sin minus licentiam ei impartiat ad servitium Episcopi Samogitiae transeundi, et casu quo remaneat apud Ruthenos, caveat, ne ad ritum latinum Ruthenos hortetur.

405.

Roma, 24 . VIII . 1647.

Supsidium pro P. Samuele, OSBM, in patriam redeunte.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 490-491 (extra congregationem).

Die 24 Augusti 1647(f. 490).

Relatis Emin.mo D. Card. Capponio, quae circa computa, et rationes a D. Cosmo Rectore Collegii de Propaganda Fide redditas coram Emin.mo D. Card. Brancatio, munus Mensarii Cardinalis impediti obeunte die 21 huius Mensis, Eminentia Sua mandavit solvi d. D. Rectori scuta 162. 40 monetarum, quae impendit (f. 490v) in sex mensibus primis huius anni, ultra eam summam, quae illi fuit in pluribus vicibus soluta, ut Creditoribus Collegii satisfacere possit.

Item iussit scribi D. Christophoro Storano, ut Patri Magistro Venantio, Ord. Min. Convent., in Vallachiam loco Fratris Francisci de Castro iuxta Decretum Sacrae Congregationis remittendo scuta 40 monetarum alias dicto Fratri Francisco decreta pro viatico solvat, et scuta 33.1/3 provisionis ei debitae pro presenti anno 1647.

Praeterea mandavit Patri Samueli, Monacho rutheno unito, Alumno Collegii de Propaganda Fide in Russiam finitis iam studiis cum Brevi, et aliis expeditionibus pro visitatione Ruthenorum unitorum, iuxta Sacrae Congregationis, et S. D. N. Decreta ab Episcopo Samogitiae facienda (f. 491), remittendo, scuta 80 monetarum pro viatico attenta commoditate, quam idem Pater Samuel habebit, si Provinciali Dominicanorum Ruthenorum, antequam habeatur Congregatio de Propaganda Fide, Roma in Russiam discessuro associetur.

406.

Roma, 2 . IX . 1647.

Relatio litterarum Nuntii Poloniae, quibus refert de suo apud Regem interventu in nominatione novi Metropolitanae schismatici.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 497v-498, nr. 17.

²⁶⁷ Cfr. supra, nr. 383, nota 251.

²⁶⁸ Cfr. supra, nr. 379, nota 248, et nr. 397, nota 263.

CONG. 67 — Die 2 Septembris 1647 (f. 491).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt 4r Cardinales, videlicet: Cornelius, Brancatius, Caraffa, et Sfortia.

Retulit idem Emin.mo D. Cardinalis Brancatius litteras Nuntii Poloniae,²⁶⁹ in quibus significabat se conquestum fuisse cum Rege de lato Privilegio Schismatico ad Metropolitanam (f.498) Chioviae promovendo, et Regem respondisse, Schismaticum illum²⁷⁰ esse bonis moribus praeditum, et Castellani Chioviae,²⁷¹ occulti Catholici, amicum, qui facile illi Unionem Universalem suadere poterit.

407.

Roma, 2 . IX . 1647.

De praesumpta morte Antonii Sielava et tractationibus de eius successione in Metropolia, cum exclusione Ep. Volodimiriensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 498, nr. 18.

Sept. 2.

Referente eodem Emin. D. Card. Brancatio litteras Nuntii Poloniae, in quibus significabat, 1: mortem R. P. D. Antonii Silavae,²⁷² Metropolitanae Russiae uniti; 2: Episcopum Vladimiriense²⁷³ ad Metropoliam aspirantem impedivisse, expositis Regi Poloniae eius enormitatibus, de quibus erat iam inquisitus; 3: Regem dixisse Metropoliam praeditam se daturum esse viro probo, qui, ut eam recipiat, cogendus erit. Sacra Congregatio iussit commendari diligentias a Nuntio adhibitas pro exclusione Episcopi Vladimiriensis rutheni uniti, de tot criminibus inquisiti.

408.

Roma, 2 . IX . 1647.

Missio decernitur pro P. Samuele, Alumno Collegii Urbani.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 17, fol. 498v, nr. 20.

Sept. 2.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Brancatio, Sacra Congregatio Fratri Samueli,²⁷⁴ Rutheno unito, Alumno Collegii de propag. fide missionem decrevit in Russiam et pro facultatibus iussit adiri Sanctum Offitium.

²⁶⁹ Joannis de Torres (1645-1652), Archiepiscopi Hadrianopolitani.

²⁷⁰ Sylvester Kosiv (1647-1657).

²⁷¹ Adamus Kysil, filius Georgii, subcamerarius Černyhoviensis, dein Castellanus Braclavensis. Postea vero Castellanus Kioviensis et Palatinus Kioviensis an. 1648. In bello polonico cosatico methodum suadebat mitem et conciliantem; ipse utrique parti pro mediatore inserviebat. Religione erat non Unitus, tamen Unioni Universali Ruthenorum favebat et simul cum Metropolitana non unito, Petro Mohyla, adlaborabat. Obiit anno 1653. - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 14, p. 709.

²⁷² Notitia de facto erat falsa, et Antonius Sielava obiit tantummodo anno 1655, Suprasliae. - Cfr. IC. STEBELSKI, *Ostatnie prace*, in *Scriptores rerum polonicarum*, vol. IV, p. 274-275.

²⁷³ Josephus Mokosij-Bakoveckij (1632-1650).

²⁷⁴ Cfr. supra, nr. 379, nota 248, nr. 397, nota 263, nr. 405, nota 268.

409.

Roma, 2 . IX . 1647.

*Missio ad Ruthenos Schismaticos P. Hilarioni Kotkovskij demandatur.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 499rv, nr. 23.

Sept. 2.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Brancatio, Sacra Congregatio D. Hilario Kotkowschi, rutheno sacerdote, viro docto, qui per plures annos Rethoricam et Philosophiam docuit, et demum Cathedram Metropolitanæ Chiovensis obtinuit, et simul testimoniales Archiepiscopi Smolocensis²⁷⁵ de eius vita (f. 499v), moribus, et scientia, missionem decrevit ad Ruthenos schismaticos cum viatico competenti, et pro facultatibus iussit adiri Sanctum Offitium.

410.

Roma, 14 . X . 1647.

*Datur viaticum pro P. Hilario Kotkovskij.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 535, nr. 27.

CONG. 70 — Die 14 8bris 1647 (f. 526).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Capponius, Ginettus, Mattheius, Caraffa, et Justinianus, et R. P. D. Lanuvius.

Relata instantia D. Hilarii Kotkowschi, ut illi augetur viaticum 50 scutorum monetae, alias ei decretum, ut saltem vestes pro itinere comparare possit, Sacra Congregatio alia scuta 20 Oratori decrevit non ei solvenda, sed in vestibus praedictis impendenda.

411.

Roma, 17 . XII . 1647.

*De Coadiutore Metropolitanæ Kioviensis in persona P. Simeonis, Basiliani.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 17, fol. 576rv, nr. 12.

CONG. 74 — Die 17 Xmbris 1647 (f. 573).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Capponius, Ginettus, Pallottus, Caraffa, et Sfortia, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pallotto litteras Nuntii Poloniae de responso Regis circa Coadiutorem Metropolitanæ Russiae uniti cum futura successione, et de mandato ab Eius Maiestate dato, ut quamprimum expediatur privilegium pro quodam

²⁷⁵ Archiepiscopus Smolenscensis hoc anno erat Andreas Zloty-Kvasninskyj (1640-1654), deinde ad Sedem Pinscensem translatus (1654-1665).

Fratre Simeone,²⁷⁶ monacho Basiliano, moribus, vita, et prudentia commendato, Sacra Congregatio iussit laudari diligentias Nuntii, eique iniungi, ut antequam moriatur dictus Metropolita curet dictum Privilegium pro dicto Fratre Simeone (f. 576v) expediri, ne Episcopus Vlodomiriae, de gravibus excessibus inquisitus, ut alias scripsit, malis suis artibus Metropolitanam cum magno Unionis damno occupet, si mortuo Metropolita unito a Synodo Episcoporum electio novi Metropolitanæ fiat, quod a tempore Unionis non fuit practicatum, sed semper per viam Coadiutoriae cum futura successione procedendum esse visum fuit, ne Metropolitanæ in aliquem Episcopum antea alicum, et Unioni vel inutilem, vel damnosum per electionem etiam simoniacam caderet.

412.

Roma, 23 . III . 1648.

*Ep. Chelmensis petit approbationem duarum Congregationum Marianarum in sua Dioecesi erectarum.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 18, fol. 50, nr. 9.

CONG. 80 — Die 23 Martii 1648 (f. 48v).

Fuit Congregatio Generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quattuor Cardinales, videlicet: Capponius, Caraffa, Sabellus, et Sfortia, et RR. PP. DD. Lanuvius, et Assessor Sancti Offitii.

Referente Emin.mo D. Card. Sabello instantiam Episcopi Chelmensis uniti pro confirmatione duarum Congregationum a se erectarum in sua Dioecesi, quarum altera est sub titulo Conceptionis B. M. Virginis, altera vero sub titulo Nativitatis eiusdem B. mae Virginis, cum indulgentiis Congregationibus huiusmodi concedi solitis, et cum clausula: pro fidelibus utriusque sexus tam latini, quam ritus uniti vel saltem pro earum aggregatione ad aliquam ex Archiconfraternitatibus Almae Urbis, Sacra Congregatio iussit commoneri praedictum Episcopum, ut mittat copiam erectionum a se factarum dictarum Congregationum, cum mandatis, ab eisdem Congregationibus factis, ad petendam aggregationem, in personam P. Philippi, Rutheni uniti, quia aggregatio procurabitur pro utraque Congregatione.

413.

Roma, 23 . III . 1648.

*De perfectione ecclesiae SS. Sergii et Bacchi.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 18, fol. 50v, nr. 10.

²⁷⁶ Agitur de P. Simeone Jackevyč-Stavrovskij, monacho Basiliano, qui iam temporibus Hypatii Potij vitae monasticae nomen dedit; temporibus vero Iosephi Velamin Rutskyj ordinatus fuit sacerdos, Sanctoque Archiepiscopo Polocensi, Josaphat Kuncewycz, itinerum laborumque devenit socius. Dein ab anno 1640 erat Superior monasterii Bytenensis. Vitae sanctitate apud omnes claruit et aestimabatur. Unde universaliter an. 1647 in Metropolitanam Kioviensem desiderabatur, quia etiam non Unitis acceptus erat, prout habet Ig. Stebelski. Tandem privilegium regium in coadiutoriam Kioviensem anno 1647 obtinuit, quod tamen in humilitate cordis coram Antonio Sielava, Metropolita, deposuit in monasterio Zyrovicensi. Sed non obstante hac resignatione Subcancellarius Magni Ducatus Lithuaniae ei dignitatem archimandritalem in monasterio Bytenensi pro hac vice obtinuit. Quo in officio et dignitate multa perpeti debuit. Obiit die 7.IV.1654 in odore sanctitatis, corpusque eius diu remansit incorruptum. - Cfr. fusius Ig. STEBELSKI, *Chronologia...*, p. 238-245, ed 2, Leopoli 1867.

Mart. 23

Referente eodem Emin.mo D. Card. Sabello, Sacra Congregatio reiecit petitionem Ruthenorum unitorum Sanctorum Sergii, et Bacchi instantium perfici ecclesiam praedictorum SS. Martyrum iuxta codicillum b. m. D. Cardinalis Sancti Honuphrii, quia, ut Pater Valerius, cui cura fabricae dictae ecclesiae a dicto D. Card. fuit commissa, testatus est, illam esse perfectam, et si quae sunt facienda pertinent ad ornatum ecclesiae, et non ad illius perfectionem.

414.

Roma, 1 . IV . 1648.

Remittitur ad S. Officium casus sacerdotis Athanasii Lohojovskij, qui, ad fidem catholicam conversus, assumpsit Ritus Latinum.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 18, fol. 63v-64, nr. 26.

CONG. 81 — Die 1 Aprilis 1648 (f. 57).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quattuor Cardinales, videlicet: Barberinus, Capponius, Pallottus, et Caraffa, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Card. Pallotto litteras Nuntii Poloniae et copiam litterarum Episcopi Luceoriae latini²⁷⁷ de monacho Sancti Basilii, Athanasio Lohojovskij nomine, qui a Schismate ad Unionem cum Sancta Sede Apostolica veniens, habitum Presbyteri saecularis suscepit, et (f. 64) ritu latino celebravit, et cum eum dictus Episcopus absolvere non valeat a censuris, illum ad Nuntium praedictum remisit, qui sufficientes facultates non habens ad Sacram Congregationem pro eo scripsit, et ut ei gratia, alias facta D. Hilario Kotkowschi, concedatur rogat, Sacra Congregatio iussit adiri Sanctum Offitium.

415.

Roma, 20 . IV . 1648.

Causa Unionis Universalis, prout patet ex litteris Castellani Kioviensis, remittitur ad S. Officium.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 18, fol. 68, nr. 11.

CONG. 82 — Die 20 Aprilis 1648 (f. 64v).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quattuor Cardinales, videlicet: Capponius, Ginettus, Sabellius, et Sfortia.

Referente Emin.mo D. Cardinali Sabello litteras Nuntii Poloniae eiusque monita circa Unionem Universalem Ruthenorum Schismaticorum, ac litteras Castellani Chioviae,²⁷⁸ Rutheni schismatici, de eadem materia ad electum Metropolitam Ruthenorum²⁷⁹ praedictorum, datas; ex quibus magna praedictorum Castellani et Metropolitanae ad prae-

²⁷⁷ Andreas Gembicki (1638-1655). - Cfr. *Encyklop. Powszechna*, vol. 3, p. 651.

²⁷⁸ Adami Kysil; cfr. supra, nr. 406, nota 271.

²⁷⁹ Sylvestrum Kosiv (1647-1657).

fatam Unionem Universalem dispositio colligebatur. Sacra Congregatio rogavit Eminentissimum D. Cardinalem Ginettum, ut praedictas litteras, et monita in Congregatione S. Offitii referre dignaretur, quod Eminentia Sua in futura Congregatione eiusdem Sancti Offitii se facturum promisit.

416.

Roma, 1 . V . 1648.

Instituitur congregatio particularis de negotio Universalis Unionis Ruthenorum

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 18, fol. 71rv.

Die prima Maii 1648.

Referente per litteras R. P. D. Assessore Sancti Offitii S. mus D. N. in Congregatione eiusdem Sancti Offitii, die precedenti habita, particularem congregationem de negotio Unionis Universalis Ruthenorum Schismaticorum cum S. R. E. instituit, ad eamque vocari iussit Eminentissimos DD. Cardd. Pallottum, de Lugo, et Iustinianum, et RR. PP. DD. Magistrum Sac. Patatii, Paulutium, praedictum Assessorem (f. 71v) Sancti Offitii, Abbatem Hilarionem, et Franciscum Ingolum.

417.

Roma, 25 . V . 1648.

Missio P. Paulini Dembskyj ad Patriarcham de Pech.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 18, fol. 82v, nr. 2.

CONG. 85 - Die 25 Maii 1648 (f. 80v).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Capponius, Cornelius, Fachinettus, Sabellius, et Sfortia.

Principaliter relatis iterum litteris Synodalibus Episcoporum sub Patriarcha de Pech, Sacra Congregatio decrevit, ut infra: 1, iussit praedictas litteras referri in Congregatione Sancti Offitii (quod se facturum Emin. mus D. Cardinalis Ginettus promisit) pro habenda eiusdem Congregationis sententia, et casu quo licentia a praedicta Synodo petita sit concedenda, mittendum esse cum Patribus Theodosio, et Absalone, Monachis Basilianis, a dicta Synodo Romam missis, Patrem Paulinum, Ruthenum unitum, cum sufficienti instructione et cum titulo Magistri scholae in Pech aperiendae ad docendos pueros, et iuniores Monachos litteras humaniores latinas.

418.

Roma, 8 . VI . 1648.

De missione P. Paulini Demski ad Patriarcham de Pech.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 18, fol. 92, nr. 22.

CONG. 86 - Die 8 Iunii 1648 (f. 84v).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Barberinus, Capponius, Cornelius, Caraffa, et Sfortia, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo D. Cardinali Cornelio instructionem factam pro Fratre Paulino, Rutheno unito, cum Monachis Servianis Ordinis S. Basilii Theodosio, et Absalone mittendo, S. Congregatio missionem ad Patriarcham Pech dicto Fratri Paulino decrevit, ut in ea ultra munia Missionis, Scholam etiam iuxta praedictam instructionem aperiat, et pro facultatibus iussit adiri Sanctum Offitium; 2, eidem Fratri Paulino provisionem annuam scutorum 40 monetae assignavit ad triennium, et pro viatico scuta 30 similia; 3, alia scuta 24 monetae decrevit praedictis duobus Monachis Theodosio, et Absaloni, 12 videlicet pro quolibet eorum; 4, demum iussit responderi litteris Synodi dicti Patriarchatus, eidemque Synodo significari Missionem dicti Fratris Paulini ad effectum praedictum, et eundem Fratrem Paulinum novo Patriarchae, eiusque Episcopis commendari, (f. 92v) quibus circa reliqua, in praefatis litteris contenta, praefatus Frater Paulinus oretenus S. Congregationis sententiam aperiet.

419.

Roma, 8 . VI . 1648.

Ep. Chelmensis petit, ut ei mittatur P. Reginaldus, Augustinianus, pro schola Minscensi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 18, fol. 95, nr. 32.

Jun. 8.

Referente eodem Eminentissimo D. Cardinali Caraffa²⁸⁰ litteras Episcopi Chelmensis, petentis ad se mitti M. Fratrem Reginaldum Maorium, Augustinianum, in Varsavia degentem, pro Seminario in (f. 95v) Minsco pro Ruthenis unitis instituto, Sac. Congregatio mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut dictum M. Reginaldum ad praedictum Episcopum mittat, de licentia tamen suorum Superiorum.

420.

Roma, 1 . IX . 1648.

De Georgio Crisano et de transmissione s. d. « Libri Cyrilli ».

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 18, fol. 158v, nr. 25.

CONG. 92 - Die 1 Septembris 1648 (f. 151v).

Fuit Congregatio Generalis in Quirinali coram Sanctissimo, cui interfuerunt octo Cardinales, videlicet: Spada, Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Matthaeius, Justinianus, et Sfortia, et RR. PP. DD. Homodeus, Lanuvius, et Assessor S. Offitii.

Referente Emin.mo Domino Cardinali Sfortia, literas D. Georgii Chrisanii, Missionarii in Moscovia, de suo ingressu in Moscoviam cum Oratore Regis Poloniae, et de iis quae ibi observavit, et praesertim de libro inscripto « Collectio ex Sanctis Patribus rerum ad fidem necessariorum contra Deo odiosos Latinos, ac alios Haereticos », Sanctitas Sua mandavit dictum Chrisanium moneri, ut librum illum ad Urbem transmittat occasione aliqua (f. 159) opportuna ei oblata, adhibita etiam Nuntii Poloniae auctoritate, vel commendatione, si opus fuerit.

²⁸⁰ Cardinalis Petrus Aloysius Carafa, neapolitanus; sub Urbano VIII per 4 annos Nuntius Coloniensis, postea Episcopus Tricaricensis (Prov. Matera); creatus Cardinalis die 6.III.1645. Obiit Romae die 15.III.1655. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV, 1, p. 142-143; P. GAUCHAT, *Hierarchia catholica*, vol. IV, p. 28.

421.

Roma, 16 . XI . 1648.

De Unione Universali Ruthenorum considerationes S. Congregationis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 18, fol. 178, nr. 5.

CONG. 96 - Die 16 Nov. 1648 (f. 177).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: Pallottus, Brancatius, Matthaeius, et Sfortia.

Referente eodem Eminentissimo Domino Cardinali Pallotto quae de Unione Universali Ruthenorum Schismaticorum scribunt Nuntius Poloniae et Petrus Saracenus, S. Congregatio censuit, prout alias, expectandam esse novi Regis Poloniae electionem, et quid in Conventu praedictorum Schismaticorum tempore electionis, vel post electionem habendo resolvatur circa... transmissos, et in eo Conventu ab illis examinandos.

422.

Roma, 14 . XII . 1648.

De instantia monachorum ruthenorum pro extensione Bullae Gregorii XIII remittitur ad Synodum Provinciale.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 18, fol. 194rv, nr. 22.

CONG. 98 — Die 14 Decembris 1648 (f. 188).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt septem Cardinales, videlicet: Barberinus, Cornelius, Pallottus, Matthaeius, Caraffa, Iustinianus, et Sfortia.

Referente eodem Emin.mo Domino Cardinali Pallotto instantiam monachorum ruthenorum Ordinis Sancti Basilii cum S. Romana Ecclesia unitorum, ut Constitutio Gregorii XIII, pro monachis Basilianis Congregationis Italiae edita, extenderetur ad illos, ut cum directione praedictae Constitutionis melius, et facilius eorum Religio gubernari et regi possit ab eius Superioribus, Sac. Congregatio iussit scribi Nuntio Poloniae, ut huiusmodi instantiam proponi (f. 194v) curet in Synodo a praedicta Religione coram Metropolita Russiae habenda, et ab ipsamet Synodo pro extensione praedicta S. D. N. supplicari, quia tunc eadem Sacra Congregatio ut gratia in dicta instantia petita a Sanctitate Sua obtineatur curabit.

423.

Roma, 8 . II . 1649.

De monacho Gabriele Kovickyj, qui ad Ritum Latinum transiit, ut cogereetur ad Ritum Graecum reverti. Pro informatione ad Nuntium.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 209rv, nr. 8.

CONG. 100 — Die 8 Februarii 1649 (f. 207v).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quinque Cardinales, videlicet: Cornelius, Pallottus, Matthaeius, Sfortia, et Mardalchius, et R. P. D. Lanuvius.

Referente eodem Emin.mo Domino Cardinali Pallotto instantiam nomine monachorum Sancti Basilii ruthenorum unitorum exhibita, ut ad suum monasterium revocaretur Frater Gabriel Kovicki, qui absolutis in Collegio Pontificio Viennensi studiis in Urbem Unguar Hungariae se transtulit, ibique dimisso habitu monachali mutavit ritum graecum in latinum, et habitum Praesbiteri saecularis assumpsit, celebratque ritum latino sine licentia Sedis Apostolicae, contra Decreta Urbani 8, qui prohibuit Ecclesiasticis ruthenis unitis, ne sine speciali licentia Apostolicae Sedis ad ritum latinum audeant se transferre, et contra alias Pontificias Constitutiones, quae prohibent ritum mutare, et Religiosis professis ne sine eadem licentia fieri possint sacerdotes saeculares, S. Congregatio iussit scribi Nuntio Germaniae, ut de praedictis informationes assumat, et si exposita esse vera compererit, dictum Gabrielem (f. 205v) cogat reassumere habitum monachalem Sancti Basilii et se recipere in monasterium, in quo fecit professionem.

424.

Roma, 23 . III . 1649.

De subsidio pro ecclesia SS. Sergii et Bacchi ad restauranda tria cubicula.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 233v, nr. 21.

CONG. 103 — Die 23 Martii 1649 (f. 288v).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt sex Cardinales, videlicet: Barberinus, Capponius, Ginettus, Caraffa, Sfortia, et Mardalchinus, et R. P. D. Lanuvius.

Referente Emin.mo Domino Cardinali Capponio, Sacra Congregatio iussit Patri Philippo, Rutheno unito, ecclesiae SS. Sergii, et Bachi Martyrum Custodi, solvi scuta 150 anticipate pro uno anno, et dimidio, ut cum eis tria cubicula in domo dictae ecclesiae reddere possit habitabilia, et postea, ut asserit, pro scutis 45 annuis ea locare, recepta tamen ab eo quietantia, et promissione de excomputandis dictis scutis 150 in legato annuo eidem ecclesiae a bon.mem. Cardinali Sancti Honuphrii relicto.

Die 30 Augusti 1649 (f. 266v).

Fuit declaratus Secretarius Sac. Congregationis de Prop. Fide a S. D. N., et ab Em.mis DD. Cardinalibus Dionysius Massarius, E. F. D. Decanus, ex civitate Firmana oriundus.

425.

Roma, 12 . X . 1649.

De subsidio pro P. Paulino, Missionario ad Patriarcham de Pech.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 279v, nr. 14.

CONG. - Die 12. 8bris 1649 (f. 277).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio de Propaganda, in qua interfuerunt 8 Cardinales, videlicet: Barberinus, Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Brancatius, Caraffa, et Sfortia.

Referente eodem libellum supplicem nomine Patris Paulini monachi Ordinis Divi Basilii Magni, Rutheni uniti, missionarii ad Patriarchatum Pech in Albania, petentis ad eum transmitti provisionem 40 scutorum monetae pro anno praeterito, S. Congregatio respondit, mandatum a Patre Philippo dicti sui Ordinis nomine dicti Patris Paulini exhibitum non extendi pro hac exigentia.

426.

Roma, 17 . I . 1650.

De admissione PP. Basilianorum ad Collegium Brunsbergense.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 303v-304, nr. 4.

CONG. GEN. — Die 17 mensis Ianuarii 1650 (f. 303).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio dictae S. Congregationis, in loco solito, praemonitis omnibus Em.mis et R.mis DD. Cardinalibus, et Ill.mis et R.mis DD. Praelatis, interfuerunt in ea tamen infrascripti, videlicet: Emin. D. Card. Pallotta, Emin.mus F. Card. Brancatius, Emin.mus D. Card. Caraffa, Emin.mus D. Card. Gabriellius, Emin.mus D. Card. Sfortia, necnon Ill.mus D. Lanuvius.

Referente eodem²⁸¹ litteras D. Nuntii Poloniae, in quibus repraesentabat quod Rector Collegii Pontificii Brusbergensis civitatis desiderat informari an PP. Basiliani, qui possunt admitti in dicto Collegio vigore erectionis, possint recipi quando alias non sunt apti ad audiendam Philosophiam, prout requirunt Constitutiones Collegii pro aliis Alumnis, quia dicti PP. Basiliani praetendunt esse exceptos a tali Decreto, fuit responsum quod D. Secretarius S. Congregationis videat Bullam erectionis dicti Collegii, et interim detur responsum D. Nuncio supradicto, ut videat an DD. PP. Basiliani habeant (f. 304) aliquod super hoc privilegium speciale, et interim mandet servari solitum.

427.

Roma, 7 . III . 1650.

F. Antonio Terleckyj datur privilegium Missionarii.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 338, nr. 18.

CONG. GEN. - Die 7 Martii 1650 (f. 333).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem S. Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi D. Cardinales infrascripti, videlicet: Capponius, Caraffa, Gabriellius, Estensis, et Mardalchinus, necnon Ill.mus et Rev.mus Dominus Lanuvius.

Proponente Emin.mo D. Cardinali Mardalchino libellum supplicem P. Antonii Terleschi, Ordinis Min. Convent. sacerdotis, Provinciae Russiae, petentis humiliter quod Sacra Congregatio dignetur illum in dicta Provincia Missionarium declarare, S. Congregatio, stantibus testimoniis D. Nuntii Poloniae, et P. Generalis eiusdem Ordinis de idoneitate, sufficientia, et integritate Oratoris ipsum iuxta petita Missionarium declaravit in dicta Provincia Russiae, et pro facultatibus iussit adire Sanctum Officium.

²⁸¹ Id est Card. Pallotto.

428.

Roma, 21 . III . 1650.

Casus sacerdotis rutheni, qui ex Schismate conversus uxorem duxit, remittitur ad S. Officium.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 339v, nr. 3.

CONG. GEN. — Die 21 Martii 1650 (f. 339).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide, in loco solito, in qua interfuerunt EE.mi, et RR.mi DD. infrascripti, videlicet: Ludovisius, Gabriellus, et Estensis, necnon Ill.mi et RR.mi DD. Lanuvius, et Albitius.

Proponente eodem²⁸² libellum supplicem Metropolitanæ Russiæ, petentis quod Sac. Congregatio dignetur dispensare cum Sebastiano Fiedorovicz, Rutheno, nunc Catholico unito, qui, actu existens Praesbyter saecularis ritus graeci, uxorem duxit, quam propter infamiam suam, et illius dimittere nequit, cum periculo, quod nisi gratiam obtineat iterum in Schisma aut Haeresim relabatur, S. Congregatio illum remisit ad (f. 340) Sanctum Officium pro expeditione.

429.

Roma, 9 . V . 1650.

Assignantur libri scholastici pro P. Paulino, OSBM, Missionario in Servia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 355v, nr. 14.

CONG. GEN. — Die 9 Maii 1650 (f. 353).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt EE.mi, et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Brancatius, et Estensis, necnon Ill.mus et R.mus D. Lanuvius.

Proponente E.mo D. Cardinali Brancatio libellum supplicem P. Paulini, monachi rutheni Ord. Sancti Basilii, Missionari Apostolici in Servia, repraesentantis aperuisse ginnasium in dicta Provincia pro servitio illius iuventutis, ac proinde petentis aliquos libros, Sac. Congregatio dixit esse conveniendum D. Rectorem V. Collegii de Prop. Fide, ut tradat notulam librorum, qui fuerunt impressi, et, si aliqui sint, qui pro servitio Oratoris, eius Procuratori tradantur.

430.

Roma, 31 . V . 1650.

De transmissione stipendii pro P. Paulino, Missionario in Servia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 362v, nr. 5.

²⁸² Id est Card. Ludovisio.

CONG. GEN. — Die 31 Maii (f. 362).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in qua interfuerunt EE.mi, et RR.mi DD. Cardinales: Cornelius, Pallottus, Ludovisius, Estensis, et pro prima vice etiam Vitmannus, necnon Ill.mus, et R.mus D. Lanuvius.

Referente eodem D. Nuntii Apostolici apud Venetos litteras, quibus certiozem reddit Sac. Congregationem de pecuniis transmissis ad P. Paulinum Demski, Ruthenum, ad bonum, ut aiunt, computum provisionum suae missionis, et hac data occasione fuit actum an stipendia augenda essent, cum aliis Missionariis in iisdem regionibus maior summa tradatur, responsum fuit: idem cum P. Paulino, quod cum aliis servandum.

431.

Roma, 4 . VII . 1650.

Relatio de damnis pro Unitis, ortis ex concessionibus Regis Poloniae in favorem Schismaticorum.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 19, fol. 382, nr. 18.

CONG. GEN. — Die 4 Iulii 1650 (f. 378).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt E.mi, ac R.mi Cardinales: Barberinus, Capponius, Ginettus, Pallottus, Caesius, Cecchinus, Carafa, Estensis, Vidman, et Moidalchinus, necnon Ill.mus et R.mus D. Lanuvius.

Referente E.mo D. Cardinali Moidalchino²⁸³ literas D. Nuntii Apostolici in Regno Poloniae, significantis maxima damna catholicae religioni allata in iis, quae a Sere-nissimo Rege Poloniae Ruthenis schismaticis sunt concessa,²⁸⁴ et protestationem contra ea per eundem D. Nuntium interpositam, placuit Sac. Congregationi ad Emin.mum D. Cardinalem Panzirolum²⁸⁵ id referri, ut ad Principes illius Regni Brevia scribantur, ne concessa approbent, vel acceptent; et convenire subinde D. Assessorem S. Officii, ut pro suo munere in Congregatione eius Tribunalis proponat, quid hac super re videatur agendum.

432.

Roma, 10 . I . 1651.

Iterum de missione librorum scholasticorum pro P. Paulino, Missionario in Servia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 20, fol. 3, nr. 11.

²⁸³ Cardinalis Franciscus Moidalchini, nepos Olimpiæ Moidalchini (uxoris Pamphili Pamphili, fratris maioris Papae Innocentii X); nominatus Cardinalis die 7.X.1647, anno vitae 17. Vitae incorruptae et caritate plenus, etiamsi ad maiora negotia non tam capax. Obiit anno 1700. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV, 1, p. 32 etc; P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 29.

²⁸⁴ Agitur de concessionibus in tractatu Zborovensi inter Regem Poloniae et ducem Cosaccorum Bohdan Chmelnyckyj (anno 1649), quae Unitis valde nociva erant, immo omnimoda destructio Unionis postulabatur. - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 224-225.

²⁸⁵ Cardinalis Joannes Panciroli, romanus; Nuntius in Madrid (1642-1643); creatus Cardinalis die 13.VII.1643, et nominatus Secretarius Status Innocentii X (1647-1650), in quem magnum habuit influxum. At sub finem vitae eius auctoritas eius omnino disparuit, ita ut quasi in oblivione mortuus est anno 1651 (3. IX). Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, 717, 736, etc., et vol. XIV, 1, p. 17-34 sq.

CONG. GEN. — Die 10 Ianuarii 1651 (f. 1).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt EE.mi, et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Capponius, Cornelius, Ginettus, Facchinettus, Ludovisius, Cecchinus, Carafa, Estensis, Vidman, et Moidalchinus, necnon Ill.mus, et R.mus D. Lanuvius.

Proponente eodem²⁸⁶ libellum supplicem F. Paulini, monachi ruteni, Missionarii ad Patriarchatum de Pech, petentis aliquos libros necessarios pro Gynnasio ab eodem erecto in Servia, E.mi Patres dixerunt esse Oratori mittendos libros impressos in Thyographia Collegii, si qui sint ad eius usum accomodati.

433.

Roma, 8 . II . 1651.

Solvantur 50 scuta romana ex legato Card. S. Onuphrii pro hospitio SS. Sergii et Bacchi.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 19v.

Die octava Februarii 1651.

In audientia, seu colloquio cum E.mo D. Cardinali Capponio, Eminentia Sua dixit esse solvenda scuta quinquaginta P. Gregorio Bienkouschi,²⁸⁷ monacho ruteno Ord. Sancti Basilii in conventu SS. Sergii, et Bacchi de Urbe commoranti, pro adimplimento legati Emin.mi D. Cardinalis Sancti Onuphrii bon. mem, et hoc pro termino Natalis proximi praeteriti, dummodo alias non sit satisfactum.

434.

Roma, 21 . III . 1651.

De admissione Pauli Joannis Milkovskyj in Collegio de Prop. Fide, praevis tamen examine.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 26v, nr. 5.

CONG. GEN. — Die 21 Martii 1651 (f. 26).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem S. Congreg., in loco solito, in qua interfuerunt Eminentissimi et R.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Caesius, Ludovisius, Estensis, et Vidman, necnon Ill.mus D. Lanuvius.

²⁸⁶ Id est Card. Federicus Cornelio (Cornaro). Venetus, Ep. Bergomen; creatus die 19.I. 1626, obiit Romae 5.VI.1653. - Cfr. P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 20.

²⁸⁷ P. Gregorius Bienkovskyj, monachus ruthenus, filius Petri et Dorotheae, ex dioecesi Vilnensi; natus die 23.IV.1619, ingressus Coll. Graecorum die 18.XII.1645, aetate 27 annorum. Studiis absolutis Procurator Generalis negotiorum Ecclesia Ruthenae in Urbe et Rector ecclesiae et hospitii SS. Sergii et Bacchi anno 1651 circiter designatus est, post mortem P. Philippi Borovyk, secundi Procuratoris stabilis. Post aliquos annos administrationis huius hospitii in patriam redit et designatus est Archimandrita Cerejensis. Obiit Polociae quinto Kalendas Februarii 1675. - Cfr. L. КИСКА, *Vitae Basilianorum*, p. 341, in « *Analecta OSBM* », vol. III, 3-4, p. 497-498.

Proponente Emin.mo D. Card. Estensi libellum supplicem Pauli Joannis Milkovsky,²⁸⁸ Ruteni, petentis, ut S. Congregatio dignetur ipsum in Collegio de Prop. Fide inter Alumnos conscribere, Emin.mi Patres petitioni annuentes dixerunt, debere exponi examini.

435.

Roma, 28 . III . 1651.

P. Benedictus Terlekyj mittitur cum solito subsidio et viatico ut Missionarius in Russiam et Lithuaniam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 38rv, nr. 15.

CONG. GEN. — Die 28 Martii 1651 (f. 29).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide coram Sanct.mo in Palatio Quirinali, cui interfuerunt Emin.mi et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Spada, Ginettus, Pallottus, Caesius, Cecchinus, Ludovisius, Pamphilius, Vidman, et Moidalchinus, necnon Ill.mi, et R.mi DD. Homodeus, Albitius, et Lanuvius.

Proponente Emin.mo D. Cardinali Moidalchino libellum supplicem P. Benedicti Terleschij,²⁸⁹ Ord. Sancti Basilii ritus graeci, iam Alumni v. Collegii de Prop. Fide, et Philosophiae ac Sac. Theolog. Doctoris, petentis, ut declaretur Missionarius in Lituaniam, et Russiam, eius patriam, cum subsidio soliti viatici, et vestium, S. D. N., voto EE.morum Patrum annuens, Oratorem praedictum Missionarium in Lituaniam, et Russiam declaravit, et viaticum, ac vestes solitas arbitrio D. Cardinalis Praefecti (f. 38v) concessit, illum subiciendo Praefecturae R.mi Domini Primatis Russiae, etc.

436.

Roma, 5 . VI . 1651.

Negativa responsio Pachomio Ohilevyč ad eius petitionem pro viatico et missione in Lithuaniam et Russiam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 60rv, nr. 27.

CONG. GEN. — Die 5 Iunii 1651 (f. 55).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt EE.mi, et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Capponius, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Caesius, Carafa, Cecchinus, Estensis, Vidman, et Moidalchinus.

²⁸⁸ Paulus Milkovskyj. In Registro Alumnorum Collegii Urbani, vol. I, p. 65, nr. 130, sic habetur de illo: « Paolo Milcoschi. Da Rugi nella Russia, diocesi di Chiovia; entrò in Collegio li 4 Luglio 1651; è nato di parenti cattolici, e di legittimo matrimonio, è in età di anni 116 incirca, ed è stato applicato alla Grammatica. Ha fatto solito giuramento sotto li 14 Gennaio 1652. Sa la lingua bulgara, latina, et italiana, et un poco di turchesca. A di 14 Novembre 1657 partì di ritorno alla patria per essere dato in cattiva disposizione e principio di tisi- cia, et hebbe di sussidio sc. 70 ».

²⁸⁹ P. Benedictus Terlekyj. - Cfr. supra, nr. 379, nota 248, die 18.XII.1645, et nr. 397, nota 265.

Proponente eodem²⁹⁰ libellum supplicem Pachomii Ohilewicz,²⁹¹ Rutheni, mon. Ord. Sancti Basilii, petentis quod completis iam studiis in Collegio Graeco de Urbe dignetur Sac. Congregatio eum Missionarium in Lituaniam et Russiam, eius patriam, declarare, eidemque viaticum concedere, fuit negative responsum.

437.

Roma, 20 . VI . 1651.

P. Paulinus Dembskyj petit prorogationem missionis ad Valacchos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 65v-66, nr. 9.

CONG. GEN. — Die 20 Iunii 1651 (f. 63).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide, in Collegio eiusdem, in qua interfuerunt EE.mi et RR.mi DD. Cardinales: Barberinus, Cornelius, Caesius, Ludovisius, Vidman, et Moidalchinus.

Proponente eodem²⁹² libellum supplicem P. Paulini Demsky, Rutheni,²⁹³ Missionarii ad Patriarchatum Pech, petentis prorogationem missionis, et facultatum, cum sit triennium primo praescriptum (f. 66) iam transactum, Sac. Congregatio ad aliud 3um missionem progavit, et pro facultatibus iussit adiri Sanctum Officium.

438.

Roma, 18 . VII . 1651.

Petitio pro erectione Collegi et conventus S. Philippi Nerei in confinibus Lithuaniae.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 82v-83, nr. 17.

CONG. GEN. — Die 18 Iulii 1651 (f. 79).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide, in Collegio eiusdem S. Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, vide-

²⁹⁰ Card. Moidalchino.

²⁹¹ Pachomius Ohilevyč. Monachus Basilianus. Studuit in Collegio Graecorum. Filius Gregorii et Reginae Maslanczanka ex Minsk in Russia Alba; natus die 12.VI.1624; ingressus 18.XII.1645, aetate 22 annorum, ut diaconus. Discessit e Collegio die 20.VIII.1652, absoluta theologia et laurea doctoratus accepta (Cfr. *Chronica*, fol. 18v-19). In patriam reversus Vilnae aliisque in locis praedicabat, Episcopis consilio et auxilio inserviebat. Commorabatur Bytenii et Supraslae. Dein electus est Provincialis in Capitulo Zyrovicensi, et iterum Roman se contulit, ubi per duos fere annos commorabatur, negotia Ordinis et Ecclesiae procurans. In patriam de novo reversus in Capitulo Suprasliensi et Berestensi electus est Vicarius Generalis Ordinis ad latus Metropolitae Gabrielis Kolendae, Protoarchimandritae (1666-1674). Post mortem vero Metropolitae electus est et ipse Protoarchimandrita, ut primus simplex monachus (1675-1679); modo speciali cultum marianum concionibus propagabat. Ex eius virtutibus notari potest hoc testimonium Leonis Kiška: « Temporis avarus, ad verba otiosa et officiosa mutus fuit... » (Cfr. L. Kiška, *op. cit.*, p. 354, in « *Anacleta OSBM* », vol. II, 3-4, p. 510-511).

²⁹² Card. Cornelio.

²⁹³ L. Kiška sic de eo inter alia habet: « gloriosus fidei propagator variis in partibus mundi, maxime S. Sedis Apostolicae Missionarius in Serviam et Bulgariam ad Patriarcham in Pech anno 1648 missus ». Studuit etiam in Collegio Brunbergensi, a die 5.IX.1633 ad diem 2.IX.1635, et iterata vice venit in hoc Collegium die 24.XI.1637 (Cfr. LÜNN, *Matr.*, p. 84, nr. 619). In Servia 6 annos laborabat, et scholam in Catara dirigebat. Obiit in hac missione anno 1656. - Cfr. L. Kiška, *op. cit.*, p. 285-6, in « *Anacleta OSBM* », vol. I, 1, p. 121-123.

licet: Barberinus, Cornelius, Ludovisius, Pamphilius, Vidman, et Moidalchinus, nec non Ill.mus et R.mus, D. Lanuvius.

Referente Emin.mo Cardinali Moidalchino litteras D.Episcopi Wilnensis²⁹⁴ circa oblationem P. (Jelec)²⁹⁵ se velle propriis expensis erigere in confinibus Russiae et Lithuaniae Collegium, seu Oratorium sub regula Sancti (f. 83) Philippi Nerei pro salute animarum, in beneficium, et ad conversionem populorum illarum partium, et praecipue cum Generalis Cosaccorum Kimlniski²⁹⁶ consensus accedat, Sacra Congregatio dixit, esse dictas litteras per manus EEm.rum transmittendas, ut bene examinatis per singulos Eminentissimos D.Cardinales in prima Congregatione tractetur de responso.

439.

Roma, 7 . VIII . 1651.

Iterum petitio P. Ignatii Jelec pro erectione Conventus S. Philippi Nerei examinatur.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 93, nr. 29.

CONG. GEN. — Die 7 Augusti 1651 (f. 87).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide, in qua interfuerunt EE.mi et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Cornelius, Ginettus, Pallotus, Caesius, Cecchinus, Ludovisius, Vidman, et Moidalchinus, nec non Ill.mus et R.mus D. Lanuvius etc.

Referente iterum Emin.mo D. Cardinali Moidalchino litteras Episcopi Wilnensis, iam per manus EEm.rum Patrum transmissas, super petitione P. Ignatii Jelec, Praesbiteri Soc. Jesu, instantis pro facultate erigendi Congregationem Oratorii sub regulis S. Philippi Nerei pro Praesbiteris saecularibus cum indulto, et privilegio celebrandi Missas, et officia ac ceremonias more, ac modo Romanae Ecclesiae, lingua tamen slavona, in illis partibus maxime usitata, Sac. Congregatio, re mature discussa ac examinata, fuit in voto posse per S. D. N. huiusmodi privilegium concedi, ut in illis Provinciis fides catholica facilius propagetur, et, ablato Schismate, fiat unio cum S. Ecclesia Romana.

440.

Roma, 2 . X . 1651.

Pro Unione et erectione episcopatus Munkacsiensis supplicat Archiep. Strigoniensis.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 20, fol. 107v, nr. 26.
A. HODINKA, *op. cit.*, I, p. 162, nr. 120.

²⁹⁴ Tunc temporis iam Georgii Tyszkiewicz (1649-1657), antea Episcopi Samogitiensis (1633-1649).

²⁹⁵ P. Ignatius Jelec, Societatis Jesu. Sacerdos hic, ut videtur valde Unioni Ecclesiae favebat operibusque monstrabat ita, ut a multis in Metropolitam Kioviensem proponebatur.

²⁹⁶ Agitur de Bohdano Chmelnyckyj (1648-1657), qui simul cum Cosacis contra Regnum Poloniae, et speciali modo contra Nobilitatem Polonam, insurrexit, exercitusque polonicos devicit voluntatemque Ucrainae liberatae Poloniae imposuit in tractatu Zborovensi (1649). Documentum hoc sat curiosum considerari debet, quia monstrare potest, quatenus ipse Chmelnyckyj Unioni nan tam adversus erat, prout patet ex tractatu Zborovensi, in quo potius pressioni populi cedere debuit, pro totali abolitione Unionis. De his eventibus copiosa sat habetur bibliographia tum ucrainica, tum polonica, tum etiam moscovitica.

CONG. GEN. — Die 2 Octobris 1651 (f. 103).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in loco solito, in qua interfuerunt EEm.mi et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Cornelius, Ginettus, Pallottus, Cecchinus, Ludovisius, Caesius, et Trivultius, nec non R. P. D. Lanuvius etc.

Referente Emin.mo D. Cardinali Trivultio litteras D. Archiepiscopi Strigoniensis,²⁹⁷ scribentis quod cum in partibus Ungariae, versus Poloniam, in Strigoniensi ac Agriensi Dioecesis sint quamplurimi Rutheni schismatici, ex quibus multi sunt ad catholicam fidem conversi,²⁹⁸ et denuo supra 400 sacerdotes cum numero considerabili populorum, instet pro erectione Episcopatus catholici, ut in graeco ritu possint et fidem catholicam profiteri et Unionem cum Sancta Sede Apostolica habere, humiliter supplicat Sanctitatem Suam, ut pro sua singulari pietate, ac pastoralis zelo gratiam Oratoribus concedere dignetur. E.mi Patres, laeto animo huiusmodi nuncia recipientes, decreverunt esse S.mo D. N. in prima Congregatione coram Sanctitate Sua humiliter et enixe deprecandum, ut petitioni annuere non dedignetur, ut tam notabilis animarum numerus ad viam salutis reducatur, et eo magis cum supradicti sacerdotes, et populi proprii animi motu unionem cum Sancta Romana Ecclesia petant, ac pro novo Episcopatu subsidium, et sustentationum, ac redditus congruos offerant.

441.

Roma, 18 . XII . 1651.

Instat Archiep. Strigoniensis pro approbatione Parthenii in episcopum Munkacsensem, etiamsi ab Episcopo Schismatico consecratus fuit.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 20, fol. 134v, nr. 22.
A. HODINKA, *op. cit.*, I, p. 162-3, nr. 121.

CONG. GEN. — Die 18 Decembris 1651 (f. 128).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem S. Congregationis, in qua interfuerunt EEm.mi et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ginettus, Cecchinus, Ludovisius, Sabellius, Pamphilius, et Trivultius, nec non R. P. D. Lanuvius etc.

Referente eodem²⁹⁹ litteras D. Archiepiscopi Strigoniensis, scribentis a Russianis Catholicis fuisse ex improvise factam electionem Petri Parthenii,³⁰⁰ sacerdotis Ord. S. Basilii, in eorum Episcopum, et insuper eundem fuisse consecratum Weinsburgi in Transilvania ab Episcopo schismatico; sed nunc, confitendo errorem et insimul petendo veniam, humiliter postulant confirmationem dicti Episcopi Parthenii, promittendo obedientiam, et unionem S. Sedi Apostolicae; Sac. Congregatio censuit, si S.mo D. N. placuerit, esse dictum Petrum Parthenium in Episcopum dictae Nationis confirmandum, ac in gremium S. Matris Ecclesiae, et Sedis Apostolicae gratiam recipiendum pro bono spirituali illius populi.

²⁹⁷ Archiepiscopus Strigoniensis an. 1651 erat Georgius Lippay de Zombor, antea Ep. Vesprimiensis (7.XII.1645 - 3.I.1666). - Cfr. P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 323.

²⁹⁸ Annis, ut communiter tenetur, 1646-1648, sub Episcopo Basilio Tarasovyč (1634-1648). - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 357-359.

²⁹⁹ Cardinali Pamphilio (antea Camillo Astalli), creato Cardinali die 19.IX.1650, quo die simul in familiam Pamphili assumptus fuit, ut parens Olimpiae Maidalchini. Obiit 21.XII.1663. - L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV, I, p. 32; P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 29.

³⁰⁰ Petrus Parthenius Rotošynskyj (1648-1670). - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 359-361, ubi hac de re plura et minuta habentur.

442.

Roma, 5 . III . 1652.

Remittitur ad S. Officium petitio P. Jelec pro erectione Oratorii S. Philippi Nerei in confinibus Lithuaniae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 21, fol. 26v, nr. 25.

CONG. GEN. — Die 5 Martii 1652 (f. 20).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide Coram SS.mo D. N. Innocentio Xmo in Palatio Quirinali, in qua interfuerunt Emin.mi et R.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Spada, Cornelius, Ginettus, Pallotus, Cesium, Cecchinus, Ludovisius, Sabellus, Pamphilius, Trivultius, et Maidalchinus, nec non RR. PP. DD. Manfronius pro prima vice, Lanuvius et Albitius.

Referente Emin.mo D. Cardinali Maidalchino litteras R. P. D. Episcopi Wilnensis, scribentis in confinibus Lithuaniae velle P. Ignatium Jelech,³⁰¹ e Soc. Jesu, erigere Oratorium, seu Congregationem sacerdotum saecularium, sub regulis, et Constitutionibus S. Philippi Nerei, cum conditione tamen ut possint ibi iidem sacerdotes Officia divina, caerimonias ecclesiasticas ritu romano celebrare, sed lingua slava, uti in illis partibus magis usitata, offerendo propriis sumptibus dictum Oratorium, ecclesiam, et domum fabricare, nec non expensas, et alimenta praedictis sacerdotibus praestare, S. D. N. dixit esse de hoc negotio mature agendum in Sac. Congregatione Sancti Officii.

443.

Roma, 5 . III . 1652.

Pro confirmatione Episcopi Munkacsensis Parthenii.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 21, fol. 26, nr. 22.
A. HODINKA, *op. cit.*, I, p. 165, nr. 123.

Mart. 5.

Referente eodem (Pamphilio) litteras R. P. D. Archiep. Strigoniensis petentis confirmationem Petri Parthenii in Episcopum Munkacsensem in confinibus Ungariae a sacerdotibus et populo ruthenis electi et ab alio Coepiscopo schismatico consecrati, et maxime quod idem Petrus cum 400 sacerdotibus et maiori parte dicti populi catholicam fidem profiteri et ad S. Sedis Apostolicae Romanae obedientiam venire intendat et promittat, S. D. N. dixit negotium esse remittendum pro expeditione ad S. Congr. S. Officii.

444.

Roma, 18 . III . 1652.

Metropolita Kioviensis petit indulgentiam plenariam Jubilaei pro sua Metropolia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 21, fol. 36rv, nr. 25.

CONG. GEN. — Die 18 Martii 1652 (f. 31).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem S. C. in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus,

³⁰¹ Cfr. supra, nr. 438, nota 295, et nr. 439.

Ginnettus, Pallottus, Ludovisius, Sabellius, Pamphylus, Ghisius, et Trivultius, reliquis legitime impeditis; fuerunt etiam RR. PP. DD. Manfronius, et Lanuvius, etc.

Proponente Emin.mo D. Cardinali Moidalchino lib. supplicem Metropolitae Russiae eiusque Provinciae Episcoporum, pet. ut Sac. Congregatio eis obtinere dignetur a S.mo D. N. indulgentiam plenariam pro eorum (f. 36v) Dioecibus, post annum S.um Jubilaei concedi solitam, Em.mi PP. dixerunt esse agendum cum R. P. D. Caetano, S. D. N. Br. Secretario, ut a S.mo nomine S. C. ad favorem Oratorum preces pro gratia obtinenda offerat, ac Breve in forma solita expedire dignetur.

445.

Roma, 6 . V . 1652.

De concessione Coadiutoris Metropolitae Kioviensi S. Congregatio decrevit prout anno 1643 factum fuit.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 21, fol. 53rv, nr. 21.

CONG. GEN. — Die 6 Maii 1652 (f. 47).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in loco solito etc., in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Cornelius, Ginnettus, Cecchinus, Ludovisius, Sabellius, Pamphylus, Ghisius, Trivultius, et Ursinus, nec non R. P. D. Manphronius.

Proponente Emin.mo D. Cardinali Ursino³⁰² libellum supplicem Metropolitae Russiae, petentis licentiam sibi eligendi Coadiutorem cum futura successione, prout alias Sac. Congregatio ei impartiri dignata est cum beneplacito S. D. N., Em.mi Patres, memores quod de mense septembris anni 1643 fuisse, annuente Summo Pontifice Urbano 8, sanctae memoriae, data facultas Oratori convocandi Synodum Provinciale, ut ibi, consensientibus Archiepiscopis, et Abbatibus (f. 53v) rutenis unitis, eligeretur aliquis Coadiutor, decreverunt esse idem nunc exequendum, et observandum, et non alias, aliter, aut alio modo.

446.

Roma, 6 . V . 1652.

De erectione Episcopatus in Taurica Chersonensi a Palatino Cernyhoviensi Kalinowski.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 21, fol. 53v, nr. 22.

Maii 6.

Proponente eodem libellum supplicem D. Martini Kalinowschij, Palatini Cerniehoviensis, Ducis Campestris exercituum Regni Poloniae, petentis, ut Sac. Congreg. dignetur impetrare licentiam a Summo Pontifice, ut possit erigere, et dotare Ecclesiam in Taurica Chersonensi ibique erigere ser. serv. Episcopatum cum dote annua scutorum 300, reservata sibi, et successoribus suis propositione personarum ad dictum Episcopatum cum approbatione Sac. Congregationis de Propaganda Fide etc., Em.mi PPres dixerunt non consuevisse Sedem Apostolicam Ecclesias Episcopales Juspatronatus cuiuscumque Dominis erigere, sed hoc privilegium tamen fuisse aliquoties concessum Regibus, et Magnis Principibus.

³⁰² Cardinalis Virginius Orsini romanus, creatus Cardinalis sub Urbano VIII, die 16.XII.1641. Obiit 21.VIII.1676 Romae. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 716; P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 25.

447.

Roma, 18 . VI . 1652.

S. Congregatio sollicitat missionem P. Paulini Dembskyj.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 21, fol. 65v, nr. 12.

CONG. GEN. - Die 18 Junii 1652 (f. 62).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in qua interfuerunt decem Em.mi et RR.mi DD. Cardinales, videlicet: Cornelius, Pallottus, Brancatius, Cecchinus, Ludovisius, Pamphylus, Ghisius, Trivultius, Ursinus, et Moidalchinus, nec non R. P. D. Manphronius.

Referente eodem³⁰³ litteras Fratris Paulini Demschij, Ordinis S. Basilii, Missionarii Apostolici, scribentis necessitates speciales populorum Provinciae Albaniae, ad quorum instantiam Sac. Congregationi proponit pro Ecclesia Caviensi in dicta Provincia Fratrem Gabrielem Grenum, Ordinis Min. Observ. S. Francisci, inde oriundum, Sac. Congregatio dixit esse rescribendum quod suis loco, et tempore praedictis necessitatibus opportune providere curabit, et interim dixit esse monendum eundem Fratrem Paulinum, ut ad missionem sibi praescriptam quam primum eat, pro cuius fine ab eadem Sac. Congregatione fuit iam ab aliquibus annis Missionarius declaratus.³⁰⁴

448.

Roma, 28 . IV . 1653.

De inclinatione Patriarchae de Pecs ad Unionem cum S. R. E., prout refert P. Paulinus Dembskyj.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 22, fol. 54rv, nr. 4.

CONG. GEN. — Die 28 Aprilis 1653 (f. 52).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Cornelius, Ginnettus, Pallottus, Caesius, Ludovisius, Pamphylus, Ghisius, Trivultius, Ursinus, et Moidalchinus, nec non RR. PP. DD. Manfronius, et Lanuvius.

Referente eodem³⁰⁵ litteras Fratris Paulini Demschij, Ord. S. Basilii, Missionarii Apostolici in Servia et Bulgaria, scribentis Patriarcham de Pech, ritus graeci, Servianum, velle se uniri Sanctae Matri Ecclesiae ac propterea velle mittere ad Urbem unum ex eius Metropolitae, ut dictam Unionem suo nomine perficiat, ac aliquod subsidium a Sancta Sede Apostolica petat ad erigendum unum Seminarium in eius Dioecesi, in qua paenitus sunt extintae non solum litterae latinae, verum etiam propriae Servianae; Ideo petenti a S. Congregatione votum circa hanc missionem, et an tali casu liceat ipsi Missionario associare dictum Metropolitam, qui aliam (f. 54v) linguam non callet quam propriam, Sac. Congregatio respondit, esse de hoc agendum cum S. D. N. in prima congregatione coram S. Sua. Votum tamen Emorum Patrum esse affirmativum.³⁰⁶

³⁰³ Card. Cornelio.

³⁰⁴ Cfr. supra, nr. 434, nota 293.

³⁰⁵ Card. Barberini Antonius (iunior), S.C. de Prop. Fide Praefectus.

³⁰⁶ Cfr. supra, nr. 446, nota 304, et nr. 437, nr. 293.

449.

Roma, 28 . IV . 1653.

*Petitio pro dispensatione a bigamia pro sacerdote Michaelae Pociey.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 22, fol. 58v, nr. 15.

Apr. 28.

Proponente D. Cardinali Ursino libellum supplicem Michaelis Pociey, ritus graeci cum S. R. E. uniti, Ord. Sancti Basilii, petentis dispensationem super bigamia, eo quod duxerit in uxorem mulierem viduam, quae iam est defuncta, ut hoc non obstante possit Sacros Ordines suscipere, S. Congregatio iussit adiri S. Officium.

450.

Roma, 28 . VII . 1653.

*Petitio missio pro P. Adamo Terleckyj et conceditur cum viatico.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 22, fol. 94, nr. 12.

CONG. GEN. - Die 28 Iulii 1653 (f. 92).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi, et Rev.mi DD.ni Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ginettus, Pallottus, Caraffa, Pamphylus, Ghisius, Trivultius, et Ursinus, necnon RR. PP. DD. Manfronius, et Lanuvius.

Proponente eodem³⁰⁷ libellum supplicem Adami Terlecki³⁰⁸ Rutheni, Collegii Graecorum de Urbe Alumni, petentis ut Sac. Congregatio ipsum declarare dignetur Missionarium Apostolicum ad Russiam, ut iuramento praestito de inseruendo eidem Sacrae Congregationi satisfacere possit, perfectis iam studiis sacrarum literarum, et Ordine sacerdotali iam decorato, Eminentissimi Patres, optimis de Oratore habitis testimoniis, eundem Missionarium ad quinquennium declararunt, et pro facultatibus iusserunt adiri Sanctum Officium, eidem concedendo pro singulari gratia, et favore scuta viginti quinque pro viatico.

451.

Roma, 2 . VI . 1654.

*Conceditur subsidium pro erectione Scholae pro Servianis, qua de re curare debet P. Paulinus Dembskyj, Missionarius.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 23, fol. 51, nr. 14.³⁰⁷ Card. Ursino (Orsini).³⁰⁸ Adamus Terleckyj, filius Alexandri et Annae Volaticka; patria Chelmenensis; ingr. in Collegium die 9 Martii 1644, aetate 20 annorum; ordinatus in minoribus die 18.1.1653, in subd. et diac. 19.1.1653, et in praesbyt. 2.II.1653. Discessit e Collegio absolutis omnibus studiis philosophicis et theologis. In Patriam reversus ingressus est Ordinem Basilianorum (cfr. *Chron. Collegii*, fol. 17v-18). Anno 1662 nominatus est coadiutor Episcopi Peremyliensis (1662-1665), cui in Sede successit (1665-1669). Multa hac in Sede a Schismaticis peressus, obiit exul in monasterio Dermanensi die 28.XII.1669. - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 346-7.

CONG. GEN. - Die 2 Iunii 1654 (f. 48).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales, infrascripti, videlicet: Antonius Praefectus, Caesius, Ludovisius, Ghisius, Trivultius, Ursinus, Costagutus, pro prima vice, Moidalchinus, et Azzolinus, etiam pro prima vice, necnon RR. PP. DD. Monfronius, Lanuvius, et Baranzonus.

Proponente eodem³⁰⁹ libellum supplicem porrectum pro parte praelatorum et Cleri Serviani, et Bulgarici, petentis aliquod subsidium ad manutenendum unum Seminarium, vel ad nimis unam Scholam in servitium iuventutis Servianae, Emin.mi Patres in beneficium Nationis Servianae centum scuta annua ad triennium decreverunt esse solvenda D. Paulino Demski, sacerdoti ruteno catholico, et Missionario Apostolico, ad manutenendam unam Scholam in confinibus Serviae, et Albaniae cum consilio, et voto Abbatis monasterii Moracensis etc. Et interim scuta decem pro quolibet ex monachis procuratoribus qui Curiam petierunt, pro una vice tantum, in eorum subsidium decreverunt.

452.

Roma, 2 . VI . 1654.

*Petitio Paulini Dembskyj pro receptione Alumni Serviani in Collegio de Prop. Fide.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 23, fol. 51, nr. 15.

Jun. 2.

Proponente eodem libellum supplicem F. Paulini Demski, Missionarii Apostolici in Servia, petentis ut Sac. Congregatio inter Alumnos Collegii de Propaganda Fide adscribere dignetur Juvenem Servianum Romam ab ipso Oratore conductum, ut ibi studiis literarum incumbat ad eius Patris sublevamen, et servitium, Emin.mi Patres petitioni benigne annuentes decreverunt Juvenem praedictum Servianum ser. in Collegio de Propaganda Fide educandum, et inter Alumnos adscribendum.

453.

Roma, 30 . VI . 1654.

*Petitio P. Paulini Dembskyj pro subsidio pro ecclesiis Serviae.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 23, fol. 59v, nr. 6.

CONG. GEN. - Die 30 Iunii 1654 (f. 58).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in loco solito etc., in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ginettus, Antonius, Pallottus, Facchinettus, Ludovisius, Ghisius, Trivultius, Ursinus, Estensis, Costagutus, Moidalchinus, et Azzolinus, necnon R. P. D. Baranzonus.

Proponente Eminentissimo Domino Cardinali Antonio,³¹⁰ S. C. Praefecto, libellum supplicem D. Paulini Demski, Ord. Sancti Basilii graeci ritus, et Missionarii in

³⁰⁹ Card. Antonio Barberini.³¹⁰ Cardinalis Antonius Barberini (iunior), nepos Urbani VIII, filius Caroli Barberini; creatus Cardinalis die 7.11.1628, aetate 20 annorum. Legationibus ad exteros saepe fungebatur

Serviam, et Bulgariam, petentis aliquod subsidium pro ecclesiis Provinciae Serviae, quae omnibus supplicibus ecclesiasticis, et praecipue ad sacrificium Missae necessariis paenitus carent, Sac. Congregatio quatuor calices ex aere inaurato pro quatuor principalioribus dictae Servianae provinciae servitio decrevit, ac per praedictum D. Paulinum esse mittendos mandavit.

454.

Roma, 30 . VI . 1654.

P. Paulinus Dembskyj petit recommendationem apud Ducem Venetiarum, ut possit libere scholam erigere in confinibus Albaniae, prope Serviam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 23, fol. 59v-60, nr. 8.

Jun. 30.

Proponente eodem³¹¹ libellum supplicem D. Paulini Demski, Ord. Sancti Basilii graeci ritus, et Missionarii Apostolici in Serviam, petentis comendari apud Serenissimam Reipublicam Venetiarum mediante Oratore eiusdem, ut magis tute possit in confinibus Albaniae, prope Serviam, Scholam pro iuventute Serviana libere aperire, placuit Emin. mis Patribus petitioni annuere etc., ac (f. 60) Secretario commiserunt, ut dictum Dominum Oratorem alloquatur.

455.

Roma, 30 . VI . 1654.

Petuntur litterae commendatitiae pro P. Paulino Dembskyj.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 23, fol. 60, nr. 9.

Jun. 30.

Proponente eodem libellum supplicem eiusdem D. Paulini supradicti, petentis litteras commendatitias S. Congregationis ad Episcopos Servianos catholicos in eius favorem, Eminentissimi Patres petitioni benigne annuentes dixerunt, esse scribendum ad RR. PP. DD. Archiepiscopum Ocridentem et Episcopum Priserensem.

456.

Roma, 30 . VI . 1654.

Prorogatio missionis P. Paulini Dembskyj in Serviam.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 23, fol. 60rv, nr. 10.

in primis annis sui cardinalatus. Anno 1633 missus est ut Legatus Avenionensis, anno vero 1638 nominatus est Camerarius (Camerlengo) Urbani VIII. Artibus multum favebat. Ab anno 1631 Praefectus S. C. de Prop. Fide (usque ad an. 1671), quo in officio saepe substituebatur, ut ex. gr. ab Antonio Barberini (seniore) annis 1631-1646. Primis annis Innocentii X aufugere debuit in Galliam sub protectionem Card. Mazarini, ob « persecutionem familiae Barberiniana ». Sed hoc anno iterum Romae comparuit. Obiit anno 1671. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, passim; et vol. XIV, 1, XIV, 2; *Enciclopedia Cattolica*, vol. II, col. 825-827, Città del Vaticano 1949; *Encyklop. Powszechna*, vol. 2, p. 876.

³¹¹ Card. Antonio Barberini. - Cfr. supra, nota 310.

Jun. 30.

Proponente eodem libellum supplicem D. Paulini Demski supradicti, petentis prorogationem suae Missionis in Servia, cum sit iam transactum praescriptum triennium, Sac. Congregatio Oratori, tamquam de religione catholica optime merito, in suo officio bene, et recte functo Missionem praedictam ad Patriarchatum de Pech in Serviam ad aliud triennium prorogavit cum solitis privilegiis, iuribus, et facultatibus, etc.

457.

Roma, 30 . VI . 1654.

Petitur aliquod subsidium pro monasterio Moracensi in Servia, a Turcis in summam miseriam detruso.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 23, fol. 60v, nr. 12.

Jun. 30.

Proponente eodem libellum supplicem, porrectum a D. Paulino Demski supradicto, Missionario Apostolico in Serviam, pro monasterio Moracensi in eadem Provincia a Turcarum tyrannide ad extremam necessitatem redacto, petente proinde ut Congregatio aliquod subsidium in eius sublevamen erogare dignetur, Em. mi Patres fuerunt in voto, esse ea de re agendum in prima Congregatione coram S. mo D. N., ut, si Sanctitati Suae videbitur, ad allitendos Servianos ad Unionem aliquod subsidium dicto monasterio erogetur.

458.

Roma, 3 . VIII . 1654.

Prorogatio missionis in Serviam pro P. Paulino Dembskyj; prorogatur ad aliud triennium cum solitis facultatibus.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 23, fol. 79v, nr. 13.

CONG. GEN. - Die 3 Augusti 1654 (f. 77).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Emin. mi et Rev. mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ginettus, Antonius, Pallottus, Bichius, Caeva, Ludovisius, Ghisius, Albitius, Trivultius, Ursinus, Estensis, Moidalchinus, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronius, et Lanuvius.

Proponente Emin. mo Cardinali praedicto³¹² libellum supplicem Patris Paulini Demski, Rutheni, Ord. Sancti Basilii et Missionario Apostolico in Servia, et Bulgaria, petentis ut possit continuare in eius Missione ad aliud triennium cum solitis pensione, facultatibus, et privilegiis, Sac. Congregatio, stante fidei Oratoris in Missione praestito servitio, petitioni ipsius benigne annuens ad aliud triennium eandem Missionem, cum solitis facultatibus, privilegiis, et pensione prorogavit.

³¹² Card. Antonio Barberini, Praefecto S. C. de Prop. Fide.

459.

Roma, 24 . VIII . 1654.

Conceditur subsidium pro supradictis missionariis in Serviam, ad procurandas devotiones.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 23, fol. 87v, nr. 11.

CONG. GEN. - Die 24 Augusti 1654 (f. 85).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ginettus, Antonius, Pallotta, Bichius, Facchinettus, Caeva, Ludovisius, Ghisius, Albitius, Trivultius, Ursinus, Estensis, Costagutus, Maidalchinus, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronius, et Lanuvius.

Proponente eodem Emin.mo D. Cardinali Albitio³¹³ libellum supplicem Paulini Demski, Missionarii Apostolici in Servia et Bulgaria, et Abbatis Maximi Moracensis, petentium aliquas devotiones, ut possint Catholicis patriae satisfacere, Sac. Congregatio Oratoribus concessit scuta decem pro quolibet, ad emendas medalias, rosaria, aliasque similes devotiones.

460.

Roma, 16 . XI . 1654.

Nova instantia Archiep. Strigoniensis pro confirmatione Parthenii in Episcopum Munkaciensem.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 23, fol. 112, nr. 1.

CONG. GEN. - Die 16 Novembris 1654 (f. 112).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide, in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Ginettus, Antonius, Bichius, Facchinettus, Caeva, Ludovisius, Ghisius, Albitius, Trivultius, Ursinus, Estensis, Sfortia, et Azzolinus, necnon R. P. D. Lanuvius.

Proponente Em.mo Domino Cardinali Facchinetto³¹⁴ libellum supplicem R. P. D. Archiepiscopi Strigoniensis, petentis iterum facultatem absolvendi, et reconciliandi, ac confirmandi Partenium, Episcopum Ruthenorum in montibus Carpatiis, iam consecratum ab Archiepiscopo schismatico,³¹⁵ et id pro salute animarum, in maximo numero nuper ad fidem conversarum, Eminentissimi Patres, scientes hoc negotium examinari in Sancto Officio, ad eadem Congregationem etiam petitionem praedictam remiserunt.

³¹³ Card. Franciscus Albizzi; creatus ab Innocentio X, die 2.III.1654. Erat vir insignis, et Assessor S. Inquisitionis sub Urbano VIII, postea sub Innocentio X Secretarius Congregationis de Jansenismo. Obiit Romae 5.X.1684. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV, 1, p. 145, 283 etc; P. GAUCHAT, *op. cit.* IV, p. 31.

³¹⁴ Card. Caesar Facchinetti. Creatus die 13.VII.1643 sub Urbano VIII, ex Nuntiatura Hispaniae. Archiepiscopus Tamiathianus (Damiette). Obiit 31.I.1682. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 717 sq; P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 25.

³¹⁵ Cfr. supra, nr. 440, nota 297, 298, et nr. 441, nota 300.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
R o m a e

ALEXANDER P.P. VII

(7 . 18 . IV . 1655 — 22 . V . 1667)

senensis
(Fabius Chigi)

ACTA S. C. de PROPAGANDA FIDE TEMPORE ALEXANDRI VII
(1655 - 1667)

461.

Roma, 21 . VI . 1655.

Conceditur Episcopis ruthenis gratia imprimendi libros liturgicos in typographia S. Congregationis, et sumptibus eiusdem Congregationis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 24, fol. 29v, nr. 13.

CONG. GEN. - Die 21 Iunii 1655 (f. 27).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Capponius, Bichius, Brancatius, Cesius, Grimaldus, Facchinettus, Cecchinus, Sabellus, Albitius, Ursinus, Costagutus, Joannes Carolus Medices, Sfortia, Vidman, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronius et Lanuvius.

Proponente eodem³¹⁶ libellum supplicem, porrectum pro parte Metropolitanae Russiae, eiusque cleri cum Sancta Ecclesia Romana uniti, petentium impressionem Missalium, et Breviariorum ruthenorum in ritu catholico, Eminentissimi Patres affirmative respondendo decreverunt Missalia, et Breviaria ruthena ritus catholici esse imprimenda, ser. ser., in Typographia Sac. Congregationis, expensis eiusdem.

462.

Roma, 12 . VII . 1655.

Nova subdivisio provinciarum orbis terrarum inter Cardinales S. C. de Prop. Fide.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 24, fol. 37-38, nr. 9.

CONG. GEN. - Die 12 Iulii 1655 (f. 35).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Capponius, Pallottus, Brancatius, Caesius, Facchinettus, Grimaldus, Cecchinus, Ludovisius, Sabellus, Albitius, Ursinus, Costagutus, Vidman, et Azzolinus, nec non R. P. D. Monfronus.

Fuit proposita ab eodem Emin.mo nova divisio Provinciarum Orbis, videlicet:

1. Italia cum Insulis adiacentibus, Cypro, et Genova: Sub Emin.mis DD. Mediceo, et Ludovisio.

³¹⁶ Card. Ursino (Orsini).

2. Gallia Universa, Comitatus Avenionen., et pars illa Regni Navarrae, quae Regi Francorum subiicitur, cum Lotaringia: Sub Emin.mis DD. Bichio, et Grimaldo.

3. Hispania cum Insulis adiacentibus, India Occidentalis cum Insulis Philippinis, et Moluchis, et universis Insulis Maris Oceani Navigationis Hispanorum: Sub Emin.mis DD. Caesio, et Sfortia.

4. Lusitania, Regio Brasiliensis, Congus, Monopotapa, et reliquae Regiones Africae Occidentalis, cum India Orientali, et universis Maris Oceani Oris, et Insulis Navigationis Lusitanorum: Sub Emin.mis DD. Cardd. Pallotto, et Ursino.

5. Belgium universum, in quo et Provinciae Foederatae, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Holsatia, et Norvegia cum Irlandia, caeterisque Insulis Septentrionalibus: Sub Emin.mis DD. Albitio, et Costaguto.

(f. 37v) 6. Tractus Rheni ab Alsatia usque ad Inferiorem Germaniam, Palatinatus, Franconia, Hassia, Vuestphalia; Ducatus Brunsvicensis, Saxonia Superior, et Inferior et Marchia Brandeburgensis: Sub Emin.mis DD. Capponio, et Maildalchino.

7. Germania reliqua, Austria, Bavaria, Boemia, Silesia, Moravia, Carinthia, Stiria, Hungaria, Transilvania, Vallachia, et Moldavia: Sub Emin.mis DD. Brancatio, et Azzolino.

8. Polonia universa, Russia, Podolia, Lituania, Livonia, Prussia, Pomerania, Svecia, Gothia, Finlandia, Ducatus Severiensis, Palatinatus Smolenski, et Moscovia: Sub Emin.mis DD. Sabello, et Astallio.

9. Helvetia, Vallenses, Rhetia universa, Alsatia universa, Suntgovia, Brisgovia, Comitatus Burgundiae, Ducatus Wirtembergensis, et Svevia: Sub Emin.mis DD. Ginnetto, et Trivultio.

10. Goritia, Craina, utraque Carniola, Histria, Dalmatia, cum Insulis suis, Slavonia, Croatia, Bossnia, Albania, Insulae Corcyrae, Zacinthos, Caephaloniae, Cretae et Tinae: Sub Emin.mis DD. Estensi, et Vidman.

(f. 38) 11. Graecia universa cum Insulis Maris Aegei, Asia Minor seu Natolia, Tracia, seu Romania, Bulgaria, Rascia, Servia, Sagora, Syrfia apud Pontum Euxinum, Palus Meotis, vulgo Mare delle Zabacche, ubi Caffa olim caelebre Emporium, ibique hodie quobue reliquiae Christianorum ritus latini degunt; Tartaria, et Scythia universa: Sub Emin.mis DD. Antonio, et Cecchino.

12. Syria, Palestrina, Mons libanus cum Maronitis, utraque Armenia, Mesopotamia, Persia cum sinu persico usque ad Indiam, Albani, seu Iberi vulgo Georgiani inter Pontum Euximum, et Mare Caspium, Arabia, et Cyprus Insula: Sub Emin.mis DD. Barberino, et Duratio.

13. Aegiptus ubi Cophti, Fessa, Marocco, Mauritania, Numidia, et Barbaria reliqua, Aethiopia, Abyssinorum regio, Nigrita, et Africa reliqua: Sub Emin.mis Facchetto, et Joanne Carolo Mediceo.

14. China, seu Sinae, Japonia, Tunchinum, Cochinchina, aliaque Regna adiacentia, cum Insulis Corea, Zeilon: Sub Emin.mis DD. Spada, et Gabriellio.

463.

Roma, 3 . VIII . 1655.

Admittitur ad Collegium de Prop. Fide Andreas Wasowicz.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 24, fol. 43, nr. 14.

CONG. GEN. - Die Martis 3 Augusti 1655 (f. 41).

Fuit Congregatio generalis in Collegio de Propaganda Fide in loco solito, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Bar-

berinus, Capponius, Antonius, Pallottus, Brancatius, Bichius, Caesius, Grimaldus, Cecchinus, Ludovisius, Sabellius, Astallius, Albitius, Ursinus, Joannes Carolus Medices, Costagutus, Vidman, Sfortia, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronus, Lanuvius, et Baranzonus.

Proponente eodem³¹⁷ libellum supplicem Andreae Wasowich, Rutheni, petentis locum inter Alumnos Collegii de Propaganda Fide, Sac. Congregatio, stante mandato S.mi Domini Nostri, Oratorem inter Alumnos dicti Collegii connumerari mandavit.

464.

Roma, 5 . X . 1655.

Iterum de impressione librorum liturgicorum pro Ruthenis, sumptibus S. Congregationis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 24, fol. 67, nr. 16.

CONG. GEN. - Die 5 Octobris, 1655 (f. 64).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in loco solito etc., in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD.ni Cardinales infrascripti, videlicet: Antonius, Pallottus, Brancatius, Caesius, Facchinettus, Cecchinus, Ludovisius, Sabellus, Ursinus, Costagutus, Joannes Carolus Medices, Sfortia, Vidman, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronus, et Lanuvius.

Proponente Eminentissimo Domino Cardinali Brancatio, Sac. Congregatio decrevit esse in eius Typographia imprimendum Breviarium, et Missale ad usum Nationis ruthenae, cum Sancta Sede Apostolica unitae, ser. tamen ser., et praevia revisione, et correctione utriusque, expensis ipsius Sac. Congregationis.

465.

Roma, 29 . I . 1657.

De prorogatione privilegii altarium privilegiatorum pro monachis Basilianis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 24, fol. 75, nr. 12.

CONG. GEN. - Die 26 Octobris 1655 (f. 72).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, in qua interfuerunt Emin.mi DD.ni Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Pallottus, Bichius, Caesius, Ludovisius, Astallius, Albitius, Ursinus, Vidman, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronus, et Lanuvius.

Ad relationem Emin.mi Domini Cardinalis Astallii, Sacra Congregatio fuit in voto posse SS.mum D. N. petitioni Monachorum ruthenorum Sancti Basilii benigne annuere circa prorogationem Altarium Privilegiatorum pro defunctis, cum iam elapsum sit decennium ultimae concessionis eiusdem Privilegii, propterea iussit adiri R. P. D. Gualterium.

³¹⁷ Card. Ludovisi. Nicolaus Albergati-Ludovisi, creatus 6.III.1645. Obiit Romae 9.VIII.1687. - Cfr. P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 28.

466.

Roma, 7 . III . 1656.

Petitur licentia imponendi censum super bonis ecclesiae SS. Sergii et Bacchi ad exstinguenda debita.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 25, fol. 27, nr. 12.

CONG. - Die 7 Martii 1656 (f. 25).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sac. Congregationis, interfuerunt Emin.mi et RR.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet Barberinus, Cecchinus, Albitius, Sabellius, Astallius, Ursinus, Joannes Carolus Medices, Sfortia, Vidman, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronus, et Lanuvius.

Proponente Em.mo Domino Cardinali Sabellio libellum supplicem Prioris³¹⁸ SS.um Sergii, et Bacchi de Urbe, petentis licentiam imponendi censum trecentorum scutorum super bonis dictae ecclesiae ad effectum extinguendi debita, contracta in eius servitium, cum obligatione illum redimendi spatio quatuor annorum, Sacra Congregatio, re mature discussa, et bene examinata, fuit in voto esse rogandum S. D. N., ut Em.mo Domino Cardinali Vicario, vel Emin.mo Cardinali Protectori committat visitationem localem, et personalem respective dictae ecclesiae, et Prioris, ut videri possit, quomodo sint contracta asserta debita, etc.

467.

Roma, 4 . IV . 1656

Substituitur in locum defuncti P. Paulini Dembskyj Dominicus Bubich, e Buda, ut Missionarius in Servia.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 25, fol. 38v-39, nr. 20.

CONG. - Die 4 Aprilis 1656 (f. 35).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Eminentissimi et RR.mi DD.ni Cardinales infrascripti, videlicet Capponius, Ludovisius, Sabellius, Astallius, Costagutus, Joannes Carolus Medices, Vidman, et Azzolinus, necnon R. P. D. Lanuvius.

Proponente Emin.mo Domino Cardinali Vidman³¹⁹ libellum supplicem Dominici Bubich, Ludimagistri, et Parochi civitatis Budae, petentis ut Sac. Congregatio mandet, ut ei solvantur pensiones sibi debitas, et non solutas, Sacra Congregatio stantibus relationibus alias, et ad praesens habitis de serv. Oratoris optime praestito in officii Gymnasiarchae, Missionarii, et Parochi in civitate Buduae, ac aliis virtutibus, et qualitatibus ipsius, non solum decrevit esse eidem solvendas pensiones debitas, sed ipsum Missionarium Apostolicum, et Ludimagistrum in Servia loco D. Paulini (f. 39) Demski, ultimo praedefuncti, cum iisdem emolumentis, privilegiis, et facultatibus declaravit

³¹⁸ Superior ecclesiae et hospitii SS. Sergii et Bacchi anno 1656 erat Marcanus Bilozor, secundum elenchum S. C. de Prop. Fide, Cfr. ex. gr. D. BŁAŻEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitanorum Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943, p. 189-190.

³¹⁹ Card. Christophorus Vidmann, ex Venetia, creatus Cardinalis die 7.X.1647. Obiit 30.IX.1660. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV, 1, p. 143; P. GAUCHAT, *op. cit.* IV, p. 43.

468.

Roma, 4 . IV . 1656.

Deputatur Dominicus Bubich ad recuperandam suppellectilem defuncti P. Paulini Dembskyj.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 25, fol. 41, nr. 32.

Apr. 4.

Ad relationem eiusdem,³²⁰ Sac. Congregatio decrevit esse dandam facultatem Dominico Bubich, Missionario Apostolico, ad recuperandas suppellectiles sacras, et calices, ac paramenta sacerdotalia, etiam graeci ritus, relicta a quondam P. Paulo Demski, Missionario Apostolico, ut omnia ad nutum, et placitum Sac. Congregationis conservet, etc.

469.

Roma, 7 . V . 1657.

Relatio Dominici Bubich de sua missione nec non mentionem facit de P. Paulino Dembskyj, qui in hac missione obiit anno 1656.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 26, fol. 17v-19, nr. 28.

CONG. - Die 7 Maii 1657 (f. 1).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi Domini Cardinales: Barberinus, Ginettus, Capponius, Bragadinus, Albitius, Meltius pro prima vice,³²¹ Ursinus, Vidman, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronus, Lanuvius, Albericius, Secretarius similiter pro prima vice,³²² et Vizzanus, Assessor Sancti Offitii.

Nel mese d'Aprile del 56. fu dichiarato Missionario Apostolico, e Maestro di Scuola ne confini di Servia, et Albania D. Domenico Bubich di Budua con provisione di cento cinquanta scudi annui, essendogli fatta pagare un annata anticipata.³²³ Questo se ne tornò al suo Canonicato in Budua, e mai s'è curato d'andare a servire in luogo prescrittoli come si può ricavare da una lettera di quel Vicario Apostolico scritta al Massari³²⁴ à 6 Ottobre, e dalla sua medesima sotto la data delli 10 Marzo prossimo passato da Budua, con la quale (f. 18) dice d'haver ordine ultimamente dal Patriarca di Pech di fermarsi in quel confine per non apportarli danno col portarsi avanti nelle correnti congiunture etc. Onde egli s'impieghi in servizio spirituale d'un buon numero de Serviani, che colà si sono ritirati per le invasioni quotidiane de Turchi.

Rappresenta la molta ignoranza di detti Serviani nelle cose della fede; la mala qualità de Preti, la facilità de divorzii per ogni minimo disgusto fra coniugi.

³²⁰ Cardinalis Christophori Vidmann.

³²¹ Cardinalis Camillus Melzi, antea Nuntius Viennensis. Patria Mediolanensis. Archiep. Capuanus, creatus Card. 9.IV.1657; obiit Romae 21.I.1659. - Cfr. P. GAUCHAT, IV, p. 33.

³²² Novus Secretarius S. C. de Prop. Fide erat Marius Alberici (1657-1664). - Cfr. G. PETROWICZ, *op. cit.*, p. 322.

³²³ Cfr. supra, nr. 466, et 467.

³²⁴ Dionysius Massari, ultimus Secretarius S. C. de Prop. Fide (1649-1657).

Che per le confessioni à Moribondi pretendono due scudi, e morendo senza confessione quattro.

Dice, che quell'Abbate Moracense, et altro Serviano, che furono condotti in Roma del 54 da quel Paolino Demski³²⁵ col supposto d'esser mandati dal Sinodo, e Patriarchi di Pech per rendere ubbidienza à Nostro Signore, venissero con Dispacci falsi, perchè loro non gli diedero altrimenti tal Commissione.

F. Paolino Demski, suo predecessore nella Scuola, lasciò alcuni calici, et altre (f. 19) supellettili sacre spettanti alla Sac. Congregazione, fu detto al detto Domenico, che le pigliasse in consegna, saria bene fargliene render conto.³²⁶

Rescriptum Sac. Cong.nis.

Nuncio, qui eum compellat ad satisfaciendum suo oneri, praefixo termino, vel ad restitutionem provisionis eidem anticipatae persolutae, et rationem exigat de praedictis vasis, et supellectilibus sacris; quo vero ad assertas necessitates populorum informet.

470.

Roma, 11 . VI . 1657.

Instatur enixe, ut provideatur de Metropolia Kioviensi, ob pericula ex hac vacatione imminente.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 26, fol. 101-102, nr. 25.

CONG. - Die 11 Iunii 1657 (f. 91).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide preparatoria pro alia habenda coram SS.mo, cui interfuerunt Emin.mi, et RR.mi Domini Cardinales: Barberinus, Spada, Ginettus, Brancatius, Bragadinus, Sfortia, Sabellus, Albitius, Chisius, Melatus, Rospigliosus, Ursinus, Costagutus, et Azzolinus; nec non RR. PP. DD. Monfronus, et Lanuvius, et primo retulit Secretarius.

Sin dall'ora, che seguì l'unione de Rutheni alla Chiesa Romana, che fu a tempo di Clemente 8, di san. mem., ha sempre procurato la Sede Apostolica, che al Metropolita della Russia si desse in vita un Coadiutore con futura successione per sfuggire il pericolo di dare un soggetto poco a proposito per l'unione, quando l'elezione si facesse in Sede vacante dal Sinodo de Vescovi rutheni, e così si è sempre costumato, per quanto ho potuto vedere, sin' ora; ma per li moti, e ribellione de Cosacchi scismatici (per quanto credo) è succeduto questa volta,³²⁷ che sia rimasta vacante quella Chiesa senza il Coadiutore, che li succedesse; et è già un anno, che stà così. Dalche non solo viene à vacillare la fede cattolica, tanto agitata in quelle Provincie dalle persecuzioni di quei Scismatici, ma se prima della Dieta, che sarà per farsi di breve non sarà provvista quella Christianità d'un buon Metropolita unito, è molto da temersi che i Schismatici potenti per gli aiuti de Cosacchi, Moscoviti, et altri Eretici, non estorchino à viva forza dal Re, e dal Senato un Metropolita scismatico (f. 102) per distruggere in un punto quanto con mille fatiche si è acquistato sin' ora.

³²⁵ Cfr. supra, nr. 450-458.

³²⁶ Cfr. nr. 467.

³²⁷ Post mortem Metropolitanae Antonii Sielava, qui obiit anno 1655 in monasterio Suprasliensi.

È stato perciò supplicata S. Santità à procurare con la sua autorità col Re e Grandi di quel Regno, che siegua questa elettione quanto prima, e che si commetta insieme al Nuntio,³²⁸ che unitamente con li Arcivescovi e Vescovi di quel Regno procuri di restaurare l'Ordine di S. Basilio Magno di molta conseguenza in quelle Parti.

Il Memoriale fu hier sera rimesso da N. Signore perchè si porti in Congregatione, e si dia poi la resolutione in Segreteria di Stato. Potrebbero darsi sopra questo negotio più notizie, ma per la confusione delle scritte in si poco tempo non è stato possibile.

Rescriptum.

Scribatur per Secretarium Status Nuncio Poloniae, ut apud Regem, ubi opus fuerit, urgeat, ut quamprimum provideatur de Metropolita catholico et zelanti.³²⁹

471.

Roma, 14 . VI . 1657.

Subdivisio orbis terrarum inter Cardinales S. C. de Prop. Fide.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 26, fol. 125-129, nr. 7.

CONG. - Die 14 Iunii 1657 (f. 111).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide coram S.mo in Palatio Quirinali, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi DD. Cardinales: Barberinus, Spada, Ginettus, Capponius, Brancatius, Bragadinus, Sabellus, Sfortia, Albizzius, Chisius, Meltius, Rospigliosus, Ursinus, Costagutus, et Azzolinus; necnon RR. PP. DD. Manfronus, Lanuvius, et Vizzanus.

Relationes Emin.mi Capponis.

Emin.mus Capponius, Congregationis Propraefectus, rogavit Sanctissimum, ut circa novam distributionem Provinciarum inter Cardinales Congregationis faciendam pro negotiis in ea referendis sua mandata dignaretur proferre.

Rescriptum.

Fiat distributio iuxta notulam a Sanctitate suamet facta, et traditam Secretario, quae est, ut sequitur.³³⁰

Spada, Facchinettus, Ludovisius, Sfortia.

Italia cum Insulis adiacentibus, Comitatus Avenionensis, Gallia Universa, pars illa Regni Navarrae, quae Regi Francorum subiicitur, et Lotaringia.

Meltius, Durazzius, Rospigliosus, Azzolinus.

Hispania cum Insulis adiacentibus, India Occidentalis, seu novus Orbis cum Insulis Philipinis et Molucchis, et universis Insulis maris Oceani, et Navigationis Hispanorum.

³²⁸ Nuntius Apostolicus Varsaviensis hoc tempore erat Archiepiscopus Leodiensis (Lodi), Petrus Vidoni (30.V.1652-16.VIII.1660), qui postea, a Rege Poloniae Joanne Casimiro recommendatus, creatus fuit Cardinalis die 5.IV.1660. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIV, 1, p. 405; *Encyklop. Powszechna*, vol. 26, pag. 197-201. Obiit Romae an. 1681. - Cfr. infra, nr. 492, nota 362; P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 34.

³²⁹ Cfr. de hac periodo opus P. JOANNIS PRASZKO, *De Ecclesia Ruthena Catholica sede metropolitana vacante 1655-665*, Romae, 1944.

³³⁰ Ut melius posteriores relationes in sessionibus S. C. de Prop. Fide intelligere possimus, utile fore duximus etiam hanc novam orbis terrarum subdivisionem adducere.

Pallottus, Ursinus, Estensis, Maidalchinus.

Lusitania, Regio Brasiliensis, Congo, Monopotapa, et reliquae regiones Africae Occidentalis, et universa Oceani Maris ora, et Insulae Navigationis Lusitanorum, India ultra Gangem, Arracan, Pegù cum reliquis Regionibus usque ad populos Laos, Cambodia, Tunchinum, Regnum Sinarum, Insulae Japoniae.

Capponius, Gabriellus, Albizius, Chisius.

Belgium universum, in quo et Provinciae Foederatae, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Holsatia, et Norvegia cum Islandia, caeterisque Insulis Septemtrionalibus, Tractus Rheni ab Alsatia usque ad inferiorem Germaniam, Palatinatus, Franconia, Hassia, Vuestphalia, Ducatus Brunsvicensis, Saxonia Superior, et Inferior, Marchia, Brandemburgia.

Meltius, Rosettus, Costagutus, Vidman (f. 127).

Germania reliqua, Austria, Bavaria, Bohemia, Silesia, Moravia, Carinthia, Stiria, Hungaria, Transilvania, Vallachia, Moldavia.

Barberinus, Brancatius, Astallus, Ursinus.

Polonia universa, Russia, Podolia, Lituania, Livonia, Prussia, Pomerania, Svecia, Gothia, Finlandia, Ducatus Severiensis, et Palatinatus Smolenski, et Moscovia.

Ginettus, Costagutus, Io. Carolus Grimaldus.

Helvetia, Vallensis, Rhetia Universa, Alsatia universa cum Suntgovia, et Brisgovia, Comitatus Burgundiae, Ducatus Virtembergensis, et Svevia.

Medices, Spada, Bragadinus, Rospigliosus.

Goritia, Craina, utraque Carniola, Histria, Dalmatia cum Insulis suis, Slavonia, Croatia, Bossnia, Albania, Insulae Corcyrae, Zacynthos, Cephalonia, Creta, et Sina.

Grecia universa cum Insulis Maris Aegei, Asia minor, seu Natolia, Thracia, seu Romania, Macedonia, Bulgaria, Rascia, Servia, Sagora, Syria apud Pontum Euxinum, Palus Meotis, vulgo mare delle Zabacche, ubi Caffa olim celebre emporium, ibique hodie quoque reliquiae Christianorum ritus latini degunt, Tartaria, et Scythia Universa.

Antonius, Sfortia, Astallus, Azzolinus.

Syria, Palestina, Mons Libanus cum Maronitis, utraque Armenia, Mesopotamia, Persia cum sinu Persico usque ad Indiam, Albani, seu Iberi, vulgo Georgiani, inter Pontum Euxinum, et Mare (f. 129) Caspium, Arabia.

Pallottus, Harrach, Sabellus, Albizius.

Aegyptus, ubi Copti, Fessa, Marocco, Mauritania, Numidia, et Barbaria reliqua, Aethiopia, Abyssinorum regio, Nigriceae, et Africa reliqua.

472.

Roma, 30 . VII . 1657.

Indagatur de fundatione ecclesiae et hospitii SS. Sergii et Bacchi.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 26, fol. 203, nr. 1.

CONG. — Die 30 Iulii 1657 (f. 203).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi Domini Cardinales: Ginettus, Brancatius, Bragadinus, Meltius, Rospigliosus, Albizius, Ursinus, Costagutus, et Azzolinus, necnon R. P. D. Lanuvius; et primo retulit in ea Secretarius.

Relationes Secretarii.

Lasciò il Signor Cardinal S. Honofrio³³¹ un legato annuo di scudi cento à i Padri Ruteni, e Pruteni, che habitano nella Chiesa, e Case di Santi Sergio, e Bacco in Roma, ma perche io hebbi relatione, che non vi stia altro, ch'un sol Monaco,³³² e vi faccia anco ridotti, e conservazioni con poca edificazione de convicini, soprasedei in spedirgliene il mandato col pretesto, che il legato è lasciato ad un Collegio, e non ad un solo, ricercandolo della cagione, perche non s'istituisca il Collegio, che non mi è stata mai assignata. Onde se ne attende il senso dell'EE. VV.

Rescriptum.

Cum Emin.mo Vicario, et videatur fundatio.

473.

Roma, 3 . XII . 1657.

Relatio de statu monachorum et monasteriorum Basilianorum post bella cosatica, cum petitione subsidii pro Alumnis, pro monasteriis et pro ipso Provinciali.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 26, fol. 576-577, nr. 7.

CONG. — Die 3 Xbris 1657 (f. 568).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi Domini Cardinales infrascripti videlicet Barberinus, Pallottus, Bragadinus, Ludovisius, Sfortia, Albizius, Vidman, Meltius, Costagutus, et Azzolinus, necnon R.di Patres Domini Lanuvius, et Vizzanus; in ea retulit primo Secretarius.

Il Provinciale de' Monaci Ruteni in Russia³³³ rappresenta la desolazione di tutti quei monasterii per le guerre, i beni usurpati, le Chiese, e conventi demoliti, i monaci parte ammazzati, e gl' altri ridotti a somma miseria, à segno che per la nudità non possono comparire, nè esser rimasto, che un sol monastero in Lituania con qualche numero de monaci, benchè senza entrate, che converrà anco abbandonarlo, se nella pace si stabilisse lo sfratto, come procurano i Scismatici dal Moscovita.³³⁴

Supplica provedersi à quest'essilio, che à loro si prepara, somministrarsi il Viatico à Chierici, o monaci, che vengono in Roma à i studii, o che si mandano altrove. E darsi à lui qualche sussidio in riguardo del servitio prestato sette anni con legger Rettorica in quel Seminario,³³⁵ due anni Filosofia, e Teologia morale, e finalmente raccomanda la Chiesa, e Residente de SS.ti Sergio e Bacco di Roma.

³³¹ Cardinalis Antonius Barberini (senior), frater Urbani VIII, monachus Capuccinus (1569-1646), creatus Cardinalis tit. S. Honuphrii die 7.X.1624. Pius, modestus, laboriosus, reformationi Religionum deditus, membrum assiduum Sacrarum Congregationum, et in specie S. C. de Prop. Fide, in qua saepe vices Praefecti supplebat. Obiit 11.X.1646. - Cfr. L. PASTOR, *op. cit.*, vol. XIII, p. 257, 260 sq.; *Enciclopedia Cattolica*, vol. II, col. 825-827; P. GAUCHAT, *op. cit.*, IV, p. 19.

³³² Ut videtur, agitur de Gregorio Bienkovskij. - Cfr. supra, nr. 433, nota 287.

³³³ P. Benedictus Ferleckyj. - Cfr. supra, nr. 435, nota 289, nr. 400, nota 265, et nr. 379, nota 248.

³³⁴ Cfr. J. PRASZKO, *op. cit.*, p. 29-30.

³³⁵ In Seminario Minscensi. - Minutiora cfr. in opere J. PRASZKO, p. 33-36.

Rescriptum.

Quoad exilium, aliasque vexationes Nuncio (f. 577) ut protegat ubi opus fuerit, et informet. Quovero ad viaticum eidem Oratorii, ut informet, an adsint transmittendi, et quot, cum eorum qualitatibus, et quae sit eius mens, dum ait quod S. Congregatio iuverit profecturis; Secretarius vero interim se informet, an in Collegio Graecorum in Urbe sint loca vacantia praedictis, et quot.

Quovero ad subsidium petatum ab Oratore pro se ipso, Nuncio, ut informet de expositis.

474.

Roma, 15 . I . 1658.

De statu desolato Basilianorum et quod alumnatus in Collegio Graeco vacant.

APF, *Acta S. C. de Prop Fide*, vol. 27, fol. 9v, nr. 7.

CONG. 12 — Die 15 Januarii 1658 (f. 4).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet Barberinus, Antonius, Praefectus, Bragadinus, Fachinettus, Ludovisius, Sabellus, Vidman, Sfortia, Gabriellus, Chisius, Melzius, Rospigliosius, Ursinus, et Azzolinus, necnon R. P. D. Lanuvius, et 1^o retulit Secretarius.

Relationes Em.mi Barberini.

Il Provinciale de' Monaci di San Basilio di Russia dopo haver rappresentato lo stato miserabile de' suoi monaci ne tempi correnti, fece istanza, che si somministrasse il viatico à i giovani di quella Nazione, che vengono al Collegio Greco di Roma, è fu nella Congregatione passata ordinato dall' EE. VV., che si pigliasse informazione de luoghi, che hanno in esso i Ruteni, e se di presente erano pieni.

Il Rettore dice, che i luoghi sono quattro, adesso tutti vacanti, e d'haver più volte ricordato ad un monaco de' SS. Sergio, e Bacco, stato Alunno in quel Collegio, di scrivere a suoi Superiori, che mandassero soggetti per empirli. Che già ne sono capitati due a Napoli, che aspettano l'apertura de passi;³³⁶ ne restano da preveder due altri, per i quali si potria scrivere.³³⁷

Rescriptum.

Cum Rectore Collegii Graeci, ut eos recipiat.

³³⁶ Agitur, ut videtur, de diacono Simeone Cyprianovyč, filio Joannis et Marinae Jackieviczovnae, oriundo ex Lithuania, qui die 7.I.1658 ingressus est in Collegium Graecorum de Urbe, aetate 24 annorum. Ibi ordinatus est etiam sacerdos die 29.IV.1659. E Collegio discessit die 17.VIII.1664, absolutis philosophiae et theologiae studiis (cfr. *Chron.*, fol. 25v-26). - Eodem die ingressus est etiam alius diaconus, nempe Hieronymus Bohdanovyč, filius Samuelis et Dorotheae Hercikovnae, aetate annorum 26. Anno 1659, 29.IV., ordinatus est sacerdos, sed discedere mox debuit e Collegio die 4.IV.1660, «obtentata facultate, ob malam valetudinem» (ib. fol. 24v-25).

³³⁷ Alii duo, qui postea advenerunt, sunt: 1) diaconus Cyprianus Zochovskij, filius Alexandri et Annae Mohylnycka, ex ducatu Polocensi, qui ingressus est die 2.III.1658, aetate 23 annorum. Ordinatus est sacerdos Romae die 29.IV.1663, et insignitus laurea doctoratus in philosophia et theologia, discessit e Collegio die 17.VIII.1664 (*Chron.* fol. 25v-26); 2) diaconus Athanasius Balevyč, filius Basilii et Reginae Reuteronae, ex Palatinatu Berestensi, qui ingressus est die 22.VIII.1658, aetate 26 annorum, et studuit logicae, physicae et metaphysicae. Discessit e Collegio in patriam mense novembri 1661, «de mandato Praesulis» (ib. fol. 25v-26).

475.

Roma, 21 . III . 1658.

Supplicat Gabriel Kolenda pro confirmatione facultatum, quae Metropolitanis Kioviensibus dare solitum erat.

APF, *Acta S. C. de Prop Fide*, vol. 27, fol. 59v, nr. 9 et fol. 100v, nr. 8.

CONG. 14 — Die 21 Martii 1658 (f. 56).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi DD. Cardinales: Barberinus, Ginettus, Antonius Praefectus, Bragadinus, Fachinettus, Sabellus, Vidman, Sfortia, Albizius, Gabriellus, Chisius, Meltius, Rospigliosius, Ursinus, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Manfronus, Lanuvius, et Vizzanus, et in ea primo retulit Secretarius.

Relationes Em.mi Barberini.

L'Arcivescovo Polocense, Amministratore della Metropoli di Russia,³³⁸ supplica delle stesse facultà, che furono concesse al suo Metropolita, defonto, e del Giubileo concesso dalla Santità di N. S. nel principio del suo Pontificato per consolatione di quei popoli.

Rescriptum.

Concedantur facultates durante administratione, et scribatur Nuntio, ut urgeat electionem Metropolitanæ. Quovero ad Jubilaeum, cum S.mo

476.

Roma, 11 . IV . 1658.

De fundatione hospitii SS. Sergii et Bacchi, et de eius fine et manutentione.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 27, fol. 113rv, nr. 5.

CONG. 15 — Die 11 Aprilis 1658 (f. 111).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda fide in Aula Collegii eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi DD. Cardinales: Barberinus, Antonius, Fachinettus, Sabellus, Sfortia, Albizius, Melcius, Rospigliosius, et Azzolinus; necnon RR. PP. DD. Manfronus, Lanuvius, Vizzanus, et Albericius, Secretarius, qui primo retulit.

³³⁸ Gabriel Kolenda. Natus anno 1606, circa. Ingressus Ordinem Basilianum et iam anno 1627-1630 studuit Brunsbergae. Postea anno 1633-1635 studuit iam aut sacerdos in Collegio Viennensi, admissus die 28.III.1633. Inde venit Romam in Collegium Graecorum, admissus die 1.XII.1636, aetate annorum 30. E Collegio discessit die 24.XI.1639 (*Chron.* fol. 14v-15). Erat filius Joannis et Marinae, patria vero Lithuanus, e districtu Vileniensi. In patriam reversus, varia obibat munera in Ordine Basilianorum; tandem circa annum 1650 electus est coadiutor Antonii Sielava, Metropolitanæ, pro Archiepiscopatu Polocensi, in qua Sede post mortem Antonii iure coadiutoriae successit, et a Rege administrationem Metropolitanæ Kioviensis accepit, sed a Sede Apostolica non erat confirmatus. Administratio haec per 10 annos perdurabat (1655-1665), difficultatibus internis et externis plena. Tandem anno 1665, consentientibus iam omnibus, in Metropolitanam Kioviensem a Sede Apostolica confirmatus fuit, et anno 1666 electus etiam Protoarchimandrita Ordinis Basiliani. Obiit anno 1674. - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 256-274; J. PRASZKO, *op. cit.*, p. 154-241.

Relationes Secretarii.

I Monaci di S. Basilio hanno ottenuto da N. Signore la Chiesa, e Casa di SS. Sergio, e Bacco, abitanti al presente da quelli della Nazione ruthena, et à quali la S. Congregazione paga il legato della bon. mem. del Signor Cardinal Sant'Onofrio di cento scudi annui.

Il Signor Cardinal Barberino considerava impossibilità, che questi Rutheni possano convivere con i nostri monaci, conforme questi hanno supposto, e della (f. 113v) necessità, che vi è di tener quei popoli bene affetti dell'Unione Cattolica, e mi ha imposto di suggerirlo all'EE. VV. per sentir se comandano, che se ne dica qualche cosa à N. Signore. Al che io aggiungo il sapere, che debba farsi del legato, atteso, che i Rutheni dimandano il residuo per andarsene via.

Rescriptum.

Cum Sanctissimo iuxta exposita.

477.

Roma, 11 . IV . 1658.

Variae petitiones Episcopi Chelmensis uniti, pro reorganizatione suae Eparchiae, nec non in causa totius Ecclesiae.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 27, fol. 114-115, nr. 7.

Apr. 11.

Relationes Em.mi Barberini.

Il Vescovo Chelmense³³⁹ si duole, che un tal Canonico Orlovski habbia invaso quella Chiesa, e non si sà con qual facultà habbia fatto scomunicare esso Oratore pubblicamente con gravissimo scandalo degl'astanti.

Rescriptum.

Scribatur Nuncio, ut provideat.

2. Che i Canonici Chelmensi habbiano levate le campane dalle Chiese ruthene, et alienato altri beni cercando à tutto lor potere d'impedire l'Unione con la Santa Sede.

3. Che un tal Canonico Luceoriense, e Custode Gogoliense tenga per suo suddito, e Censuario un tal Sacerdote Racevicense.

4. Supplica, che si scriva à quel Re, che protegga gl'Uniti, e conferisca quella Metropolitana (f. 114v) ad uno di essi.

³³⁹ Jacobus Susza (1652-1685). Basilianus; studuit Brunsbergae an. 1627-1633, postea Olomucii in Moravia (1633). Ab anno 1649 Administrator Eparchiae Chelmensis, et praesertim tempore belli polono-ucrainici multa perpeti debuit, ab Eparchia exulans. Anno 1652 nominatus est Episcopus Chelmensis, in qua Sede indefesse usque ad mortem laboravit. Anno 1661 electus fuit etiam Protoarchimandrita Ordinis Basilianorum ab una tantum monachorum parte, sed anno 1666 officio huic in favorem Gabrielis Kolenda, Metropolitanae Kioviensis, resignavit. Annis 1664-1665 Romae commorabatur, negotia Ecclesiae Unitae procurans, praesertim vero nominationem Metropolitanae Kioviensis, canonizationem Beati Josaphat, nec non ritum ruthenum defendebat. Ibi etiam libros edidit, ut ex. gr.: « *Cursus vitae et certamen martyrii B. Iosaphat Kuncevicii...* », Romae 1665; *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine Beati Iosaphat transformati sive Meletius Smotriscius...*, Romae 1666; *De laboribus Unitorum...* », ibid. etc. Obiit tandem anno 1685. - Cfr. M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862; J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 333-335, etc.

Rescriptum.

Dentur 2dae literae Nuncio.

5. Che prima dell'elettione del nuovo Metropolitanò si diano à i Vescovi rutheni in particolare le facultà solite darsi al Metropolitanò di Russia.

Rescriptum.

Concedantur nunc Vicario, et deinde Metropolitanatae.

6. Supplica di poter confessare nella sua Catedrale Chelmense, ove per una imagine miracolosa vi è gran concorso di popolo, i Cattolici del rito latino, non essendovi Sacerdoti del detto rito.

Rescriptum.

Nihil.

7. Supplica per l'indulgenze in tutte le feste della Madonna dell'uno e l'altro Calendario, e per tutte le prime Domeniche del mese.

Rescriptum.

Cum Sanctissimo.

8. Supplica di poter pubblicare il Giubileo Universale pubblicato nel principio del Pontificato di N. Signore, non essendosi ciò fatto ancora per la vacanza di quella Chiesa.

Rescriptum.

Cum Sanctissimo.

(f. 115) 9. Che si sovvenga in qualche modo alla sua povertà, non havendo nemeno modo di farsi un vestito, e che provveda alle cause, che il suo Vescovato ha in questa Corte.

Rescriptum.

Nuncio, ut subministret expensis Sacrae Congregationis vestes, et indumentum conveniens.

X. Supplica, che per suo aiuto se gli mandi per Missionario Apostolico un tal Stefano Martischevich.³⁴⁰

Rescriptum.

Secretarius se informet de qualitatibus dicti P. Stefani, et referat Sacrae Congregationi.

478.

Roma, 13 . V . 1658.

Provincialis Dominicanorum Russiae supplicat pro facultatibus.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 27, fol. 147, nr. 8.

CONG. 16 — Die 13 Maii 1658 (f. 141).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi et R.mi DD. Cardinales: Barberinus, Antonius, Brancatius, Sabelius, Vidman, Sfortia, Melzius, et Azzolinus, necnon, R. P. D. Vizzanus, Assessor, Sancti Officii, et in ea primo retulit Secretarius.

³⁴⁰ Martyškevych Stephanus, filius Gregorii et Mariae Businska; monachus Basilianus, Alumnus Collegii Brunsbergensis (1650-1653), ingressus in Coll. ut diaconus die 5.XI.1653, aetate 23 annorum. Romae ordinatus fuit etiam sacerdos die 25.XII.1654, Discessit e Collegio in patriam die 22.VI.1657, studiis absolutis (*Chron.* fol. 22v-23). Postea electus est Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1679-1686).

Relationes Emin.mi Barberini.

F. Giacinto di S. Marco Domenicano destinato Provinciale di Russia supplica delle facultà di Missionario con licenza di comunicarle ad alcuno del suo Ordine, stante il bisogno, che hanno quei Cattolici di ricevere i Sacramenti, e riconciliarsi per diversi errori commessi doppo esser venuti sotto il Dominio de Moscoviti scismatici.

Il Procuratore Generale dell'Ordine, richiesto delle qualità dell'Oratore, dice che sia d'ottimi costumi, e di buona prudenza, e che la Provincia si trova in grandissima necessità di chi promova la Santa Fede.

Rescriptum.

Patri Generali, qui informet de statu praesenti Missionum sui Ordinis in Russia, et quare non sufficiant facultates iisdem concessae.

479.

Roma, 1 . VII . 1658.

Relatio de missione in Tartaria europea inter captivos christianos.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 27, fol. 192v-194, nr. 28.

CONG. 18 — Die 1 Iulii 1658 (f. 175).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi, et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Antonius, Brancatius Ludovisius, Sfortia, Albitius, Chisius, Meltius, Rospigliosius, Ursinus, Costagutus, Moidalchinus, et Azzolinus, necnon R. P. D. Lanuvius; et in ea primo retulit Secretarius.

Relationes Emin.mi Ursini.

Il P. Sczitznicki, Gesuita, nel ritorno della visita delle sue Missioni, di Moldavia, e parti vicine ha dato à Monsignor Nuntio di Polonia, la seguente relatione della Tartaria Europea, o Minore.

Che in quel Regno non vi siano altri Cattolici, che schiavi, e loro discendenti di Nazione Polacca, e Rutena con molto numero.

Che molti di essi cadono nel mahumettesimo per la mancanza de sacerdoti, vivendo com'eretici senza Sacramenti.

(f. 193) Che prima i Francescani vi facevano le missioni, ma lasciate da loro vi subentrarono i Domenicani, che anch'essi per qualche tempo l'abbandonarono. Che ultimamente vi era restato un tal F. Raimondo Carceuski, Polacco, e questo s'era inteso, che veniva in Roma.

Che saria espediente introdurvi la sua Compagnia con l'autorità della Sac. Congregatione perche i Domenicani non possono arrivare al bisogno d'un Regno così vasto, tanto più, che non vi è che uno, che risiede in Caffa.

Che la Compagnia ha ottenuto licenza dal G. Turco di poter dimorare in quelle parti, che non saria di nessun peso alla S. Congregatione come i Domenicani.

Monsignor Nuntio però fa diligenza di sapere, che numero di Domenicani veramente vi si trovi, e ne avviserà.

L'anno passato parti di quà di ritorno alla sua Missione, di Cafà F. Raimondo da S. Casimiro, e con esso F. Christoforo da Cosenza, et il P. Procuratore Generale dell'Ordine hora (f. 193v) dice, che à Vienna han preso un'altro Compagno,

stante il bisogno di quella Christianità; Supplica però gli si dia lo provisione dell'anno presente, e di due altri appresso.

Avvertimenti di Mons. Segretario.

Del 55 il sudetto F. Casimiro si dolse, che nell'istesso luogo dov'egli haveva fabricata la Chiesa, l'Oratorio, e l'Hospitio s'erano introdotti i PP. Gesuiti da un'anno in circa, cò quali passavano continue contrarietà con gran disturbo, e danno di quell'anime, e la S. Congregatione ordinò, che si parlasse col Generale della Compagnia, che li richiamasse alias.

Del 56 poi fu ordinato, che s'accrescesse la Missione de PP. Domenicani con altri quattro soggetti, e con questa occasione fu decretato, che per togliere le dissensioni, e le gare, non s'introdussero Religiosi d'altr'Ordine, etiam Gesuiti, (f. 194) dove sono altri Missionarii, ne si permette d'essercitarvi la Missione senza licenza espressa della S. Congregatione sotto pena della privatione dell'offitio, e facultà.

Rescriptum.

Servetur Decretum.

480.

Roma, 1 . X . 1658.

Marcianus Bilozor petit viaticum et designationem pro Missionario in Lithuania et Russia.

APF, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. 27, fol. 267v-268, nr. 44.

CONG. 21 — Die 1 Octobris 1658 (f. 244).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem, cui interfuerunt Emin.mi, et Rev.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ginettus, Antonius, Ludovisius, Sabellus, Albitius, Chisius, Meltius, Rospigliosius, Ursinus, Costagutus, et Azzolinus, necnon R. P. D. Lanuvius; et in ea primo retulit Secretarius.

Relationes Em.mi Ursini.

D. Marciano Bialozor,³⁴¹ Superiore della Casa di SS. Sergio e Bacco, espone esser stato richiamato da suoi Superiori in Russia in loro aiuto à coltivar quella Vigna del Signore. Supplica però egli per la facultà di Missionario in detta Provincia, e per la Lithuania, di qualche sussidio per il viaggio, mentre di là nelle presenti calamità non (f. 268) puol haver alcun soccorso, e per suo Compagno nella Missione propone D. Stefano Martiszkievicz, Teologo dell'istesso Ordine di S. Basilio, per il quale supplicò anche Mons. Vescovo di Chelma.³⁴²

Rescriptum.

Detur aliqua eleemosyna pro viatico.

³⁴¹ Martianus Biłozor, Procurator negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe (1656-1658). - Cfr. D. BLAŻEJOWSKYJ, *op. cit.*, p. 189-190. Dein Episcopus Pinscensis et Turoviensis (1666-1697) et denique Archiep. Polocensis (1697-1707). - Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 329 etc.

³⁴² Cfr. supra, nr. 476, nota 340.

481.

Roma, 16 . XII . 1658.

*Iterum de facultatibus missionariorum pro Provinciali Dominicanorum Russiae.*APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 27, fol. 283v-286, nr. 8.

CONG. 24 — Die 16 Xbris 1658 (f. 283).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Aula Collegii eiusdem Sacrae Congregationis, cui interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ludovisius, Vidman, Sfortia, Melzius, Rospigliosius, Ursinus, et Costagutus, necnon R. P. D. Lanuvius; et in ea primo retulit Secretarius.

Relationes Emin.mi Barberini.

